D. IO. BAPTISTAE RVBEI

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS Logicam.

DILVCIDA EXPLANATIO.

Nunc Primùm in lucem edita.

AD ILLVSTR. ET REVERENDISS.
D. D. HIERONYMVM BERNERIVM
S. R. E. Card. Amplißs.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, M. D. XCIII.

Apud Ioannem Guerilium.

AD ILLVSTR. ET REVER.
D.D. IERONYMVM BERNERIVM
S. R. E. Card. Ampliss.

Ioannes Baptista Rubeus. S. D.

QVEMADMODVM *aut ex Peneo Thessalico, aut ex Astace flumine, quæ bibunt candidæ, aiunt, & sinceræ, statim atro colore infectæ redduntur oues: ita Cardinalis Amplissime, qui puri & nitidi sunt mortales, nisi ab esca caueant uoluptatis, ex candidis illico atrati, atq; ab oscura flagitij eius nubecula nebulones non solum, recedunt, sed etiam dicuntur. Itaque vt mortalibus pro voluptate quam plerique: pauci officium, sequuntur nectar præsto esset, & ambrosia, nihil sum veritus omni ope, & studio eum cibū de cœlo accersire, quo vna cum Deo pascuntur homines. Nam qui ex Philosophia fontes Musarum scatent? quod ingenij, & virtutis pabulum? quæ vita deniq; & ad agendum & ad intelligendum trahuntur ornamenta? in Philosophia non*

solum hominum iura, sed etiam Dei immortalis cultus, & religio: omnesq; nerui, & vires Reip. uidentur latere. Quapropter Graeci olim sic coluerunt Philosophiam, vt Philosophiae, qui rudis esset, vir tantum haberetur inter mulieres: inter viros autem tanquàm impura damnaretur muliercula. Qualis enim sit vir sine animo, sine consilio? aut quis sit animus sine virtute, quod consilium sine eruditione? non natura, meo quidem iudicio, sed Philosophia parit virum: sed quid ego haec? Ingenij procreatrix: salutis inuestigatrix, ac deniq; bonorum omnium domina est Philosophia: atque id est opinor cur omnes homines scire desiderant. Nam desiderij subiecta materia est bonum, in quo nihil est scientia melius, quid enim est intelligentia, nisi animi sanitas, consilij robur, & rationis summa quaedam iucunditas? in ea ars quaedam est benè beateq; viuendi, quae mestitiam pellit, ex animis, quae obiectos nos fortunae telis, perhorrescere metu non sinit, quaeq; deniq; recondita quaedam habet in se felicitatis praesidia. Testis tu vnus es, ne altè repetam, instar omnium. Nā cùm ea sit sapientia cui omnia cogantur parere, eum te semper praebuisti, à cuius consilio nemo vnquàm sine culpa, & detrimento potuit recedere. Quid enim est summa tua doctrina, nisi humani generis nutrix, & alumna? quid nisi morum magistra, communis vitae lex, & veritatis regula? quemadmodum Sylla consueuit dicere eos amentes esse, qui in Caesare non viderent multos Marios esse, ita stupore eos esse oppressos non vereor asserere, qui nō cernant in te multos Pios Quintos residere. Res multas praeclaras, & aeternitate gloriae dignas Xistus Quintus gessit, verum nihil toto sui Pontificatus tempore, fecit unquam gloriosius quàm cùm te, in quo vim & numen Dei immortalis videbat latere, Cardinalē creauit, antè acta tua vita gloriā facile

le prætereo. Nullo enim in loco pedem adhuc imposuisti, in quo expressa vestigia nõ reliqueris summæ tuæ sanctitatis simul, et sapientiæ. Sed quid ego hæc ad nouam tuæ gloriæ odysseam, quasi nouus iam desideratur Homerus, quid igitur? vt sacra cum silentio potius, quàm cum plausu spectamus: sic ego incredibiles, tuas laudes omni virtutum comitatu stipatas: quas adorare fortè possum: adornare verbis certè non possum, honestius silendo, quàm loquendo colo, & obseruo. Huius autem meæ in te voluntatis si non magnum, at fidum habes ex his meis in vniuersa PHILOSOPHIA *Libris, testimonium. Neque enim quæ volo, sed quæ possum ad te defero, nec me summæ tuæ dignitatis perterret amplitudo, maximæ enim sæpè est virtutis, quæ ab infimis proficiscuntur nõ despicere: accipies igitur hæc mea in vniuersam* PHILOSOPHIAM OPERA, *si minus ingenij, & reconditæ doctrinæ, at certè summi erga te amoris plena: ex quibus, puto, etiam me tacente, cognosces tibi à me tantum tribui, vt nihil mihi sit optatius; quàm studium, operam, ac laborem omnem meum, in omni genere officij ad te deferre. Tale itaque accipies non vt munus ad dissoluendum, sed vt quoddam animi pignus ad me tibi obstringendum.* *Vale.*

INDEX
QVAESTIONVM
ET DVBITATIONVM,
EX COMMENTARIIS

D. Io. Baptiſtæ Rubei in vniuerſam Ariſtotelis Logicam.

De

FINIS.

D. IO. BAPTISTÆ RVBEI IN VNIVERSAM LOGICAM ARISTOTELIS COMMENTARIA.

PROLOGVS.

ANTIQVISSIMA fuit consuetudo, referendi benemerentibus gratiam, vt ij, qui, mortales, aut omnes, aut certè quamplurimos beneficijs affecissent, in Deorum immortalium numerum, cum excessissent e vita, cooptarentur. Fuit enim olim vniuersis ferè gentibus persuasum, Deum esse paratum hominem iuuare mortalem, & hunc esse vnum ad æternã gloriam cursum. Ita Herculem quondam, post exantoratos innumerabiles pene labores, tandem grata posteritas numinibus ascripsit. Ita Athenienses Cecropem suum coniugij auctorem à quo ciuilem cultum edocti fuerant. Itali Ianum, quem ob singularem prudentiam, nec non sapientiam bifrontem fuisse confinxerunt. AEgyptij Theuthum à quo litteras acceperant. Romani Quirinum parentem, & conditorem. Lacedæmonij Castorem & pollucem, qui etiam cæteras apud gentes, ac nationes, pro Deis habiti sunt. Et denique alios alij complures post mortem numinibus aquates Deos indigetes appellarunt. Quod si quisquam conditione hac mortali natus dignus haberi debet, qui diuinos honores consequatur, ij certè, duo præstantis-

ſimi omnium, ingenij gloria, ſunt Plato & Ariſtoteles. Illos enim de diuina & naturali Philoſophia, rectè modulatos fuiſſe omnibus perſpicientibus manifeſtum eſt. Sed quoniam hæ ſcientiæ ornatu fiunt ſpecioſæ magis, idcircò illas eo faciliori modo (munitus grauiſſimis expoſitoribus) quo potero dilucidare, & explanare decreui. Primo circa logicæ ſcientiam, ſecundo circa ſcientiam naturalem, tertio diuinam; quas omnes ſcientias, nunc in lucem vobis edere propono. Opera inquam OMNIA DEKVTILIA cupientibus textum Ariſtotelis intelligere. Sed pauca quędam in communi de his tribus ſcientijs vobis dicere decreui: & primo quantum ſpectat ad primam ſcientiam: ſciendum eſt quod Philoſophus tertio de anima, volens oſtendere modum cognoſcendi intellectus noſtri; inquit quod oportet potentia eſſe cognoſcens in ipſo, ſi vero alicui ineſt contrarium ipſe ſemetipſum cognoſcit, & actu eſt & ſeparabile eſt. Ex quibus verbis facile inueſtigare poßumus neceſſitatem huius ſcientiæ quam primò præ manibus habemus. Namq; vt inquit Com. 2. Metaphiſ. logica eſt via ad cæteras ſcientias. Eſt enim inuenta non tãtum propter res ſcitas, ſed etiam propter noſtrum modum ſciendi, cum igitur intellectus noſter, ſit in potentia cognoſcens: & in actibus rationis eſt admixta potentialitas, ac poteſt ibi cadere malum & error: ne inquam propter huiuſmodi potentialitatem male ratiocinemur, & erremus in actibus rationis, inuenta fuit logica, quæ eſt huiuſmodi actus directiua. Quantum ſpectat ad ſecundam ſcientiam ſcilicet naturalem, dico philoſophiam ita eſſe animæ perfectionem, vt corporis medicina: ideo iſta ſcientia naturalis non ſolum eſt vtilis his quæ ad vitam plurimum conferunt, medicinæ & mechanicis principia ſuppeditans, ſed etiam alijs artibus opem fert. Nam vnaqueq; hac indiget, vt naturam & differentias ſecundũ naturam ſubiectę materię ipſi, conſideret. Inſuper non ſolum quia formam in nobis cognatam ad cognitionem naturalium perficiet, vt Theologia intellectualem & ſupremam partem perficit, ſed etiam quia ad alias animæ perfectiones & vires magnum confert momentum. Nam videtur ad capeſcendas virtutes actiuas naturalis ſcientia vſui eſſe, præſertim ad capeſcendam iuſtitiam, quatenus oſtendit elementa, & partes vniuerſi ipſimet inuicem cedere, & ſuum diligere ordinem, ęqualitatemq; geometricam ſeruare. Iuuat etiam ad temperantiam, quippe quę oſtendit naturam voluptatis; cum doceat ipſam nullum eſſe precedens bonũ, ſed quoddam ſubſequens, dum id vehemens, & eligẽdum videtur. Huiuſmodi itaq; philoſophiæ ſtudiũ facile auocabit animũ a corporeis voluptatibus, & affectione externarũ rerum liberabit, per quę temperantia, iuſtitia, optimum conſilium cetui hominum euenire ſolet. Iterum aliquis hoc modo erit fortis cum philoſophiæ ope nouerit hominem vix ſenſilem eſſe vniuerſi partem, atque vniuerſi vitæ noſtrę temporis vix menſuram haberi, & oportere omne genitum diſſolui & interire, cum ſit ipſa diſſolutio in ſimplicia & reſtitutio partium ad ſuas peculiares vniuerſitates: atq; renouatio quędam iuuentutis

ex

ex his quæ consenuerunt: & recuperatio eorum quæ iam prostrata fuerunt. Item mens cum nouerit præsens momentum vel illud quod post paucos annos corruptum ibit nullam proportionem assequi posse ad infinitudinem temporis. Quod si separabilem illam excellentiam animi intelligendo a corpore ad ea suscipienda studia traduxerit tum certè mortem penitus diliget. Cum igitur sit philosophia vtilis, idcircò erit valde amplectenda. Quãtum autem spectat ad scientiam diuinam, quæ etiam dicitur sapientia, animaduersione dignum est, istam scientiam versari circa totum ens: & ideo dicit philosophus in prologo metaphisici, esse sapientis omnia scire. scientia autem quæ est simpliciter accepta quæ non est sapientia; versatur circa partem entis. Si ergo scientia, quæ est sapientia; versatur circa eus inquantum ens; & circa ea quę consequuntur ens inquantum ens; patet talem scientiam esse apprime necessariã: nam ens, & ea quę ipsum consequuntur consequentia sunt omnibus, quę determinantur in scientijs particularibus: & quia scientia principiorum non potest haberi sine scientia communi; ideo oportuit dari vnam scientiam, in qua determinaretur de natura entis, & omnium communium, quæ sequuntur ens inquantum ens. Insuper hęc scientia quæ & sapientia dicitur; versatur circa substantias separatas: & ideo vocatur scientia diuina, quę versatur circa res diuinas: namq; scientia prima qualis est sapientia, debet versari circa entia prima, quę abstrahunt à motu, & materia secundum esse, & secundum diffinitionem. Alię enim scientię versantur circa entia quę concernunt materiam, & quantum ad esse, & quantum ad diffiniri: vt est naturalis: vel concernunt materiam quantum ad esse tantum; & sic sunt mathematicæ. & ideo sequitur esse scientiam speculatiuam. Insuper huiusmodi scientia quę & sapientia dicitur versatur circa dignitates & principia. Principia enim & dignitates vocantur ibi, quę fundantur super terminos communes; sicut super ens, & non ens; super quę fundatur hæc dignitas, de quolibet affirmatio, uel negatio: vel super totum: super quę fundatur hęc, omne totum est maius sua parte. Sed tamen non est sapientis vniuersaliter dicere, circa principia, vel versari circa ea, illa demonstrando; quia principia prima indemonstrabilia sunt: sed magis declarando terminos, super quos fundantur talia principia: sicut declarando ad naturam entis; veluti declarat hoc principium. De quolibet est affirmatio. &c. Has igitur explanationes eo puro animo, atque ego prębeo, vt suscipiatis oro & postulo. Faxit autem Deus Optimus Maximus, vt noster hic labor, qui ad eius gloriam, & multorum vtilitatem confertur, & ipsi gratus sit, & prosit omnibus, qui in scientijs institui volent. Hæc autem sint in vniuersali dicta: nunc ad opus ipsum interpretandum aggrediamur.

DE VITA PHILOSOPHI, DE Titulo operis, De Intentione scribentis, De librorum numero, De ordine illorum, Deque Explanatione.

IN exponendis Auctorib' hęc omnia sunt cōsideranda (inquit Coment. super Aristot.) scilicet, Auctoris vita, Titulus operis, scribentis intentio, librorum numerus, illorum ordo, & explanatio. Philosophi vita hæc est, a patre Nicomahco, & Matre Phestiade: Stagirites fuit. Et Nicomachus, a Nicomacho, Machaonis filio Aesculapij originē duxit: q nepos (vt Hermippus narrat) illius fuit. vitā cū Aminta Rege, ob Medicinæ cām duxisse fertur. fuitque Platonis discipulus, & filium ex Herpyle concubina, qui Nicomachus dicebatur, erexit. à Platone demum recessit, unde dictum postea fuit, viuente illo, scilicet quod Aristoteles in nos recalcitrauit: fertur enim hæc verba Platonem dixisse. ab Athenienfibus, ob legationē quandam missus fuit Philippo, dum Xenocrates Scholæ princeps erat: deinde post regressum, sub alio principe illā inuenit: quare in Lyceo sibi elegit Peripatum, sic deambulando discipulos docebat, & philosophari sic cepit, vnde dicti postea sunt Peripatetici, hoc est a deambulatione, quemadmodum Accademici, ab accademia Platonis: Stoici a Zenone, Cinici a Diogene, & alia possunt dici quæ patent in quinto Diogenis laertij, in vitis philosophorum in principio libri. Circa verò Titulum huius operis appellatur organum ab aliquibus, & ab alijs logica. organum aūt latinè dr̄ instrumentū. logica verò a logos, quod est sermo quasi sciētia sermocinalis: ad quā partē ego potius declinarem, quam ad primam: & ratio est, quia sub nomine instrumenti non dicetur scientia, quemadmodū patet per eūdem philosophum, igitur non debet dici instrumentū, sed scientia, vt inferius declaratur. Ad tertium membrum accedamus: vt spectat ad intentionem Auctoris, dico quod fuit tradere viam certam hominibus, ve rū a falso agnoscendi: hæc enim est magistra aliarum scientiarum: vnde Cicero definiens hunc in modum partem suam dicebat esse, scilicet differendi diligentem rationem. Item (vt habetur ex Diogene Laertio) absque dialecticæ disputatione, sapientem dicunt in oratione sine lapsu non futurū. quippe ex

pe ex illa verũ ac falsum dignoscitur, item probabile, & quod ambigue dicitur, intelligi, remota namque illa, non licet rite respondere, docte interrogare, acutissime intelligere. Stoici autem pulchram comparationem attulerũt. dicebant enim animanti philosophiã similem esse, ossibus & neruis logicã, Ethicam carni, Phisicam animę. Confe rentes hæc omnia, patet quam necessaria sit logica, si ossibus, & neruis assimilatur, quasi ipsa philosophia nequeat absque logica manere. Et Augustinus quoque contra Cresconium grammaticum dicebat: quid enim est Dialectica quam peritia disputandi? Item in secundo de doctrina Christiana, Disputationis disciplina, ad omnia genera quæstionum, quæ in sacris literis sunt penetranda, & dissoluenda plurimum valet. Proh Dij Immortales nunquam vt hæc postulat laudare queã: sed quid dicam? nisi ore mellifluo cantum Virgilij in primo Aeneid. ad consocios? forsam & hęc olim meminisse iuuabit, Sed video me ex agris odoriferis exijsse. Ad quartum igitur mẽbrum accedamus: scilicet librorum numerum. libri autem ad logicam attinentes sunt numero sex, s. Prædicamentorũ liber, de Interpretatione, de sillogismo, de demõstratione, de syllogismo dialectico, vltimo de sophistico. non posui librum porphirij eo quod illa vniuersalia habentur, ex ipsomet Aristotele in primo Topicorum: & etiam quia potius est dignus uituperatione, quã comentatione, & laude: prauus Hereticus, inimicus fidei nostræ: non miror si Diuus Thomas, Angelicus Doctor, qui omnia volumina Aristotelis dilucidauit, & non mentionem fecit de illo libello. sed quasi superuacaneum illum repudiauit. primus igitur liber est de prædicamẽtis, & desumptus est ex prima philosophia, nempe ex Metaphisica, sed hæc est differentia, ibi, & hic: nam in metaphisicis tractantur hæ decem voces ut res, hic autem ut uoces, denotant. dicũturque categoriæ quod latine dicitur prædicationes. diciturq; secundum Boeth. in prædicamentis, liber de primis uocibus significantibus prima rerum genera. eo quod in particulari, res sunt infinitæ. ut cum dico homo, lignum, æquus, lac, & huiusmodi infinitæ substantiæ: dicendo solum substantiam, intelligo ea omnia indiuidua, quæ sub hoc genere substantiæ continentur. eadem est ratio in alijs prædicamentis. concludamus igitur ut Boeth. concludit, quod iste liber, est de primis vocibus prima rerum genera significantibus, in eo quod significã tes sunt, idest quatenus hæc significãt. secundus liber dicitur de interpretatione, diuisus est in duos libros, quamuis unus realiter sit, græcè dicitur peri Hermenias. in quo ostendit quid nomen, quid uerbum, quid oratio sit. quæ omnia uidentur potius ad grammaticum attinere quam ad philosophum, sed puto nondum inuentam fuisse grammaticam tunc temporis. uel (si non satisfacit,) quia non agit ibi ut ad grammaticum pertinent, sed ut ad philosophum. agit de contingẽtibus, siue de futuris indefinitis. Tertium opus est priorũ, in duas partes diuisum: in quibus docet philosophus de sillogismo, vocat autem analytica, hoc est, resolutiua, quod ratiocinationes, (idest disputationes, seu discursus, quod idem,) in partes suas dissoluat, & ex quibus constent manifestat, ac affirmat. docet enim ibi quomodo conficiatur sillogismus, & ex quibus cõponatur. liber autem optimus ac necessarius; nec poterat Aristoteles quid vtilius, quod ad omnes artes, ac ad omnes scientias detulisset fructum, quam hunc librum. Quartum õpus est de sillogismo perfe

ctissimo,

ctissimo, hoc est de demonstratiuo. diuisum & ipsum est in duas partes: dicitur posteriorum eo quod post de sillogismo de quo egit i libris Analyticorũ: deinde isti sequuntur. & qa in homine duo sunt scilicet corpus & anima: in corpore est materia, dispositio, & partium siue membrorum ordo: in anima verò vita, vis, & actio: sic in superioribus analyticis, vbi Aristoteles egit de sillogismo, tãquam de materia, de corpore, & de partibus: in hoc verò agit de demonstratione tanquam de anima & intrinseca veri sillogismo, qui est demonstratio, vbi vita, & tota actio sillogismi cõsistit. Quintũ opus est de locis topicis. diuisum est in octo partes, seu libros. ibi enim docet vnde deducantur argumenta. Opus vltimum est elenchorum, hoc est de sillogismo sophistico: libri autẽ sunt duo. docet enim ibi Aristoteles sophisticas captiones aufugere, & ne disceptamus falsa pro ueris, nec econtra. Plato quoque in Euthidemo huic operi initium dedit quemadmodum & de prædicamentis, in Parmenidem, & de locis topicis in Cratylo. ordo est vt sunt accõmodati, prius enim est, liber prædicamentorum vt de simplicibus: deinde de interpretatione: tertio de sillogismo: quarto de demonstratiuo, vt de perfectiori: quinto de locis topicis: vltimo vt causa fugę, de elencho. explanatio aũt quę erat sexta & vltima pars diuisionis, patebit in contextu. hæc pro præsenti sufficiant.

De inuentore logicę negocij, Deque diuisione Philosophiæ totius.

ET si nonnulla præscripsere philosophi ante ipsum Aristotelem circa logicam facultatem: tamen pro parte illius scientiæ, indutus clypeo, & lorica, aduersus omnes insurgam, ac instabo, laudem, honoremq; soli Aristoteli præbebo. dicet enim *illa*, hic me ornauit, hic me inuenit, hic me recolligit, hic me decorauit, hic me demum ordinate persoluit. sed heu, quamplurimos audio, nonne dicet Plato de prædicamẽtis egi in parmeni dem? de locis sophisticis, in euthidemo? de dialecticis in cratylo? nonne dicet Parmenides, qui consuetudinem, familiaritatemq; hominum subterfugiens, hinc atq; illinc petiendo speluncas, logicam inuenit? & multi quoq; alij? & Architas quoque, nõne de prædicamẽtis edidit? sed respondete iuuenes ornatissimi, ac virtutum desideratissimi, ad hunc, verum esse, Architam egisse de prædicamẽtis, sed non egit de illis quatenus pertinẽt ad logicam. Ad parmenidem dicite, dupliciter posse inuentionem considerari; vno modo vt de dialectica, alio modo vt de tota logica: si primo modo consideratur, dico quod fuit inuentor & si imperfecte quemadmodum in rhetoricis super eũdem affirmauimus: & sic non erit primus inuentor Aristoteles, si autem consideratur secundo modo, dico non esse verum, sed ipsum philosophũ primum fuisse affirmabo. Ad Platonem dicite potius illũ usum fuisse illis partibus, quam docuisse, & in lucem edidisse: ac in scientiam illas collocasse. nonne insurget etiam Albertus, & sequac. dicentes Aristotelem fuisse diminutum? eo quod non egit de analogismo, de quo sępe Galenus mẽtionem facit, neque de sillogismis hippoteticis, & indirectis, vt legitur Theophrastum docuisse? Ad hanc difficultatem dicite iuuenes studiosissimi; quid enim est analogismus, nisi exemplum. tamen de illo egit, & in libris priorum, & in Rhetorica. De hyppoteticis quoque, & indirectis concludentibus, docet nos in fine primi priorum: Sex potestates sillogismorum, scilicet, nos

posse

posse plura concludere : patet igitur neque fuisse diminutum, & inuentorem fuisse. Restat ut videamus de diuisione totius philosophiæ. Diuiditur autem philosophia in tres partes, vt Platoni placet, scilicet in phisicam, ethicam, & dialecticam. phisica agit de mundo, idest de omnibus rebus naturalibus in illo existentibus: de quibus fuit primus Almeon Crothoniatas, qui de hisce egit. Ethica verò de moribus de qua fuit primus Socrates. Dialectica verò circa ratiocinationem am... arum. Scientia secundum Aristotelem in secundo Metaphisic. diuiditur in speculatiuam, & practicam. Speculatiuæ vel theoricę, (quod idem) finis est veritas, id est speculatio veri. finis practicæ est opus. speculatiua item est triplex, vt patet. 6. Metaphis. 2. contextu, dicens, quare vtique erunt tres speculatiuæ philosophiæ, mathematica, naturalis, & Theologia. Mathematica agit de quantitate: Theologia de Deo, (idest prima philosophia) naturalis verò, naturalium rerum. practica diuiditur in factiuam, & actiuam: factiua est quæ versatur circa res externas, non autem internas, quemadmodum facit actiua. Plato dicit factiuam, eo quod consistit in effectu rei. actiua est cognitio intellectus, quia manet intus. ars est duplex, scilicet mechanica, & liberalis. liberales artes septē sunt, quatuor reales, & tres sermocinales, reales, vt Musica, Arithmetica, Astrologia, & Geometria. vocantur reales quia circa res versantur. Geometria enim agit de magnitudine: Astrologia de motu, & tempore cœli, Arithmetica circa numerum de qua fuit primus Abraham (vt fertur.) Musica autem, circa numerum sonorum, de qua fuit inuentor Amphion secundum Pliniũ. Sermocinales, seu ratiocinales, vt Dialectica, Rhetorica, de qua fuit inuentor Empedocles, & grammatica vocantur sermocinales, quia circa sermonē versantur: grammatica enim agit de sermone recto; Rhetorica de ornato sermone: dialectica de disceptatione: artes mechanicę sunt septem, dicūtur etiam seruiles, quia ordinantur ad opera per corpus exercenda: corpus namque animæ seruit: continentur omnes in his duobus versibus.

Lana, nemus, miles nauigatio, rus, medicina,
His ars fabrilis, connumeranda venit.

An logica sit necessaria.

ADest sententia Gandauensis in secundo Metaphisices dicentis logicam non esse necessariam simpliciter, sed secundum quid, siue ad bene esse: & arguit hunc in modum: illud est necessarium propter finem, sine quo finis haberi non potest: sed scientiæ possunt acquiri absque logica, ergo &c. maior patet, & minor probatur exēplo, quia Hippocrates, medicinam perfecte sciuit, & tamen logicam ignorauit: leges quoq; absq; logica addiscimus, & alia: Quæ quidem cōclusio est vana, & pręcipue apud Aristotelem, & commentatorem. in principio enim libri Topicorum inquit Philosophus, propositum quidē negotij est, vt de omni problemate possimus sillogizare methoduinq; inuenire: constat igitur contra. & in fine secundi Metaphisices, patet ex verbis Aristotelis se velle tradere regulā generalem, scilicet quod prius debemus addiscere viam, & modum sciendi, deinde ad alias scientias procedendum, & per modum sciendi intelligit dialecticam, quæ est vna pars logicæ. Addo quoque secundo, quod quædam pars huius logicę est potius reijcienda, quam addiscēda, vt de elencho sillogismo, ergo non est necessaria imò potius fugienda est, quia cōtra sophi-

sophistas nō est disceptandū inquit ipse philosophus Ergo. Pro solutione istius argumenti sit fundamentū, quod modus discursiuus est naturalis humano intellectui: qui quidem modus potest dici quodāmodo logica facultas: & quod scimus, per rationalem modū exagitamus. ait enim Diuus Augustinus logica est ars artium, sciētia scientiarum, qua aperta omnes aperiuntur, & qua clausa, omnes clauduntur. Cicero quoque ad Trebatium, ex his obiter discimus, etiam iuris ciuilis studiosis dialecticam apprime conducere, maximamque ad illud lucem afferre. Patet quoque per comparationem stoicorum quam supra enarrauimus. Albertus quoque magnus in commentatione porphirij capite tertio ait: logica est illa quæ a phantasijs, quæ videntur, & non sunt. liberat, errores damnat, falsitatem ostendit, & lumen rectum in omni cōtemplatione præbet. Quod sit necessaria artibus patet per Augustinum dicentem in libro de ordine; illo, inquit, modo perfecta dispositaque grammatica, admonita est ratio quærere hanc ipsam vim, quæ pepererat artem. nā definiendo, distribuendo, colligendo, verum etiam ab omni falsitatis irruptione defenderat. hęc docet docere, docet discere, scit autē scire, vult sola scientes facere: nec solum vult, sed etiam potest. Et Auicenna in sua logica sic ait, natura, & prima hominis inchoatio non fuit sufficiens ad cognoscēdum verum, sed fuit opus aliqua arte, per quam modum procedendi, (aduerte quod loquor de necessitate nunc,) in cognitione haberemus, vt tali perspecto modo, postea accederemus ad rerum speculationē. quæ quidem logica modum uniuersalem speculandi vnamquamque rem ostendit, ac docet. sit igitur hæc conclusio quod est necessaria simpliciter, & per se, nō autem ad bene esse ut Gandauensi placet. Ad argumēta respōdeo. dico quod negatur minor, scilicet quod possint scientiæ absq; logica acquiri. quia nulla scientia potest adipisci absque logica habita a præceptore, vel a lumine naturali, vt forte fortuna fuit illa Hyppocratis. Logica enim est duplex, scilicet naturalis, & artificialis. artificialis est illa, quæ a præceptore acquiritur. Naturalis vero a natura est. quod autē leges sine logica discantur: dico quod leges non per causas, neq; per demonstrationem demonstrantur: sed solum per authoritates imperatorum, Pontificumque & huiusmodi. idcirco non egent sillogismis quia sic credūtur. Cū verò dicebatur aliqua pars istius scientiæ potius est fugienda, quam sectāda: respondeo, quod non traduntur fallaciæ vt illis vtamur, sed ut nos percipiētes illas fugiamus, & a nostro intellectu ignorantiam segregemus, quæ ex illis euenire potest, quemadmodū docent ictus accipere discipulos gladiatores: ad fugam, & non ad illos accipiendos. sic eadem uia, eodemque tramite, docet nos philosophus illos euitare: & vt inter uerum & falsum, melius discernere ualeamus. sequimini igitur hunc philosophum, Sequimini hunc peripateticę disciplinę principē: primumq; a Deo optimo maximo auxilium postulemus, vt meum ac vestrū dirigat intellectum, ad hanc prouinciā capessendam, aliarum prouinciarum difficiliorem. iter, uia, semita omnium scientiarum, qua ignorata cęteræ ignorantur, quaq; recepta cæteræ recipiuntur; ac in suum mellifluum agrum manebunt.

Quæstio prima An logica sit scientia.

QVæritur primò vtrū logica sit sciētia: & pro parte negatiua uidetur

tur

tur, quod non: arguoque hunc in modum: modus sciendi non est scientia, sed logica est huiusmodi, ergo. maior patet, & minor probatur per philosophum 2. Metaphi. dicentem vanum est quærere scientiam, & modum sciendi, & commentator per modum sciendi: logicam intellexit, ergo &c. Secundo quod propter se non acquiritur, sed propter aliud id non scientia est, sed logica acquiritur propter aliud vt manifestum est per Boeth. dicentem quid enim est in logica disciplina quod suo merito debeat optari, nisi quod propter inuestigationem rerum huius facultatis affectio inuēta est? ergo. tertio si logica esset sciētia acquireretur per aliam logicam, quia omnis sciētia per demonstrationem acquiritur consequens est falsum. ergo. In oppositum est Philosophus in 1. Rhetori. cap. 1. nam quod diximus verum est Rhetoricam, scilicet ex resolutiua scientia, & ex ciuili quæ de moribus est componi.

Pro dilucidatione huius quæstionis sunt quædam notanda: & primo, dupliciter dicitur intellectus apprehēsiuus, alter quorum est purus, simplex: secūdus vero non sic. purus est cum statim intelligit rem. vt se offert, nulloq; auxilio eget, eo quod non est mixtus materię, quemadmodum intelligētijs accidit: quæ per se verum illico cognoscunt denudatè. intellectus vero humanus non sic cito intelligit, sed indiget aliquo auxilio: quia tunc cognoscit niuem, cum albedo apparet. quod non sic intelligentijs accidit: idcirco primi philosophi ad faciliorem intelligentiam hanc scientiam adinuenere. secundo est notandum quod logica duplex est, scilicet naturalis & artificialis: naturalis est lumen quoddam, a natura insitum, quo quis redditur magis cautus, & versatus, ad cauillationes, & ratiocinationes cognoscendas. quemadmodum erat illa primorum Philosophorum, qui per aliquam dietam forsan febrim medebantur, deinde in artem positum fuit. tertio est notandum qđ logica iterū duplex est quędā vsualis, & quædam artificialis, quare qui sillogizat & nescit se sillogizare hunc dico habere logicam vsualem. qui vero sillogizat, & scit se sillogizare, hunc dico habere sillogizandi artem. quarto iterum notandum quod duplex est, scilicet vtens, & docens, vt vtens, est quidam habitus directiuus, quo in inquisitione veri, vel falsi dirigimur, applicando in omni scientia, & in omni arte, aut facultate, huiusmodi præcepta ad illas facultates, vt vero docens, est scientia quædam quæ dat pręcepta, ac docet formare sillogismos, componere, definire, & diuidere, qui quidem tres modi sunt principales habitus in hac scientia. sit igit̄ pro breuitate hæc conclusio: quod sciētia est, logica. quia illa est scientia, quæ habet subiectū, de qua possūt probari passiones illius. sed hæc ē huiusmodi ergo hęc sciētia quoque est. si autem dubitaret aliquis quo modo potuerūt primi philosophi qui ignorabant sillogismos inuenire alios ad efficiendā hanc scientiā? præcipueq; cū discursum, cum quo solēt homines concludere non habebant, quia nil aliud est discursus, qui aliquam rem veram concludit, quam sillogismus? ad quos sic possumus respondere: scilicet, quod p eandem ratiocinationem in qualibet arte, artifices interrogare possunt: nam si faber ferratius vno maleo, alium facit: idcirco abire in infinitum non possumus: oportebat.n. quod illi qui primū maleū construxerunt aliquo alio instrumēto, puta lapide illū cōstruxisēt. sic de logica quoq; est rńdendū: quod cū aliquo alio sillogismo alterius formę, illū ędificauere.

B igitur

igitur non est inconueniens fuisse aliquod aliud instrumentum: & ideo nos non posse dare infinitum circa huiusmodi scientiam logici negotij. patet ergo esse scientiā. & hæc est communis opinio, contra Themistium, & Egidiū: ille in primo posteriorum capite uigesimo quarto, iste in primò elencorum.

Ad rationes principales sic est respondendum: quod si ut modus sciendi accipiatur, tum dico non esse scientiam, sed potius instrumentum quoddam: sed non accipitur ut in corpore quæstionis patet. ad instantiam autem comentatoris, qui logicam illo in loco accipit, dico quod Aristoteles intendebat reprehendere illos, qui naturalem, & diuinam apprehendere philosophiam volebant potius quam aliter, absque logica: quasi inconueniens sit illas absque hac, addiscere. Ad secundum, iuxta auctoritatem Boethij, dico nihil adesse in logica quod optabile per se sit: si accipiatur logica ut modus, uel ut instrumentum, ac regula quæ alias scientias regulat: sed non accipitur scientia isto modo: sed ut supra dictum fuit. Ad tertium argumentum: cū dicebatur si logica esset scientia: dico quod logica artificialis mediante lumine naturali acquiritur: nec est inconueniens, quod logica acquiratur, per logicam tanquam per instrumentum, & tanquam per methodum ac modum sciendi. quemadmodum elicere ex dictis possumus.

Quæstio secunda an logica sit scientia speculatiua vel pratica.

QVæritur secundo vtrum logica sit scientia practica, vel speculatiua, & primò arguit quod sit practica; hoc modo. omnis scientia docens constituere suum subiectum est practica, sed logica est huiusmodi ergo. consequentia tenet quia speculatiua docet illud cognoscere, practica uerò illud componere. iuxta sententiam Arist. 6. Metaph. qui hanc differentiam assignat. secundo sic, omnis scientia quæ non est gratia sui, sed gratia directionis, illa est practica; sed logica est huiusmodi, ergo. maior tenet. & minor probatur; docet enim logica, quod sic est definiēdum, sic distinguendum, sic concludendum; quæ omnes qualitates, sunt operationes. ergo &c. tertio sic, omnis habitus habens conditiones praxis, seu operationis, est practicus: sed logica, huiusmodi conditiones habet. ergo.

In oppositum arguitur hoc modo. illa scientia cuius finis est scire, est speculatiua. quia finis speculationis est scire, nec potest esse practica. logica est talis. ergo. item obiectum logicæ, non est praxis, neque practicabile: ergo nec practica erit.

Pro declaratione huius quæstionis, quædam sunt notāda, & primum quid sit praxis. dico igitur, quod praxis grece, latine dicitur operatio: si volumus uniuersaliter hoc capere, omnis operatio, etiam animalis irrationalis, est praxis. potest etiam capi specialiter, sicque erit operatio hominis, secundum quod elegit hoc, vel illud agere. speculatio uerò, est operatio intellectus; finaliter ordinata, ad nihil extra genus contemplationis. secūdò est notandum, quod ad uerā praxem seu operationem quinque requiruntur: primò requiritur intellectus ostēdens finem, uoluntati, & ea quæ sunt ad finem. secundò post istam ostensionem finis, vt sequatur uolitio finis, & consilium de ijs, quæ sunt ad finem. tertio post consilium uel inquisitionem sequitur sententia, dictatiua de his, quæ sunt ad finem. quarto post sententiam dictatiuam, qua intellectus, quid sit eligendum,

dum, & quid sit fugiendum dictat, sequitur voluntas, quæ quod eligendum est acceptat, & quod fugiendum est, repudiat. quinto, & vltimo post istā electionem, sequitur immediatè, id, quod sic dictatū est. hæc omnia declaro exēplo: ut sitienti, præsentatur, aqua, volūtati (vt dicebamus in primò modo,) per intellectum, ex qua prçsentatione, capit intellectus practicus unum principiū, respectu finis, quo dictat, & sententiat, quod aqua est acquirenda, uel accipienda. secundò post illud dictatum, sequitur uolitio in uoluntate, desiderante aquam: licèt aliquando forsan non sequatur talis uolitio. tertio post istam uolitionem sequitur consilium intellectus practici, uel inquisitio, quo inquirit per quid potest facilius, & melius attingere ad aquam: scilicet, uel per seipsum, uel per alium. quartò post istud consilium sequitur sententia, qua determinate sententiat intellectus, quod aqua, melius per seipsum, quam per alium acquiritur. quintò post istud dictamē intellectus, sequitur electio hui⁹ medij determinati, puta per seipsum; qua uoluntate, uult determinate capere aquam, per seipsum, & post sumptionem sequitur intentū, nisi impediatur. sic in speculatione: speculatio est operatio intellectus ad nihil aliud extra genus cōtemplationis, idest, intellectionis, uel actus intellectus, finaliter ordinata: notandum autē est, quod ex ista definitione duæ conditiones eliciuntur, ipsius speculationis. prima est, quod sit operatio intellectus: unde sequitur quod nulla operatio alterius potentiæ quam intellectus, speculatio sit: ut nullum audire, nullum uidere, nullum uelle est speculatio. secunda conditio est, quod talis operatio, est directiua, siue regulatiua alterius potentiæ quam intellectus, immo quod sit gratia sui, sic uidelicet, q̄d non sit ordinata ad aliquid aliud quod sit praxis siue operatio. quare sequitur quod non omnis operatio intellectus est speculatio, quamuis omnis speculatio, sit actus intellectus, ut quotiescunque speculamur, quid anima sit, quid homo, quid albedo, quid cælum, quid motus, intellectu: tunc illa abstractio, illa operatio, & illa speculatio, dicitur actus intellectus. quia intellectus mouetur ad rem quam ipse considerat, ac maleus, (ut ita dicam) ad ferrum percutiendum, ac tractandum. aliaq; plura dici possunt sed ne animū incipientium cōfundamus, quæ ad praxim pertinent ommitamus.

Sit igitur hæc conclusio, quod logica est scientia simpliciter speculatiua, hoc patet, quia caret aptitudinali respectu ad praxim. & etiam quia logica est solum directiua actuum intellectus. sed nullus actus intellectus est praxis ergo &c.

Ad rationes in oppositum factas, sic procedeudum est, & primò, ad primā sic si logica docet constituere suum subiectum, per operationem intellectus practici, uerum est; sed negatur hoc, quia docet per operationē intellectus speculatiui, & hoc modo conceditur, quod constituat suum subiectum tantum. ad secundam rationem cum dicebatur. omnis scientia quæ non est gratia sui &c. dico, quod licèt logica alijs scientijs auxilium præstet, tamen est adhuc gratia sui; quia si intus consideratur, habet de quibus facere debet sillogismos, & demōstrationes. ut de demonstratione circulari, de quæsitis, de sillogismis, & huiusinodi. uel sic, hoc non ualere ad sciētiam practicā, quod non sit gratia sui: quia requiritur quod talis operatio cuius est directiua; sit praxis. ad tertiam cum dicebatur omnis habitus habens conditiones praxis. &c. dico, quod minor negatur,

quia conditiones praxis,quas declarauimus supra, logicæ non conueniunt. & ideo non valet-

Quæstio tertia. An sillogismus sit subiectum logicæ.

PRo hac quæstione,quæritur an sillogismus sit subiectum in logica: & videtur quod non. & sic primo: logica secundum Auicen. est de secundis intentionibus, adiunctis primis, sed secundæ intentiones sunt entia rationis, ergo ens rationis, est subiectum nõ autem sillogismus:secundo sic, subiectũ libri priorum est sillogismus, igitur non est subiectum totius logicæ. probatur consequentia,quia idem non est subiectum partis, & totius. ergo &c. tertio arguitur sic,sicut se habet metaphisica ad ens reale, sic logica ad ens rationis; sed in metaphis. ens reale est subiectum. ergo ens rationis erit in logica subiectum. confirmatur hoc per philosophum in quarto Metaph.dicentem, quod logicus & metaphisicus circa idem laborant,ergo. In oppositum est cõmunis opinio dicen. sillogismũ esse subiectũ logicę:quia illud est subiectũ in scientia aliqua, quod est principalissimum inter omnia considerata in tali scientia:& de quo demonstrãtur passiones,& ad quod alia omnia reducuntur, sed sillogismus est huiusmodi ergo. quia quæcunque, & in prædicamentis, & in libris de interpretatione priorum,posteriorum, topicorũ,elenchorum fiunt; propter sillogismum fiunt.vt patet ad omnes.

Ad declarationem huius quæstionis sunt quædam notanda prius: reijciẽdo causa breuitatis,contrariorum opiniones: & præcipue eorum qui ens rationis dicunt,quia & Rhetorica,& Grammatica agunt de ente rationis. primo notandum est,quod subiectum quadrupliciter potest capi. primo modo pro subiecto propositionis, vt omnis homo est animal:quia hoc nomen homo, est subiectum huius propositionis. secũdo modo vt inferius alicui superiori, vt filius, patri subiectum est. tertio modo pro illo cui accidẽtia insunt; vt materia cui insit albedo. quarto modo,accipitur pro materia alicuius sciẽtiæ,quod quidem subiectũ ab illa consideratur, vt demonstratio est subiectũ libri demonstrationis:& isto modo accipitur hic.2. not. secũdum Burleum, quod duplex iterum dicitur subiectũ alicuius scientiæ,scilicet subiectum in quo,& subiectum circa quod. subiectũ in quo cuiuslibet scientiæ, est intellectus: quia omnis sciẽtia humana est in intellectu,tanquam in subiecto. subiectum circa quod, est illud, circa quod scientia consideratur, seu circa quod, est consideratio. & tale subiectum circa quod,est duplex. quoddam est subiectum contentiuum: & est illud quod commune est ad omnia per se considerata in scientia illa. vt verbi gratia sillogismus,est subiectum contentiuum. & aliud est subiectum principale,&est id de quo principaliter cõsideratur in scientia. v. g. demonstratio est principale subiectum. nota tamen quod & demonstratio sillogismus est.tertio notandum est, quod subiectum alicuius operis,vel scientię,est triplex.scilicet, adæquatum principale, & partiale.subiectum adæquatum est sillogismus in communi, siue cõmuniter assumptus. subiectum principale, est demonstratio,quia principalis intentio in logica est versari circa demõstrationem,quę, est sillogismus scientificus. subiectum vero partiale, est vniuscuiusque libri subiectum: vt subiectum in libro prædicamentorum, est, prædicamentum, priorum sillogismus,topicorum sillogismus dialecticus, sophisticus,in elẽcho.

tho. & sic de singulis. 4. notatione dignum est, quod, ad hoc quod aliquid sit subiectum in aliqua scientia, quatuor requiruntur: duo ex parte scientiæ, & duo ex parte subiecti. primo ex parte scientiæ est, vt nihil consideret scientia, quod non sit subiectum, aut ad illud pertineat, vt quæ tractantur in prædicamentis, in libris de interpretatione, topicorum, priorum, posteriorum, elenchorum, omnia sillogismi causa declarantur. secundo, quod scientia, causas subiecti tradat: & passiones, proprietatesque. tertio, & primo ex parte subiecti, est, vt omnia contineat, quæ adæquate in illa scientia pertractantur, & vt nihil sit sub illa, quod non contineatur ab illo subiecto. quarto, & secundo ex parte subiecti, est, quod significet vnitatem scientiæ, idest, facere illam differre ab alijs sciētijs. sed quia de intentionibus mentionem fecimus, idcirco quædam sunt dicenda. Notandum est, quod logica non est de rebus, sed de secundis intentionibus adiunctis primis. declaro. (sed prius nota, quod intentio, & conceptus idem sunt.) intellectus noster, natura, est aptus ad rerum conceptus recipiendos, quæ extra sunt, vt illas repræsentant. aliæ intentiones sunt vel dicuntur primæ, & aliæ secundæ. cōceptus primus dicitur prima intentio: secundus verò, secunda intentio: vt concipio in mente mea naturam humanam, sed absolute considerando illam esse substātiam animatam, rationalem. & sic habeo conceptum primum. deinde considero hominem participare eiusdem naturæ, quatenus ad Franciscum, & ad sortem pertinet, iste dicitur conceptus secundus. & iste conceptus dicitur cōceptus abstractus a primo. qui est conceptus rei. conceptus vero rationis sic considerantur: quod nomina rerum existentium extra animam sunt primæ intentiones, vt homo. & hoc nomen animal, albedo, nigredo. sed conceptus abstracti ab istis, significantur per nomina secundæ intentionis. stantibus igitur his, dico quod logica, non considerat de hisce vocibus, si vt primæ intentiones accipiuntur: sed si accipiantur, vt secundæ intentiones, puta quod homo sit species, & animal genus, hoc subiectum, illud verò prædicatum propositionis, sic in logica considerantur. quia omnia hæc vt adiunctis primis considerantur, quod clarū me fecisse puto. sit igitur conclusio quod sillogismus vniuersaliter acceptus est subiectum in tota logica; quia sibi conueniunt omnes conditiones su prapositæ, est enim causa omnium passionum quas supra posuimus. quidquid teneant alij, siue sit ens rationis, siue argumentatio, siue aliud, ego cum communi opinione descendo.

Ad rationes in oppositum factas sic est respondendum, & primo ad primā, cum dicebatur logica est de secundis intentionibus ergo &c. dico quod & aliç scientiæ sunt de secundis intentionibus: tamen pro subiecto huiusmodi quod dictum est, non habent. & etiam est de illis vt primis adiunctis; ad secundam cum arguebatur, sillogismus est subiectum libri priorum, ergo: dico, vt in corpore quæstionis dictum est, quod subiectum est triplex, ideo tunc partiale est. & non est inconueniens esse minoris quantitatis totum, in aliqua parte, quam in ipsa tota sciētia. Ad tertium cum dicebatur sicut se habet metaphisica ad ens reale, sic logica, ad ens rationis, &c. Respondeo, & dico non esse simile de ente reali, respectu metaphisicæ, & de ente rationis, respectu logicç: ideo nō esse verum hoc subiectū esse. ad confirmationē secundū Arist. dico quod si logicus, & metaphisicus, idē cōsiderāt, nō tamē

hoc,

hoc, eodē modo cōſiderant, ſed diuerſi mode. qa Metaphiſicus, p ſe, circa illa verſatur; logicus uerò, per accidens; & vt ſecundis intentionibus adduntur. & hæc ſatis pro quæſtione tertia. ad tractatum quinque uocum breuiter accedamus. ommitto alias quæſtiones quæ poſſunt fieri, ſed ne mentes iuuenum confundam illas pertrāſeo. quæramus potius ueritatem quam ſophiſticationem.

De Genere.

QVia logicus circa diuiſiones, diffinitiones, argumenta, uerſatur: idcirco de quinque prædicabilibus, quæ illis ſeruiunt breuiter dicam. & primò ſciendum eſt quod prædicabile, & vniuerſale idem ſunt, ſed differunt ratione. prædicabile enim eſt, id, quod aptū natum eſt, dici de pluribus; & uniuerſale eſt id quod aptum natum eſt eſſe in pluribus. ſed quoniam inter hæc prædicabilia, genus, ſecundum communem opinionem eſt primū, abillo incipiendum eſt. & primò dico quod genus (vt ſpectat ad logicum) eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, in eo quod quid eſt; ut animal prædicatur de pluribus differentibus ſpecie: propterea quod prędicatur de homine, qui quidē homo, eſt una ſpecies, & de leone, qui eſt alia ſpecies, & de cane, qui, eſt alia ſpecies: & ſic de ſingulis: quæ quidem omnes ſpecies, differunt inter ſe. tamen hoc nomen animal reperitur in omnibus: nec homo, diceretur homo, niſi eſſet animal; neque leo, leo, niſi animal eſſet. quia hoc eſt in illo intrinſece, & ſubſtantialiter. ſi autem diceret aliquis quod genus & ſpecies idē ſunt, quia eādem eſſentiam dicunt: igitur idem ſub ſeipſo non ponitur. Reſponddeo, dico, quod licèt genus & ſpecies dicant eandem eſſentiam, non tamen dicunt illam ſub eodem modo eſſendi, ſed ſub diuerſis. quia genus dicit illam eſſentiam ſub eſſe confuſo, & communi: ſpecies uerò dicit eam ſub eſſe determinato per differentiem. erit cōcluſio ergo, quod genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie. & reperitur in ſuis ſpeciebus intrinſece, ac ſubſtantialiter, ita vt ſpecies non eſſet, niſi genus eſſet. primò igitur, ſecundū Petrum Hiſpanum, in ſecundo tractactu de prædicabilibus. Notandum eſt, qđ differre (quia in difinitione adeſt) dicitur tripliciter. differre genere, numero, & ſpecie. differre genere eſt, quę ſub diuerſis generibus continentur ut homo & pomum; homo enim continetur ſub genere animalis, & pomū ſub genere arboris. econtra ſe habet, idem genere quia quæcunque ſub uno & eodem genere continentur: dicuntur, idē ut homo, & leo: ſub genere animalis ambo continentur. Differre ſpecie, eſt quæ ſub diuerſis ſpeciebus continentur: ut ſocrates ſub homine, & Brunellus ſub ſpecie aſini. econtra, idem ſpecie, ſe habet. ut ſocrates, & platō, ſunt idem ſpecie quia ſub homine cōtinentur. Differre numero, eſt quæ diuerſum numerum conſtituunt, ut ſocrates, & plato, differunt numero. quia unus conſtituit unum numerum, & alter, alterum. econtra, idem numero: quia quæ conſtiuunt unum numerum, & plura ſunt, nomine, dicuntur idem numero. ut Marcus Tulius Cicero, quę tria ſunt nomina & unam rem tantum denotāt: dixi in quid, quia ad interrogationem factam per quid reſpondetur. ut ſi quis dicat quid eſt homo, reſpondetur, quod eſt animal.

An genus poſſit ſaluari in vnica ſpecie.

QVæritur an genus poſſit ſaluari in vnica ſpecie, & arguitur quod ſic: quia

quia essentia generis est simplex, & indiuisibilis, ergo ubi est. tota est. sed est in unica specie. ergo. In oppositum est authoritas domini Alberti. scilicet. qđ non potest esse genus nisi in duabus speciebus: eo quod species exit a genere per differētias oppositas: quæ simul cum genere. species constituunt. pro quo notandum est. genus posse saluari in unica specie. dupliciter intelligi posse. uno modo secundum eius essentiam: ut animalitas. alio modo secundum eius potestatem. hæc autem duo differunt inter se: scilicet. essentia. & potestas. namque essentia est fundamentum ipsius potestatis. potestas uerò. est relatio aptitudinalis. quę dicitur communicabilitas generis ad plures species. hæc iterum subdiuiditur. & dico quod genus posse saluari in unica specie secundum suam potestatem: intelligitur dupliciter. uno modo formaliter. & subiectiuè: alio modo terminatiuè. & completiuè. stantibus ergo his. dico quod genus posse saluari in unica specie. patet: quia essentia generis sicut ait philosophus. est indiuisibilis. ergo ubi est. ibi tota est. sed in unica specie est. ergo &c. sit & hæc pro secunda conclusione, quod genus per suam, uel secundum suam potestatem formaliter, & subiectiuè potest saluam in unica specie: quia ratio formalis ipsius potestatis, communicabilitas est; quæ quidem communicabilitas, est formaliter in sua essentia: cum fundamētalis relatio ubique sequatur fundamentum, tanquam suum subiectum. igitur si tota essentia generis saluari potest in unica specie. ergo etiam sua potestas formaliter, & subiectiuè potest sit hoc pro tertiò documento, quod genus terminatiuè, & completiuè non potest saluari in unica specie, secundum potestatem. & hoc patet quia potestas generis est quędam relatio fundamentalis uel aptitudinalis ipsius essentiæ, ad species oppositas, terminata. ideo dicit Boetius in libro de diuisionibus, sub genere, minus duab' speciebus esse non potest, & Aristot. in quartò topicorum habet, quod si species de ęqualibus cum genere prædicatur, interimitur id quod pro genere ponitur: quia oportet ut semper species, minus, quam genus prædicetur. addit etiā dominus Albertus. quod & si unica daretur species, puta hominis: tamē animal adhuc prędicaretur de homine ut genus: quia natura sua, & potestate, animal ut genus, est qđ diuidatur per oppositas differentias. ex his quæ dicta sunt patet solutio. Notandum est quod genus logicum est duplex, scilicet genus generalissimum, supra quod non est aliud genus, & genus subalternum, quod est genus respectu inferiorum, & species respectu superiorum.

De Specie.

Species aliquando pro forma accipitur, ut species ueneris digna est corona. sed nos dimitētes hanc, ad illam, quæ ad logicum ptinet præcurramus. species igitur est quæ ponitur sub genere determinato. vel species, est quo I prædicatur de pluribus differentibus numero. & in hoc a genere differt, quia id, de pluribus differētibus specie, hęc autem de pluribus differētibus numero. ut homo qui species est, de plurib', ut de socrate, de petro, & platone prædicatur. qui quidem homines sunt indiuidui. idcirco indiuiduum est quod de uno solo prædicatur. ut de platone, & hoc quadruplex est, determinatum ut socrates, uagum ut aliquis homo, eo quod non determinamus, quamuis singularē hominē denotamus. indiuiduū demonstratiuum vt hoc templum, hic æquus. indiuiduum suppositiuum ut filius Ma-

lius Mariæ Virginis. quia tunc ſupponimus illam nõ habuiſſe niſi vnum filium: qui Ieſus dicitur. Ad ſpeciem igitur, dico quod prædicatur in quid, qa ſi aliquis interrogetur quid eſt homo: reſpõdebimus rectè quod ſit rationale animal: vel quid eſt ſocrates? eſt homo. Si autem diceret aliquis materiã prædicari in quid de hac, & illa materia, quæ omnes differunt numero, tamen non eſt ſpecies, quia nõ eſt forma totius, vt patet. ergo &c. Secundo poſſet dubitari: quia genus in quid prædicatur de pluribus differentibus numero, & tamen non eſt ſpecies: ergo. Ad primum ſic breuiter dico: quod licet materia prædicetur in quid ſecundum modum: nõ tamen prædicatur in quid ſecundum rem: propterea quod nõ dicit eſſentiam huius, & illius materiæ, niſi ſecundum modum tantum. & ſic dicitur ſpecies, ad ſecundum dico, qđ licet genus prædicetur in quid de pluribus differentibus numero; hoc non agit immediate, vt ſpecies, ſed mediate. Hæc autem ſpecies duplex eſt, ſcilicet, ſpecies ſpecialiſſima, & ſpecies ſubalterna. ſpecies ſpecialiſſima, eſt illa, ſub qua nõ eſt alia inferior ſpecies. vt homo ficus. &c. Species ſubalterna eſt illa, quæ cum ſit ſpecies, poteſt eſſe genus vt animal, corpus, vt patebit inferius in figura. ſciendum aũt eſt, quod ex duabus vniuerſalibus, nempe ex genere, & ex differentia, reſultat ſpecies. declaro exemplo. Sed primo notandum, quod differentia, quæ diuidit genus, dicitur diuiſiua: & quatenus ingreditur compoſitionem ſpeciei, dicitur compoſitiua. vt (& declaro exemplũ ſupra) per compoſitionem ſpeciei hominis, accipiatur animal. ſed quia hoc nomen animal alijs quam homini cõpetit; idcircò illud, per vnam differentiam aſtringemus, puta diſcurſiuum: & ſic hominis ſpeciẽ, cõponemus, vt animal diſcurſiuũ: ſic colori, ſi addemus hanc differentiam, puta diſſipatiuum viſus: albedinem cõponemus. ſic addendo animali; Hinnibile: ſpeciem equi. & ſic de ſingulis: ſemper. n. per genus, & differentiam, componemus ſpeciem. dico ergo quod iſta differentia quatenus diuidit hoc genus animal dicitur differentia diuiſiua, quatenus verò, ingreditur cõpoſitionem hominis; dicitur differentia compoſitiua. patet ergo quomodo componatur, & reſultet ſpecies ex his: hocq; vniuerſale intrinſece, & ſubſtantialiter adeſt in ſpecie: ita vt non eſſet diſcurſiuum (naturaliter) niſi eſſet homo: quemadmodum & in genere non eſſet homo, niſi eſſet animal quod eſt genus. ſi autem diceret aliquis, homo eſt ſpecies ſpecialiſſima: & tamen habet ſub ſe virũ, & mulierem quæ differũt ſpecie, ergo ſpecies ſpecialiſſima habet alias ſpecies ſub ſe. Reſpondeo & dico, quod quamuis mulier, & vir, differant ſpecie; non tamen differunt ſpecie ſubſtãtiali; ſed ſpecie accidentali, ſ. per naturalem potentiam & impotentiam: quæ ſunt ſpecies qualitatis.

Hæc

Hæc est Figura in prædicamento substantiæ.

	Genus generalissimum	
differentia.	substantia	differentia.
Corporea vt homo		Incorporea vt Angelus.
differentia		differentia
Animatum	Corpus	Inanimatum.
differentia.		differentia.
Sesibile vt animal.	Corpus animatum.	Insensibile vt lapis.
differentia.		differentia.
Rationale vt homo	Animal	Irrationale vt Leo.
differentia.		differentia.
Mortale vt homo	Animal rationale.	Immortale vt anima.
Socrates	Homo	Plato.
	Species specialissima.	

& hæc sunt quæ volui ad explanationem huius: Sed duo breuiter quæro. primum quia Sol, & Luna sunt species, tamen non prædicantur de pluribus differentibus numero cum constat econtra. ergo &c. Secundo quæritur vtrum specierum multiplicatio possit abire in infinitum, & videtur quod sic: quia vt inquit Aristoteles in Metaph. species rerum, sunt sicut numerus: sed numerus in infinitum multiplicatur. ergo. ad primum dico, quod licet Sol, & Luna non prædicentur de pluribus secundum istam conditionem; tamen secundum aliqnam, prædicantur;scilicet, secundum communicabilitatem: ad secundum dico, quod species rerum non sunt omnino sicut numeri,quantum ad omnia; licet sint sicut ipsi quantum ad aliqua. quia sicut numerus non suscipit magis neque minus; sic nec species. & sicut numerus (ad Metaphis. propositionem respondeo) diuiditur in indiuisibilia, sicque species: & sicut etiam quacunque vnitate addita, vel subtracta variatur numerus; sic etiam quælibet differentia addita variat speciem: sicutque numerus non est vnus per aliquid extrinsecum ita nec species. & hæc sunt quæ volui de ipsa specie, satisque me fecisse clarum puto.

De Differentia.

QVoniam est regula generalis, vt æquiuoca prius distinguatur quã definiantur: idcircò dico qnod differentia tripliciter dicitur, scilicet communiter,propriè,magis propriè.communiter differentia est quando aliquis differt ab aliquo,aut a seipso,accidente separabili.puta aliqnis sedens,a deambulãte, quia hæc differentia potest separari per deambulationem,vel sessionem.propriè differentia est qua vnũ differt ab alio, inseparabili accidente vt claudus ab erecto.hoc enim accidẽs non potest separari naturaliter: magis propriè differẽtia, est cum aliquis differt ab aliquo specifica differentia: vt homo differt ab equo: eo quod sunt duæ species diuersæ; de hac enim debet esse sermo. Si verò diceret aliquis, Antonius, & Petrus differunt essentialiter: & tamen non differunt accidente separabili, neque inseparabili,neq; differentia specifica: igitur si nulla harum; quomodo sufficienter sunt assignatæ differentiæ? Respondeo ad hoc breuiter,& dico: qnod & si Antonius, & Petrus differant essentialiter: hoc fit originaliter per differentiam materialem, non autem per differentiam for-

malem: quia hic posuimus differẽtias, quę faciunt per formam solum differre: non autem per materiam: erit ergo hæc definitio, quod differẽtia, est quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quale, vt rationale. dicitur magis propria per respectum ad differentiã propriam, eo quod magis facit differre: illa accidentaliter, hæc verò, specificè. differt etiã ab alijs tripliciter. primo quia hæc facit aliud & alteratum simul differre essentialiter, & ex consequenti accidentaliter quoque: aliæ verò faciunt alteratum tantum. Secundo quia differentia magis propria, est differentia per se, aliæ verò per accidens. Tertio communis & differentia propria suscipiũt magis & minus, hæc autem non suscipit. Diximus prędicari in quale: propterea, quod ad interrogationem factam per quale, respondetur: vt si dicas qualis est homo, rectè respondebimus, quod sit rationalis, si autem diceret aliquis, quod & accidens prædicatur de pluribus differentibus specie in quale; & tamen non est differẽtia: igitur hæc diffinitio, alijs quam definito competit. Respondeo breuiter: quod licet accidens prædicetur in quale accidentale: non tamen prædicatur in quale essentiale: ideo & hoc prædicabile reperitur intrinsece, & essentialiter in sua specie: ita vt, nõ sit rationabilitas, nisi sit animal rationale. Notandum autẽ est, quod differentiæ sunt in genere, & in specie: sed diuersimode. in genere sunt, potestate seu potentia: in speciẽ verò, actu. Iterum notandum est secundum Alber. quod quinque modis aliqua dicũtur esse in genere: primo modo per modum participantis & participati: hoc namque modo, genera, species, & indiuidua sunt in genere. secũdo modo, per modum viæ ad rem generis; & sic motus & mutatio, sunt in genere. tertio modo, per modum principij generis: sic forma & materia, sunt in genere substãtiæ. quarto modo per modum principij non constitutiui, sed vnde fluunt naturæ generum secundũ imaginationem: & sic punctus, & vnitas sunt in genere quantitatis. quinto & vltimo sunt quædam in genere sicut in principio suæ inchoationis: & sic differentiæ sunt in genere tanquam in principio suæ inchoationis. Notandũ tertio quod eadem differentia dicitur diuisiua, & compositiua: diuisiua generis, & constitutiua speciei: vt diximus in præsenti. Quarto notandum quod actus differẽtiæ sunt tres. primus actus est diuidere genera: & ab hoc dicitur diuisiua. secundus actus est constituere speciem sub genere, quod diuidit: & ab hoc dicitur constitutiua, seu compositiua. tertius actus est, quod facit differre speciem quam cõstituit ab alijs: & sic dicitur differentia. Quinto notandum est, compositionem dici dupliciter: alia est compositio realis, & alia rationis. realis compositio est quæ habet extrema realia distincta: vt est cõpositio hominis ex anima & corpore quæ sunt realiter distincta: compositio rationis, est in qua extrema sola ratione distinguuntur, vt compositio speciei ad genus & differentiam non sunt compositiones reales, sed secundum compositionem rationis tãtum. Sexto notandum quod vnumquodque diuiditur per ea p quæ cõponitur. sicut aliqua res ex suis partibus componitur, sic in suas partes diuiditur, & quia species ex genere & differentia componitur, sic per illa diuidi debet. sed dicet aliquis quod diuidere & constituere, sunt actus appositi: igitur eadem differentia non potest dici diuisiua, & constitutiua. Respondeo, quod diuidere & constituere comparata secundum idẽ, & ad idem opponuntur equidem: sed si comparantur ad diuersa, vt patet in differentia, tunc non opponuntur, potest

test ergo dici diuisiua, & compositiua, satis me de hac dixisse puto.

De Proprio.

Expedito capite de differentia acce dẽdum est de proprio: & primum dico, quod proprium iuxta communẽ opinionem quadrupliciter dicitur. primo modo dicitur propriũ quod inest alicui soli, speciei; sed non omni indiuiduo contento sub illa specie. vt, medicum, vel Geometram esse competit soli homini, & non omni homini, sed aliquibus, quoniam non omnes homines sunt medici. secũdo modo dicitur propriũ quod inest omni, sed non soli: vt bipedem esse, cõpetit omnibus hominibus non autem indiuiduo tãtum. tertio modo dicitur proprium quod inest omni & soli: sed non semper: vt canescere in senectute; competit quidem omnibus hominibus, sed nõ semper canescunt. vltimo modo dicitur proprium quod inest omni, & soli, & semper. vt risibilem esse hominẽ: ita vt nõ detur aliquis homo nõ sit risibilis, q͂d nõ semper rideat, sed semper aptus est ad ridẽdũ. sic hinnibilitas inest soli equo, & semper est aptus, ad huiusmodi proprietatem. sic canis ad latrandũ, & soli competit. sed diceret aliquis: quod id quod omni competit, multis est commune, eo quod multis conueniat: sed proprium quarto modo non est commune: igitur. omnibus nõ cõpetit. Respondeo breuiter & dico: q͂d licet proprium comparatum ad speciem non dicatur commune, sed proprium: tamen respectu indiuiduorum speciei, dicitur & vniuersale, & commune. ergo &c. primo notãdum est: quod illud vniuersale, quod in pluribus reperitur, non essentialiter sed accidentaliter o; alter duorum modorum erit. vel reperitur, vt accidens quod ibi maneat, & tamen possit absq; illius subiecti corruptione manere, vt albedo in pariete: quę ibi põt manere, & auferri absque eo ꝙ essentia parietis destruatur: & sic erit accidens; hoc vniuersale. si autem reperietur (quamuis non essentialiter) tam intrinsece quod non possit tolli absque subiecti corruptione: tunc dicetur hoc vniuersale accidens proprium, vt risibilitas nõ potest auferri absque corruptione hominis. sic fletus, risus, & huiusmodi. & hinnibilitas, in equo. sunt autẽ propria accidentia, eo q͂d essentialiter non insunt. neque in definitione reperiuntur. definitio enim, est oratio quid est esse rei significans; secundum Aristo. 7. Topic. ergo proprium quia non indicat quid est esse rei: erit accideus. secũdo notandum est, quod proprium causatur a proprijs principijs speciei: quemadmodum risibilitas causatur a proprijs principijs ipsius hominis. per hoc. n. quod homo est rationalis, & intellectiuus in admiratione cadit: & ex ista admiratione cadit in inquisitionem veritatis: & eX inquisitione fit apprehensiuus delectabilis; vnde in eo risibilitas causatur: aut etiam tristabilis, vnde fletus causatur: sed dicet aliquis, q͂d accidentia magnam partem conferũt ad cognoscendum quod quid est; (idest essentiã) & specialiter accidentia propria secundum Arist: in lib. de anima. igitur proprium cognoscere facit, q͂d quid est speciei. secundo omne vniuersale dicit totũ esse sui subijcibilis: sed proprium nõ dicit totum esse speciei, nec indiuidui ergo non est prædicabile. ad primum dico pro solutione, q͂d duobus modis, cognoscitur, quod q͂d est rei: a posteriori, & a priori: licet igitur proprium faciat cognoscere a posteriori & quo ad nos; non tñ a priori tanquam principia essentialia rei dicens. ad secundum dico, quod propriũ non dicit totum esse essentiale rei, & speciei & indiuiduorum: tamen dicit

totum esse accidentale. prædicatur autem proprium in quale accidẽtale, ad differentiam differentiæ quæ prædicatur in quale essentiale, vt risibilitas de homine, quomodo ergo se habeat proprium, nempe vt accidentia in suo subiecto, patet ex his q̃ dicta sunt. ad accidẽs, qđ ẽ vltimũ p̃dicabile acccdamus.

De Accidente.

ACcidens illud est qđ adest & abest preter corruptionem subiecti: vt albedo in pariete, sedere, non sedere, hęc inquã omnia possunt inesse, & non inesse homini; præter subiecti corruptionẽ. Notandũ autẽ est qđ accidens dupliciter capi põt vno modo cõiter pro omni eo qđ est cõtra substantiã, & aduenit rei post eius esse completum: sicq; oẽ illud qđ non est substantia est accidẽs. alio modo capitur spẽliter qđ aduenit rei post eius esse completũ & a proprijs principijs indiuidui non dependet. & hoc modo accidens ab alijs est p̃dicabile separatũ: & hoc, non primo modo accipit in quo ẽt proprium continet, secundo notandũ qđ accidẽs cõe, põt accipi duobus modis siue considerari: vno modo secundũ esse particulare eius, qđ habet accidentaliter in suo subiecto: & sic nõ capitur hic. scdo secundũ esse vniuersale eius, & sic capitur vt ens necessariũ sub quo multa attribuũtur ex necessitate, sed diceret aliqs qđ viuere est accidẽs, cum nõ sit de essentia viuentis; sed viuere nõ põt abesse præter subiecti corruptionẽ. ergo secundo, cõtra definitionem sic. in nulla definitione debent poni oppo- in sita: sed ista sunopp osita, puta adesse, & abesse ergo. tertio sic, mors est accidens, & tñ non põt adesse p̃ter subiecti corruptionẽ ergo. Rñdeo breuiter, & primò ad primã rõnem sic: qđ viuere capitur duob. modis. primo p̃ esse substantiali viuentis, secundũ qđ viuere viuentib. est esse: & isto modo viuere non est accidẽs. scdo modo capi põt p̃ operationib. viuẽtis, vt sunt audire, videre, gustare, sic est accidens & põt abesse p̃ter subiecti corruptionẽ, ad secundã dico qđ adesse & abesse vt actũ præsentiæ, & absentię dicũt, opponuntur, neq; eidẽ possunt inesse simul: sed vt dicut aptitudinẽ quandã pñt esse simul, & nõ opponuntur. ad tertiã dico; mortẽ accipi dupliciter, uno mõ materialiter, vt dicit alterationẽ, q̃ alteratio p̃cedit corruptionẽ uiuẽtis, & sic põt adesse & abesse p̃ter subiecti corruptionẽ: alio mõ capi p̃t formaliter. i. p̃ mutatione, & corruptione viuẽtis, qua mutatur de esse, ad nõ esse, & sic nõ est accidẽs, sed mutatio substãtialis. est ẽt accidẽs qđ neq; genus, neq; species, neque dña, neq; propriũ est. Si vero dicat qs qđ color albedinis ẽ genꝰ ergo &c. dico qđ licet color sit genus respectu inferiorũ, & species respectu superiorũ: tñ nõ est genꝰ respectu sui subiecti: sed accidẽs. Notandũ est qđ accidẽtiũ aliud separabile, & aliud inseparabile est. separabile vt albedo in hoie. inseparabile vt nigredo in coruo, albedo in niue. (aduerte tñ qđ abstracte põt separari, & albedo & nigredo.) abstrahẽtiũ. n. nõ est mendaciũ. Itẽ notandũ est, qđ accidentiũ aliud cõe est vt albũ, nigrũ, sedere, ambulare, simum. & aliud particulare vt albedo Socratis, & nigredo Aetiopis. Sed diceret aliqs sicut nõ esse in subiecto est p̃priũ substãtię, sic esse i subiecto est propriũ accidẽti, vt patet i p̃dicamẽtis: ergo accidẽs nõ est separabile, sed semper est in subiecto. Rñdeo & dico, qđ licet esse i subiecto in aptitudine semper cõpetat accidẽti; tñ esse in subiecto in actu, nõ semper sibi cõpetit simpliciter, sed p̃ spatium temporis, i. quadiu durat: idcirco separari põt. & hæc me dixisse volui, ad maiorẽ facilitatẽ aliorũ librorũ, circa vniuersalia: ad librũ p̃dicamentorũ accedamus. sed prius q̃dã dicẽda sunt.

FINIS TRACTATVS.

COMMENTARIA
IN LIBRUM PRAEDICAMENTORUM, UTRUM DE X. PRAEDICAMENTIS HABEATUR SCIENTIA.

QVoniã ordo doctrinæ postulat, vt a simplicioribus sit incipiendum, & quia prædicamenta, sunt huiusmodi: ab illis igitur incipiam. sunt enim de conceptibus soiunctis, ex quibus fiunt propositiones, & ex propositionibus sillogismi. ad quęstionem ergo. arguitur pro parte negatiua: & primo sic, de prædicamentis est scientia metaphisicalis cum decem prædicamenta sint partes subiectiuæ entis, ergo non logicalis. secundo sic omne qd scitur, scitur p demõstrationem & definitionem: sed de prædicamentis non datur definitio ergo. &c. tertio sic, illud de quo habetur sciẽtia debet habere aliquid prius, per quod passio demonstretur de ipso; sed decẽ prædicamenta nõ habẽt aliquid prius ipsis, cum sint prima principia. ergo.

Ad quæstionis huius dilucidationẽ quædam prius sunt notanda. & primo, quod decem prædicamenta possunt cõsiderari dupliciter: vno modo inquantum sunt entia; alio modo, inquantum a ratione considerantur, vel quatenus aliqua proprietas ab intellectu causata, eis attribuitur. primo modo considerantur a metaphisico, & subiectum eius est ens, quatenus ens. secundo modo considerantur a logico: ostenduntur enim de ipsis passiones sibi inherẽtes: quatenus sunt generalissima: puta substantiã vniuoce prædicari. & sic de reliquis. vel dicatur sic, quod prædicamentum capitur dupliciter vno modo primò intentionaliter, & sic non est aliud quam illud quod est communius in aliqua coordinatione, quemadmodũ est substantia in coordinatione substantiæ: & quantitas in coordinatione. quantitatis. & hoc modo ad metaphisicum spectant. alio modo secundo intentionaliter, vt est intentio secunda attributa cõmuniori alicuius coordinationis, sicut substãtiæ, & quantitatis. & huiusmodi: & sic a logico considerantur.

de subiec.

rantur. His visis dico ad quæstionem, quod de decem prædicamētis habetur scientia: & in quantum sunt decem res considerantur a metaphisico. & quatenus sunt prima entia. secundo de decē prædicamētis, habetur notitia, vt sunt de consideratione logici negocij, sub habitudine ad secundas intentiones. Notandum autem est prędicamentum esse subiectum huius libri, ordinabile in genere secundum sub, & supra. secundo sciendū, quod philosophus hoc in libro agit de vocibus incomplexis; idest, (vt inquit Boeth.) de primis rerum nominibus, & de vocibus res significantibus disputar. & propter hoc in antepraedicamentis, inquit, eorum quæ dicuntur &c. sed diceret aliquis, quod iste liber est de decem prædicamētis; si igitur principaliter esset de decem vocibus, sequeretur decem prędicamenta esse decē voces: sed omnis vox, est in genere qualitatis: ergo omnia prædicamenta sunt in genere qualitatis, quod est dicere vnum esse prædicamentum. Secundo posset dubitare quis, quod omne, ad vnum reducitur: sed prædicamenta sunt omnia: ergo prædicamentum vnū, & per consequens non erunt decem. ad primum dico breuiter quod intentio Aristotelis est determinare de partibus enunciationis, sed partes enunciationis nō sunt res sed voces, seu conceptus. ad secundum dico, quod omne reducitur ad vnum collectiuè, quæ continentur sub illo, sed prædicamenta omnia non reducuntur collectiue: vt faciunt omnes substantiæ quæ reducuntur ad vnū genus generalissimum: quod est substantia.

Intentio reduci ad unum [illegible].

Ad rationes principales sic procedendum, & primo ad primam patet solutio ex his quæ dicta sunt. scilicet, quatenus sunt entia, & quatenus ab intellectu, siue vt melius dicam a ratione considerantur: si primo modo a metaphisico considerari debent: si verò secundo modo; tunc dico spectare ad logicum. ad secundam cum dicebatur, omne quod scitur, scitur per demonstrationem, & definitionem & cætera. dico quod prædicamentum capiatur quomodocunque quod habet definitionem, seu descriptionem eo modo quo potest habere. ad tertiam cum dicebatur: illud de quo habetur scientia debet habere aliquid prius. dico quod licet prædicamenta non habeant principia formalia, & vniuoca, tamen habent principia effectiua: ideo de ipsis vt in vnum commune reducuntur potest esse scientia, & hæc sint satis pro quæstiuncula. ad diuisionem libri accedamus.

De diuisione libri prædicamentorum.

Diuiditur iste liber per quindecim capita, & tractatus tres, vnusquisque Tractatus quinque illorum possidet. habentq; hæc omnia de diuisionibus, definitionibus, regulis Primus tractatus, dicitur de ante prædicamentis; secundus de prædicamentis. tertius de post prędicamentis. inscribitur liber prædicamentorum; quia prædicamentum significat ordinem quarundam rerum: quæ quædam sunt communiores, & quædam minus communes: vel are considerata nomen habet. Primus tractatus incipit AEquiuoca. secundus ibi substantia autem est. tertius ibi de oppositis autem. Primum igitur caput habet tres definitiones, quarum prima de æquiuocis, secunda de vniuocis, de denominatiuis est tertia. quantum verò spectat ad primum dicamus.

INCIPIT LIBER ARISTOTELIS.

Tract. Prim.

CAP. I.

AEquiuoca dicuntur quorum nomen solum commune est, secundum verò nomen ratio substantiæ diuersa, &c.

PRo declaratione huius contextus quædam sunt prius notanda. quoniam omnis res aut nomine, aut definitione (vt inquit Boet.) monstratur. idcirco Aristoteles volens ostendere quæ sint æquiuoca, ab ipsa definitione incepit. notandũ igitur est quod æquiuocum aliquando capitur pro nomine ipso habẽte plura significata, idest, plures significationes: vt patet in hac dictione canis: quæ plura significat, scilicet, animal terestre, quod domum seruat, ac custodit: & sydus cæleste; & animal marinum, quas tres significationes, quis dubitat non esse diuersas? aliquando capitur æquiuocum pro ipso significato, & sic illa significata dicuntur æquiuoca, & nomen dicitur æquiuocum. secundo notandum quod æquiuoca sunt in duplici discrimine, scilicet, æquiuoca æquiuocantia, & æquiuoca æquiuocata. declaro exemplo: si accipiatur hoc nomen canis, diuersis rationibus plura significãs: tũc est æquiuocum æquiuocans. si autem accipiantur res, per quod nomen habeut significationem, tunc est æquiuocum æquiuocatum. vt sydus, canis terrestris, & marinus sunt res diuersæ. & hæc definitio allata ab Aristotele competit æquiuocis æquiuocatis: non autem æquiuocis æquiuocantibus, quoniam æquiuoca æquiuocata solum habent nomẽ commune, vt patet in definitione, & non æquiuocantibus quæ rationes diuersas habent. tertio notandum iterũ quod æquiuocum æquiuocans, & æquiuocum æquiuocatum duplex est, nẽpe æquiuocum a casu, & æquiuocum a cõsilio. æquiuocum a casu dicitur illud, quod plura habet significata æq; principalia, ita vt nõ vnum significet propter similitudinẽ cum altero, siue relationem ad alterũ. vt hæc dictio canis, est æquiuocum respectu animalis marini, terrestris, & cœlestis syderis. sic malus significat æque & arborem nauis, necnon pomiferam. sicque de reliquis. æquiuocum a consilio illud dicitur, quod plura habet significata, sed vnũ principalius & aliud minus principale, scilicet, habet relationem ad principale. vt homo significat viuum hominem, quod est principale significatum, & imaginem pictam, siue sculptam quod est significatum minus principale. sic Cæsaris imaginem, cum viuo Cæsare, & de similibus. quarto notandum est, qđ nomen dicitur commune dupliciter: vno modo secundum uocem, alio modo secundum significatum. secundum vocem vt hæc dictio Socrates, quæ est communis ad hunc & ad illum Socratem. secundum significatum vt humanitas quæ est communis ad omnia eius indiuidua. hic sumitur ꝑ nomine cõmuni secundum vocem, non autem secũdum significatũ. quinto notabimus quod ratio substantiæ dupliciter capi potest; vno modo specialiter, alio modo generaliter: specialiter capitur pro definitione essẽtiali, siue quidditatiua veræ substãtiæ, quæ est ꝑ se: & isto modo nõ accipitũ hic. ratio est propterea qđ ĩ accidẽtib. nõ essent æquiuoca, cũ definitionem essentialem nõ habeãt: i. ratione substantiæ, cũ accidentia sint. Generaliter capitur, pro quacunque definitione quidditatiua, tã substantiali, quã acci-

accidẽtali,quę explicat illo modo quo dẽt essentiam rei .& hoc mõ capitur ratio substantiæ æquiuocorum esse diuersa,non autem primo modo;sed diceret aliquis quod canis terrestris , & marinus piscis sunt æquiuoca æquiuocata, & tamen non habent solum nomen cõm une , sed etiam conueniunt in ratione , seu definitione corporis animati , habentq; vnam rationem communem: igitur male dicitur ab Aristotele,quod habeant solum nomen commune:cum definitionem quoque habeant. secũdo sic,in verbis est æquiuocatio, & tamen ibi non adest nomen commune . ergo definitio insufficiens est. Respõdeo breuiter et primo ad primum, quod licet canis latrabilis,marinus piscis habeãt vnam communem rationem,vt conueniunt in corpore animato, non tamen habent hoc , vt conueniunt in nomine canis, ad secundum dico , quòd si verba capiuntur specialiter pro voce,quæ significat per modum permanentis, sicut habitus,& quietis,& vt pars orationis distincta contra verbum tũc in verbis non reperitur nomen . sed si capiatur generaliter,prout est signum illius quod in mente cõcipitur sic põt verbũ dici nomen . est sexto notandũ, scd'm Boet.quòd iste liber est Aristotelis,nec vllius alterius potest esse,quoniam breuitas, ac subtilitas ipsa ab Aristotele non discrepat. quamuis quidam posteriores suspicati sunt non esse Aristotelis , quoniam & Architas duos libros composuit,& in primo de decem prædicamentis egit. in qua sententia est Iamblicus Philosophus acutissimus, Themistius autem hoc non consentit. Septimo notandum est, secundum Burleum , quod æquiuoca sunt vniuoca, alio,& alio modo : nã accipiendo æquiuoca pro æquiuocis æquiuocatis : & vniuoca pro vniuocis vniuocatis : tunc verum est dicere , quòd æquiuoca sunt uniuoca: quoniam æquiuoca æquiuocata sub uno nomine,sunt uniuoca uniuocata sub alio nomine:nam animal latrabile, & piscis marinus , sunt æquiuoca æquiuocata sub hoc nomine canis : est vniuoca uniuocata sub hoc nomine animal:ergo æquiuoca possunt dici vniuoca . item accipiendo æquiuoca pro æquiuocis æquiuocantibus,& uniuoca pro uniuocis uniuocatis , sic etiam est concedendum quod æquiuoca sint uniuoca: quoniam æquiuocum æquiuocãs respectu aliquorum, potest esse vniuocum uniuocans respectu aliorum,puta hoc nomen animal est æquiuocum æquiuocãs,respectu hominis veri & hominis picti: & uniuocum vniuocans respectu hominis & asini.in eodem tamẽ idiomate, & respectu eorundem significatorum,non potest esse idem ęquiuocum æquiuocans , & uniuocum uniuocans,quia potest esse æquiuocum æquiuocans in uno idiomate; & uniuocum uniuocans in alio idiomate respectu diuersorum significatorum : notat deinde quod si dicatur æquiuocũ , & uniuocum sic dicta sunt opposita : ergo unum non prædicatur uere de alio , nec utrunque de eodem. Respondet,quòd æquiuocum & uniuocum termini ad aliquid sunt,siue relatiui , & non opponuntur,nisi respectu eorũdem & in eodem idiomate . Octauò notandum est, secundum Boetium,qui omnes particulas explanat hunc in modum:ęquiuoca dicuntur,idest, significãtur per uocem æquiuocam: dixit dicuntur,& nõ sunt, quoniam res non sunt æquiuocę,nisi secundum quod significãtur p ipsammet uocem æquiuocam: Solum dicitur duobus modis. Primo modum aliquid solum esse dicimus , vt solus vnus De⁹, solus mundus,sola phenix,& huiusmodi.Secundo modo solus dicitur cum ab alijs quis segregatus est, Nomen duob. modis accipitur,vt supra diximus , scilicet,specialiter,& generaliter:specialiter,pro illa parte orationis quę nomẽ appel-

appellãtur: generaliter pro nomine,& verbo, commune multipliciter quoq; dicitur, primo modo quod in partes diuiditur,& nõ iam totum commune est, sed partes eius proprie singulorum, ut domus dicitur commune, quod in partes non diuiditur, sed in usu commune est, ut equus,& seruus: dicitur etiã commune, quod utendo cuiusque fit proprium, sed post usum in commune remittitur, ut locus i theatro: dicitur quoque commune quod non diuisis partibus, sed tamen totum uno eodemque tempore in usum venit ac commune, vt uox præconis, concionatoris;& hoc vltimo modo accipitur hic. Ratio substantiæ dupliciter dicitur, ut supra explanatum fuit, ponit quoque multiuoca & diuersiuoca Boet. dicens, quòd multiuoca sunt quorum plurima nomina & una est significatio, vt est scutũ, & clypeus. diuersiuoca sunt quorum, neque nomen est idem, neque ratio eadẽ est, ut homo, color, lapis: sunt enim diuersa nomina, & hęc sint satis: Ad textꝰ dilucidationem accedamus, æquiuoca dicuntur, hoc est appellantur nomine æquiuoco, ea quæ unum nomen commune obtinent: sed secundum illud nomen, ratio, idest, definitio diuersa est, vt Socrates viuus, & Socrates pictus: ambo uno nomine gaudent, sed differunt definitione: quoniam alter est Socrates uiuus, & alter mortuus: nomen ergo horum est solum commune, ratio substantiæ, hoc est natura eorum est diuersa, ut homo uiuus, & homo pictus, appellantur communi nomine. Si enim quis definiat quid sit vtrorumque, & cognoscere optabit naturam seu definitionem, quo animal est, idest, quomodo sint animalia, aliam & aliam assignabit utriusque definitionem. Nota tamen ęquiuocationem posse esse in omnibus partibus orationis, & quod habent æquiuoca eandem uocem, sed diuersam naturam.

Vniuoca vero dicuntur, quorũ, & nomen commune est, &c.

Quoniam in hoc capite tres definitiones continentur: idcirco declarata prima definitione de æquiuocis accedit ad uniuoca tanquam illis correlatiua. Et primò sciendum, quòd uniuocũ est duplex, nempè uniuocũ uniuocans, & uniuocum uniuocatum. Vniuocum uniuocans est illud nomẽ, quod secundum unam rationem pluribus attributum est, ut hoc nomen animal secundũ unam definitionem, siue rationem, cõpetit, & homini, & leoni, & asino, &c. Vniuoca uniuocata sũt res diuersæ quę ꝑ illud nomen significantur, idest, leo, homo, asinus, quæ omnes res secũdum vnam naturam reperiuntur in hoc nomine animal. igitur uniuocum uniuocans erit nomen: & uniuocum uniuocatum erunt res. Secundò notandũ est, quòd datur differentia inter æquiuocũ & uniuocum, & hæc est: quoniam æquiuocum habet plura significata formalia: Quare, dicitur æquiuocũ, quasi plura æqualiter vocãs, & si diceret aliquis quod æquiuocum à cõsilio ex parte rationis nominis non ęqualiter vocet omnia significata eius, sed secũdũ prius, & posterius, vt diximus. Respondeo, quòd ex parte uocis se habet ęqualiter, & si non ex parte rationis nominis, sed uniuocum habet tantum unum significatum formale: idcirco propter hoc dicitur uniuocum, quasi vocans vnum, ut animal significat animalitatem, & immediatè. Aduerte, quòd hic definiuntur uniuoca uniuocata, non autem uniuocantia. Secundo notandum, secundum Burleum, quòd vniuocum uniuocans, accipitur tripliciter, scilicet, cõmuniter, proprie, & magis proprie. Vniuocum vniuocans communiter dictum est, omne illud quod habet unum conceptum pluribus conuenientem, siue cõceptus ille æqualiter, siue secun-

dum prius & posterius accipiatur, hoc in loco accipitur sic. Vniuocũ proprie dictum est illud, quod habet unum conceptum conuenientem pluribus æqualiter sine differentia, prioris, & posterioris, ut dicunt (illo asserente) Auicen. & Algazel. in suis Logicis, & sic uniuocum contra æquiuocum, & analogum distinguitur. Vniuocum magis proprie dictum est id, quod habet unum conceptum indiuisibilem per differẽtias essentiales: & sic sola species specialissima, dicitur uniuoca: propterea quòd non habet, nisi unum conceptum non diuisibilem per differẽtias essentiales, vt loquitur Philosophus in 1. Physicorum: ibi enim dicit, quòd secundum genus non fiunt comparationes: quoniã in genere multæ latẽt æquiuocationes. Eodemque modo, scilicet, triplici, potest accipi æquiuocum: capiendo communiter æquiuocum, sic omne illud dicitur æquiuocum, quod non habet vnũ conceptum tantum: aut quod habet unum cõceptum diuisibilem in differentias essentiales: aut quod habet unum conceptum communem conueniẽtem pluribus, secũdum prius, & posterius, æquiuocum proprie, dicitur æquiuocũ quod habet plures conceptus, aut unũ conceptum conuenientem pluribus secundum prius & posterius. Aequiuocũ magis proprie est illud quod significat æque primo plures conceptus, & non tantum unum conceptum, sub diuersa ratione Sed diceret aliquis, homo & asinus sunt vniuoca vniuocata, & tamen ipsorum nõ est vna ratio, siue definitio substantiæ, sed habent diuersas rationes ac definitiones, quia differunt specie, ut patet igitur non est eadem ratio substantiæ. Secũdo sic vniuoca vniuocata sunt res; sed Logicus, non habet considerare res: ergo non definiuntur vniuoca uniuocata. Tertio sic nomen vniuocum habet tantum vnum significatum, sed vniuoca uniuocata sunt res diuersæ, & non vnum significatũ sunt: ergo per idem nomen nõ importãtur. ad primum sic breuiter respõdendum est: quod si homo & asinus considerentur secũdũ proprias ipsorum formas, sic habent diuersas definitiones proprias; sed si considerentur, vt in animali conueniunt vnam tantum habẽt definitionem substantialem, ac communẽ ipsis, vt puta animal est substantia animata sentiens, hæc enim definitio, tam homini, quàm asino, & cęteris animalibus competit: quoniam est cõmunis definitio & vniuoca denotat. Ad secundum cum dicebatur uniuoca vniuocata sunt res. Respondeo, quòd res capi possunt dupliciter uno modo formaliter, alio modo fundamentaliter; si secũdo modo negatur, nempe fundamentaliter; si uerò primo modo cõceditur: & negatur consequentia, quia hic solũ definiuntur vniuoca formaliter accepta, & non fundamentaliter. Ad tertiã cum dicebatur nomen vniuocum habet tantum vnum significatum: respondetur, quòd si uniuoca quatenus id quod sunt considerantur, & ad suas rationes proprias, sic non significantur per nomen commune vniuocum. Sed si considerantur, quãtum ad naturam communem in qua conueniunt: illam naturam communem, dico esse suum significatũ immediatum, & formale. Item notandum est, quòd inter æquiuocum & uniuocum dantur quædam, quæ dicuntur analoga, quæ habent similitudinem cũ altero, vt cum dico pes mõtis, pes scãni, pes lecti, & huiusmodi, cum ponuntur per se, tunc sumuntur pro famosiori, vt cum dico, Franciscus est bonus, intelligo de bonitate moris; si autem dicerem citharœdus bonus, intelligerem de bonitate artis, non autem moris: sic sanus de sanitate per se non de urina, quæ dicitur sana analogicè. igitur analogum semper per se positum pro potiori accipitur. Iterum notandũ

est,

est, secundum Auer. in quarto Metaph. quod analogia est triplex: quædam est ad vnum subiectum: sicut secundum hāc analogiā omnia attribuuntur substantiæ, vt subiecto: secunda analogia est ad vnum finē: sicut omnia salubria attribuuntur ad sanitatem, vt ad finem proprium: tertia analogia est ad vnum efficiens: vt omnia medicabilia attribuuntur vni, vt medicinæ tanquam efficienti. inquit igitur Aristoteles, vniuoca ea appellantur, quæ habent non solum nomen commune: sed etiam secundum illud nomen, definitio substātiæ est eadem: vt animal, & homo, atq; bos, habēt nomen commune, scilicet, hoc nomen animal, omnes enim sunt naturæ animalis. & est ratio, idest, definitio substantiæ eadem. quia si quis assignet definitionem vtriusque, & dicat quid sit vtrorunq; ipsorum, & quo, idest qua ratione sint animalia: eādem assignabit rationem, idest, definitionē, scilicet, animalis: quia & homo, & bos habent hoc quod dicuntur ambo animalia: & quod sint substantię animatę sensibiles. Notatione dignum est quod ratio secundum Hispanum multipliciter dicitur. Primo modo ratio idē est qđ definitio, vt hic sumitur; vel descriptio. alio modo sumitur, vt quędam virtus animæ, alio modo idē est quod oratio ostendens aliquid, vt sunt propositiones, seu rationes disputantium. alio modo idem est quod forma materiæ, vt in cultello ferrum est materia, dispositio verò inducta est forma. alio modo idem est quod essentia communis prædicabilis de pluribus, vt essentia generis, vel speciei, vel differentiæ. alio modo idem est ratio, qđ medium inferens conclusionem, vt sumitur in definitione argumenti. & hoc in loco accipitur primo modo, vnde dantur ab eodem hi duo versus. omnia hæc continentes.

Desinit virtus, ostendit, forma vel esse,
Est medium ratio per quod concluditur ergo.

quod est dicere definit significat definitionem. virtus cum, ratio, significat virtutem. ostendit, quando significat aliquid vt propositiones. forma, cum formam denotat. esse cum essentiā ostendit. medium, cum terminum qui dicitur medius terminus sillogismi, demonstrat, per quod medium, concluditur propositiones, & conclusiones.

Denominatiua verò dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia casu secūdum nomen habent appellationem, &c.

Hæc est tertia, & vltima definitio huius capituli primi, quæ de denominatiuis dicitur. sed ante huius contextus dilucidationem, quidam termini sunt præmittendi. scilicet, concretus, & abstractus. terminus concretus, dicitur terminus, qui de subiecto aliquo per seipsum accidentaliter prædicatur. vt sunt omnia nomina siue verba quę adiectiua a grammaticis appellantur. albus, rubeus, niger, sedere, amare, docere, doctus & similia. terminus autem abstractus, dicitur terminus significans aliquam formam accidentalem subiecto alicui inexistentē, per se ipsum tamen non potest de illo subiecto verè prædicari, sed tantum mediante aliquo termino concreto. hi termini sunt abstracti, albedo, rubedo, nigredo, sessio, cursus, &c. huiusmodi qui significant puram formam accidētariam, quod non facit concretus terminus, qui in suo conceptu subiectum significat. stantibus ergo ijs, dico quod tria in denominatione requiruntur, s. denominans, denominatum, & denominatiuū. denominans est forma accidentalis, & vt est terminus abstractus. Denominatiuum est accidens concretum, quod denominatiue prædicatur de suo subiecto. vt albus, niger. Deno-

minatum est subiectum de quo prædicatur accidens concretum. item notãdum secundum Boethium, quod ad nomen denominatiuum tria requirũtur, primo conuenientia in principali significato. secundo cõuenientia in principio vocis. tertio requiritur quod nomen denominatiuum & suum principale differant in fine vocis, vt album, & albedo: quæ & in principio & in significato conueniunt, in fine verò vocis discrepant. Iterum notãdum qđ denominatiua solet tripliciter distingui, nempe denominatiua voce tantum, significatione tantum, & voce & significatione simul. Id enominatiuum voce tantum, illud est quod in principio cũ aliquo abstracto habet conuenientiã, & in terminatione finali differentiam: sed non cõuenit in significatione cũ eo: vt pugillator dr̃ denominatiuum voce tantum, respectu artis pugillatoriæ, vt significat artis habitum pugillandi. quoniam licet in principio conueniãt & in fine discrepant, vt in regula patet: tamen non conueniunt in significatione. propterea quod non dicitur quis, secundum illam artem pugillator, vel significationem, sed secundũ naturalem potentiam, vt etiam cursor respectu cursus. quia non dicitur quis cursor a cursu, sed a potentia naturali. sic somnolẽtus respectu somni, est denominatiuum voce tantum. Denominatiuum significatione tãtum, dicitur id quod cõuenit cum aliquo abstracto in significatione tantum. quod non solum conuenit in principio, sed etiam in fine: vt sapiens est denominatiuum virtutis: vide ergo quod neque in principio, neque in fine conueniunt. quoniam qui habet virtutem, sapientem illum esse, vel probum dicimus. sic dormiens a denominatione somni. Denominatiuum voce, & significatione simul, illud dicitur quod cum aliquo abstracto in principio cõuenit, & differt in fine: vt album ab albedine, nigrum a nigredine: & hæc sunt quæ a Philosopho definiuntur in hac tertia definitione; alia verò non. Item sciendum est, quod tria requiruntur, vt diximus, verbi gratia in humilitate; humilitas est, denominãs, humilis denominatiuũ, s. ab humilitate, quę cõueniunt in principio & differũt in fine vocis. sed dicet aliqs quod albũ, & nigrũ sunt denominatiua; & tamen non solo casu, sed etiã in significato principali differũt. secũdo sic omne accidens prædicatur denominatiuè de suo subiecto: ergo huiusmodi sunt denominatiua. ad primum sic est respondendum, quod licet albũ & nigrum non differãt solo casu inter se, tamen hoc agunt respectu suorũ abstractorum; quæ sunt denominatiua. ad secundum cum dicebatur omne accidens, &c. dicitur quod omne accidens prædicatur denominatiue; sed non a quocunque abstracto, dicitur denominatiuè; sed solum ab illo cui conuenit in principio dictionis, & i fine differt. dicit igitur Aristoteles denominatiua, idest deriuatiua, vel coniugata dicuntur ab aliquo supple abstracto differẽtia, i. quæ differunt solo casu, i. sola cadẽtia, & finali terminatione, quæ secũdum nomen, (non autẽ secundum vocem,) habent appellationem: quia quæ secundum vocem sunt ab alio deducũtur, vt a grammatica grammaticus: & a fortitudine fortis, quę dictiones sunt secundum nomen, & non secundũ vocem; conueniuntq; in principio, & differunt in fine.

CAP. II.

Eorum, quæ dicuntur, alia quidem secũdum complexionem dicuntur, &c.

Accedit Philosophus ad secundum capitulum huius tractatus: continet istud caput duas diuisiones: secunda

ibi,

ibi, eorum quæ sunt quædam de subiecto. Bimembris prima est diuisio: puta quod dicibilium: quoddam complexũ est, & quoddam incomplexum. terminus incõplexus est terminus q ex pluribus dictionib. minimè est cõstitutus: & sic pro primo notando: exempla per se sunt manifesta: vt si dico homo, solum, est in complexus: similiter de omnibus dictionibus per se sumptis, siue verba sint, siue nomina, nil refert, vt sedere: currere: dormiens, &c. complexus verò, est quotiescunque addimus verba cum nominibus, & nomina cũ verbis vt homo currit; dormiens quiescit: Petrus ambulat, & reliqua huiusmodi. quæ dicũtur cum complexione. Secundo notandum quod dici, dicitur quadrupliciter, primo modo idem est quod deriuari, vt cum dicitur sapiens a sapientia, & dialectica dicitur a dya, idest, deriuatura sapientia, & a dya. Secundo idem est quod prædicari, vt cũ dicitur prædicatum, de subiecto dicitur. Tertio modo idem est, quod proferri, vt dixit hanc sententiam, hoc est protulit. Quarto modo idem est, quod p vocem significari, vel exprimi: & isto modo sumitur in proposito a Philosopho. est enim dicibile, quod est significabile, & dici potest per dictionẽ, quæ quidem dictio est vox significatiua. tertio notandum est, quod dupliciter dicitur cõplexum, s. distans, & indistans. Complexum distãs est cuius extrema coniungũtur per copulam verbalem, vt patet in oratione perfecta: & in hac propositione homo est albus: quoniã extrema coniunguntur. dicitur distãs quoniam extrema ad inuicem distant. Complexum verò indistans, est illud cuius extrema sine aliquo verbo vniũtur, quod est dicere, vt sunt concordantiæ adiectiui cum substãtiuo, vt homo albus. extrema hæc vniũtur sine verbo aliquo: aduerte tamen quod licet hæc dictio homo cõponatur ex sillabis, & literis, non tamen dicitur cõplexa, sed tantum illa quę ex vocibus significatiuis componuntur: quoniam hæc sillaba ho, nil significat, neque mo. Notãdum quoque est secundum Boethium, & simplicium, quod Aristoteles intelligit de rerum vocabulis agere: idcirco dixit ipse: eorum quæ dicuntur, quoniam vocabula dicuntur; res autẽ non dicuntur sed sunt. dubitaret modo aliquis quod canis est vnum dicibile, uel dicitur, & tamen nõ dicitur cum complexione: eo quod nõ includit plures: nec sine complexione, quoniam plura significata includit. ergo est mala definitio: ad hoc respondeo breuiter, & dico, quod canis propriè non est vox cõplexa, cum plures voces significatiuas non habeat, quoniam vnica dictio est, & quamuis plura significat tamen illa non se habent per modum determinãtis & determinabilis. idcircò non est complexa, neque vox propriè incomplexa, quia non significat mediãte vno cõceptu sua significata complexe, vel incomplexe. Ad contextum igitur accedamus. Aristoteles ergo dicit eorũ quæ dicuntur, i. proferuntur vel concipiuntur, alia supplę, horum secundum complexionẽ, i. cõpositionem, vel cõposita sunt, & alijs iuncta. alia verò sine cõplexione vel compositione proferuntur: declarat deinde hæc per exẽpla dicens. ea igitur quæ secundum cõplexionẽ dicũtur, sunt, supple similia, vt homo currit, homo vincit: si autem seorsum hæc dico, quod erunt sine cõplexione: vt homo: currit; vincit; bos. sic enim separata, & per se dicuntur absque complexione, siue compositione, quod clarum me fecisse puto.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, &c.

Hæc est secunda diuisio huius contextus, quæ quadrimembris est. & hoc est primum membrum huius diuisionis,

nis, pro quo est sciendum, quod aliqua dicuntur de subiecto, & in subiecto nõ sunt: hoc ĩ loco intelligit Philosophus vniuersales substantias: habent enim hęc quod sunt substantiæ, & sunt substãtiæ vniuersales. quatenus igitur sũt substantiæ nõ sunt in subiecto, quoniã propriũ substantiæ est nõ esse in subiecto, quia per se existere possunt, & est ens ex se, & non in alio. Sed quatenus sunt vniuersales dicuntur de subiecto, propterea quod habent sub se inferiora. igitur tantum erit dicere homo, qui terminus est vniuersalis: quantum est dicere dicitur de subiecto, & in subiecto non est: idest, substantia vniuersalis. dicit ergo. Eorum quæ sunt, idest, entia, de subiecto aliquo dicũtur, idest prædicantur essentialiter de aliquo inferiori, qđ illis subest: vt homo de aliquo subiecto quidẽ dicitur, vt puta de Platone, qui subiectum eius dicitur eo modo, quo ab illo depẽdet, & illi subiacet, quodam homine, i. Platone: in subiecto verò nullo est, i. non inheret alicui, vt albedo parieti, & nigredo coruo, qđ erat dicere eorum quæ dicũtur aliæ sunt vniuersales substantiæ. sed diceret aliquis quare Aristoteles non dixit omnis res, aut est substantia vniuersalis, aut substãtia particularis: aut accidens vniuersale, aut accidẽs particulare? Responderi potest, quod si Aristoteles dixisset omnia entia quæ sunt in mundo aut substantiæ vniuersales, aut particulares, aut accidentia vniuersalia, aut particularia; quod tunc non in digeret expositione: sed natura Aristo. semper fuit obscuritati incumbere.

Alia autem in subiecto, quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur, &c.

Hoc est secundum membrum diuisionis, quod est dicere particulare accidens, quod est in subiecto, & non dicitur de subiecto. Nota secundum Boetium, quod Aristoteles vsus fuit descriptionibus, eo quod generalissimorum non dantur definitiones. idcircò dixit substantiam illam esse quæ in subiecto non est, vt in primo membro patuit. in hoc verò accidẽs singulare, dicit quod est in subiecto. antequam vlterius progrediatur, dicendum est quot modis dicitur, in; & nota quod nouem modis dicitur, secundum eundem. Primo modo dicitur esse aliquid in aliquo, vt in theatro, in foro. Secundo modo dicitur esse aliquid in aliquo, vt in aliquo vase, vt triticum in modio. Tertio modo, vt pars in toto, veluti manus in corpore. Quarto, velut totũ in partibus, vt corpus in omnibus suis partibus. Quinto velut in genere species. Sexto vt genus in speciebus suis. Septimo vt aliquid est in fine: veluti quoniam beatitudo est finis vitæ bonæ. Quia si quis est beatus, hoc est in fine vitæ. Octauo vt in quolibet potẽte, vt in Imperatore est regimen ciuitatis. Nono dicimus, vt forma in materia: veluti similitudinem Cæsaris in ære, vel in marmore. Octo autem modos facit Hispan. quos exprimit, per hos versus.

Insunt pars, totum, species, genus, & calor igni.
Rex in regno, res in fine, locoq; locatum.

Dubitaret autem aliquis, quoniam vnum oppositorum non potest esse in alio; sed materia, & forma sunt opposita, cum materia sit potentia, forma verò actus, ergo forma non est in materia, vt ait Boet. Respondeo ad hoc & breuiter, quod licet materia, & forma opponantur quo ad modum actus, & modum potentiæ: non tamen opponũtur secundum esse suum. per quod esse cõsistunt materia & forma incõposito. quare erit bene forma in materia, cui materiæ dat esse: dicit ergo Philosoph⁹ alia supple dicibilia sunt, quæ in subiecto sunt, vt accidens particulare in subiecto est, sed de subiecto nullo dicit, idest, non prædicatur de suis inferioribus,

bus, quoniam dici de aliquo, diximus significare, de suis inferioribus prædicari, vt genera de speciebus: igitur, quoniam indiuiduum non prædicatur, nisi de seipso, propter hoc dixit Aristoteles, non dicuntur de subiecto, hoc est non prædicantur. Si autem diceret aliquis, quare non posuit substantiam particularē, vel accidens vniuersale prius? non autē accidens particulare? Respondetur quod hoc egit quia sunt opposita, & declarato vno, ad aliud accedit, quomodo sint, in figura patebit. Declarat quid sit esse in subiecto: dicens, illud dicitur esse in subiecto, quod cum sit in aliquo, non est ibi sicut quædam pars. ratio est in promptu, quia albedo quæ est in pariete, nō est pars parietis, cum possit esse niger, quia accidentis proprium, est adesse, & abesse præter subiecti corruptionem. impossibile tamen est esse sine eo in quo est, idest tamē hoc accidens particulare est impossibile esse sine eo in quo reperitur, vt de Grammatica quædam patet: quoniam in subiecto est, idest, in aīa, quæ est substantia (namq; id ī quo tanq̄ ī subiecto est, est substantia particularis) de subiecto vero (idest, ista Grammatica,) nullo dicitur, quasi dicat, non prædicatur de suis inferioribus, cum sit indiuiduum sic omnis color, in corpore est, de subiecto autem nullo dicitur. Aduerte tamen, quod per, omnis color, particulare accidens intelligit, qui non dicitur, uel prædicatur de inferioribus, quod clarum me fecisse puto.

Alia verò de subiecto dicuntur, et in subiecto sunt, etc.

Accedit Aristoteles ad tertiū membrum diuisionis, & est vniuersale accidens, quod quidem vniuersale accidēs dicitur, vel prædicatur de suis inferioribus, & in subiecto est, hæc inquā sunt in subiecto: quoniam omne accidens in subiecto est: ibiq; esse suum habet. Vnde proprium accidentis est inhærentia circa subiectum, dicuntur de subiecto vniuersalia accidentia: quoniam de alijs prædicantur: Nota secundum Burleū, qui has proprietates declarat, scilicet, dici de, non dici de, esse in, & nō esse in, dici de, est conditio, seu proprietas vniuersalis, & non dici de, est proprietas singularis, siue particularis, esse similiter in, est proprietas accidētis, non esse in, est proprietas substantiæ: ideo quod nō est in subiecto est descriptio substantiæ: & esse in subiecto est descriptio accidentis: dicit igitur Philosophus, alia supple dicibilia dicūtur de subiecto, hoc est, prædicantur de inferioribus, & sunt in subiecto, idest, in aliquo corpore, vt accidentia vniuersalia. dat exemplum dicens: vt scientia, quæ est accidens vniuersale continens Grammaticam, Logicam, Geometriā, Musicam, & alia huiusmodi, scientia vero est tanquam genus, hæc vero tanquam species; ideo subdit, quod scientia in subiecto est, idest, in anima, de subiecto vero dicitur, hoc est prędicatur, vt de Grammatica, & de alijs scientijs particularibus.

Alia verò neque in subiecto sunt, neque de aliquo subiecto dicuntur, etc.

Quartum, & vltimum membrum diuisionis ponit Aristoteles. deinde unā ponit propositionem vniuersalem, & hoc est quantum spectat ad substantiā particularem, quatenus enim sūt substantiæ non sunt in subiecto: & quatenus sunt particulares non dicuntur de subiecto, eo quòd de inferioribus non prædicantur. Nota quod adest hæc differentia inter substantias vniuersales, & particulares: quia illę dicuntur, & hæc non dicuntur de subiecto, ut patet de Socrate, qui particularis homo est, quatenus ergo particularis substantia, non est in subiecto, neque de subiecto dici-

dicitur: sed si diceremus homo, quia habet sub se indiuidua, tunc diceretur de subiectô, sed Philosophus videtur solum de speciebus agere, ac de generibus: quid igitur erit dicendum de differentijs substantialibus? Respôdet Seuerinus, quòd differentia substantialis, nec substantia est, nec accidens, sed mixtum ex his quoddam esse, quomodo autem sit hoc: nota secundum Diuum Augustinum in prædicamètis suis, (referente Burleo) dicit enim, quòd differentiæ substantiales, natura, substantiæ sunt. prædicatione verò, accidentia. Dixit, quòd sunt accidentia prædicatione: quoniam prædicantur in quale, vt accidentia: sed sunt substantiæ, secundum naturam. veluti rationabilitas est substantia, & in nullo est subiecto; sed diceret aliquis, quod aliquis homo est substantia particularis, & tamen prædicatur de suo inferiori: quia aliquis est superius ad Socratem. Respondetur breuiter, quòd licet prædicatione speciei, non tamen dicetur, prædicatione indiuidui, cum enim dico Socrates est aliquis homo realiter de seipso prædicatur, & non de inferiori: ponatur igitur Figura Boetij.



Ex hac figura poteſt quis perſpicere per ſe, differentiam inter hæc quæ dicta ſunt. ad contextum igitur accedamus. dicit igitur Philoſophus, alia verò neq; in ſubiecto ſunt, (quoniam per ſe exiſtunt,) neque de ſubiecto aliquo dicuntur: quaſi dicat, ſunt alia dicibilia, quæ non ſunt in ſubiecto, quoniam ſunt ſubſtantiæ, neque prædicantur de ſubiecto, quoniam ſunt particularia, & declarat exemplo dicens, vt quidam homo, & quidam equus, quæ ſubſtantiæ ſunt particulares, nihil.n. talium ſupple ſubſtantiarum, neq; in ſubiecto, neque de ſubiecto dicuntur, ideſt, inferiora nõ habent. propoſitio vniuerſalis hæc eſt; ſimpliciter autem; hoc eſt in ſumma, quæ ſunt indiuidua, ideſt, particularia, & vnum numero, vt Plato, de ſubiecto nullo dicunt, i. prædicantur de alijs. nihil enim prohibet aliquod eſſe in ſubiecto: vt quædã grãmatica, cum indiuiduum ſit, vnumque numero; in ſubiecto eſt, i. anima: de ſubiecto verò nullo dicitur; quia particularis eſt: idcirco inferiora de quibus prædicetur propriè non habet.

CAP. III.

Quando alterum de altero prædicatur, &c.

Hoc eſt totum tertium caput huius primi tractatus: & quia in primo capite tres definitiones, & in ſecundo duas diuiſiones præmiſit. in hoc tertio, & quarto, dat duas regulas: ſecunda ibi eſt, diuerſorum generum. in prima habet, quando alterum hoc eſt ſuperius de ſuo inferiori, quæcunque de ſuperiori dicuntur eſſentialiter, & de ſuo ſubiecto dicuntur, ac prædicãtur. aduerte tamen quod hæc regula valet quando prædicatum, vel id quod prædicatur, eſt eſſentiale, non autem accidentale: erit igitur hæc regula docens habitudinem, ſeu affinitatem inter ea quæ ſunt vnius & eiuſdẽ prædicamenti, in recta linea. & omnia quæ ſuperiori eſſentialiter, & ſecundum ſe conueniunt, nõ reſpectu noſtri, & inferiori conueniunt, ſed non è cõtra: vt ſi cõpetit homini habere rationem, nõ corpori animato, & ſubſtantiæ hoc competit: vt ſi dicas ſubſtantia, (quod ſuperius Socratis,) eſt quæ per ſe ſubſiſtit, & Socrates eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens. corpus animatum, quia ſuperius eſt reſpectu Socratis, eſt ſubſtãtia animata ſentiens; & Socrates quoque eſt ſubſtantia animata ſentiens, & ſic de ſingulis: quæ dicuntur eſſentialiter de ſuperiori, & de inferiori dicentur. prædicata ergo p ſe, ſiue eſſentialia, erunt illa quę de eſſentia rei ſunt, vel quæ ex natura & eſſentia rei proueniunt: veluti propria ſunt: hæc non erunt iſta prædicata genus, ſpecies, differentia, & ſimilia: propterea quod non conſequũtur naturam rei: ideo non valet homo eſt animal, animal eſt genus, ergo homo eſt genus neque currit, amatur, legit, & huiuſmodi. ſi autem diceret aliquis animal eſt corpus, corpus eſt quãtitas: ergo animal eſt quantitas, & per conſequens erit falſa regula: quoniam vtrobique prædicatio eſt eſſentialis. Reſpondetur breuiter, quod negatur; neque arguitur iuxta illam regulam: ſed cõmittitur fallacia æquiuocationis: eo qđ corpus diuerſimodè accipit: vno modo in prima, & alio in ſecũda propoſitione. Clarũ igitur textum faciamus. dicit Ariſtoteles, quando alterũ vt genus, de altero, vt de ſubiecto, i. de inferiori prędicatur: quæcunque de eo, quod prædicatur dicuntur, i. quæcũque ſuperiora ſunt, de eo quod prædicantur, vt corpus animatum, quod prædicatur de animali, & animal de homine, & homo de ſorte, & Platone, omnia inquam hæc de ſubiecto, i. de Platone dicentur: & corpus animatum, & animal,

declaratio textus

mal,& homo,de Platone dicentur.ponit exemplum cum dicit. vt homo de quodam homine, i.de Platone prædicatur:& animal quod est superius hominis, de homine prædicatur: igitur animal & de homine, & de Platone prædicabitur: quia quidam homo vt Plato,& animal est, & homo est, satis clarum feci.& me dixisse puram, ac meram Aristotelis intentionem puto.

CAP. IIII.

Diuersorũ generum,& non subalternatim positorũ diuersæ sunt species, &c.

QVartum caput hoc est, in quo ponit secundam regulam generalẽ, diuiditur autem in duas partes: in prima parte dicit qđ diuersa genera supple prædicamentorum habent diuersas species & diuersas differentias: vt puta substantia habet corpus,animal, hominem,& cætera. Quantitas verò habet continuum discretum,& huiusmodi,quæ diuersa sunt vt patet. tamẽ, vt dicit ipse quæ nõ subalternatim ponuntur. ratio autem est in promptu, quoniã species & differentiæ alicuius generis, a suo proprio genere essentialiter descendunt: eandemq; essentiã cum illo dicunt: si verò sint diuersa genera & diuersæ quoque species & differentiæ erunt.Contra istam regulam sic arguitur, quod substantia & quantitas sunt diuersa genera non subalternatim posita, & tamen habẽt eandem speciem,scilicet, corpus. quoniam est species substantiæ, & quantitatis. sic de scientia & rationabilitate. Respondet Burleus ad primum:quod substantia & quantitas non habent eandẽ speciem, cum verò dicitur quod corpus est in genere quantitatis, dicit quod corpus est æquiuocũ, vt significat substantiam, in illo est genere: vt verò significat quantitatem trium dimensionum, scilicet, habentem latitudinem, longitudinem,& profunditatem:tunc est in genere quantitatis: eadem est ratio de scientia quia est æquiuocum, & æquiuoce argumentatur. dicit igitur Philosophus. diuersorum generum,i. prædicamentorum & non subalternatim positorum, hoc est vnum non sub alio positum, vt sunt corpus, animal, homo, Plato: diuersas habent differentias,& species,vt differẽtiæ, & species animalis,& differentiæ & species sciẽtiæ, sunt diuersæ: differentiæ animalis sunt hæc gressibile,bipes, & volatile, & aquatile: differentię verò scientiæ nullam harum differentiarum habent: quoniam non differt vna scientia ab alia,eo quod vna sit bipes & alia volatilis. Sed quod vna est de logica, alia de musica,& sic de singulis.patet ergo quod sciẽtia est sub genere qualitatis, & bipes volatile & huiusmodi, sub genere substantiæ: & per consequens,qa non ponuntur subalternatim,neq; sub eodem genere, non habebunt easdem differentias,sed diuersas.

Subalternatorum verò generum nihil prohibet easdem esse differentias, &c.

Secundum partẽ huius capitus ponit Aristoteles,quæ cõtraria est primæ parti;quoniam illa de diuersis generibus agebat: hæc verò de positis subalternatim tractat. pro qua parte primo erit notandum, quod hæc regula intelligitur de differentijs constitutiuis,nõ autem diuisiuis. Secũdo sciendum est, quod genera subalternatim posita, dicũtur, quorum vnum essentialiter ponitur sub alio:quemadmodum corpus & animal & homo,atq; Socrates:quomodo sint hæc,vide in primo tractatu de prædicabilibus. sic per oppositum, illa dicuntur non subalternatim posita, quæcunque non ponuntur vnũ sub alio

aliis essentialiter: vt substantia & accidens, vel qualitas. hæc enim non possunt esse eædem species & differentiæ, cũ non subalternentur; vt animal corpori subalternatur, corpus substantię, idcirco possunt habere easdem differentias. Sed dubitabit aliquis. intellectiuum est differentia hominis & etiã Angeli: sed homo & Angelus non cõtinetur sub eodem genere, sed sub diuersis: quoniã homo est corporea substantia, Angelus verò incorporea: igitur diuersorum generum erit eadem differentia. ad hanc rationem breuiter respondetur: quod intellectiuum inæqualiter reperitur in homine, & in Angelo: per consequens non sunt inæquali gradu, quoniam intellectus Angeli est perfectior intellectu hominis essentialiter: idcirco intellectiuum de illis, dicitur analogice, non autem æquiuoce. dicit igitur Aristoteles. generũ verò subalternatorũ, nihil prohibet easdem esse differentias: quasi dicat, quod sunt; licet tamen aliquando non sint tam immediate respectu illorum generum: vt homo & corpus, animal & substantia: superiora enim, supple, genera, de ijs prædicantur, quæ sub ipsis sunt generibus: quare ergo, quæcunq; differentię prędicati, idest, generis fuerint superioris, i. constitutiuæ, vt dixi) eædem erunt differentię constitutiuæ subiecti, idest, generis inferioris. quasi dicat, si septem erunt differentiæ generis, & septem erunt differentiæ subiecti. nota quod per prædicatum intelligit Philosophus genera superiora; per subiectum verò inferiora.

CAP: V.

Eorum quæ secundum nullam complexionẽ dicũtur, &c.

POstquam Philosophus egit de ante prædicamentis, in hoc quinto capitulo agit de prędicamẽtis in generali, ac ponit illorum connumerationem, exemplisq; illustrat ipsa. superficialiter ergo de illis hoc facit. circa quam enumerationem hæc sunt obseruãda. Primum, quod licet omnia prædicamenta dicant res diuersas inter se: tamen possunt esse coniugata in vno indiuiduo. Prædicamenta possunt dupliciter considerari. Primo modo simul copulata, & sic constituent orationem enunciatiuam. Secundo possunt considerari vnumquodque seorsum, & hoc modo in præsenti libro considerabuntur. diuiditur hoc caput in duas partes principales: in prima enumerat. in secunda parte autem, cõcludit. Notatione ergo dignum est pro prima particula, primæ partis: quod dicibile incomplexum accipitur dupliciter. primo modo, pro omni eo, quod significatur per vnam vocem incomplexã: sic isto modo non capitur hic quoniam sunt multa dicibilia, quæ non ponuntur in aliquo prædicamento, vt sunt multa entia rationis, vt chimera, & huiusmodi. Secundo modo capitur specialiter solum pro dicibili incõplexo, ad prædicamentum ordinabile. puta ad substantiam, quantitatem, & qualitatem. aduerte vt alias diximus, quod hic cõsiderantur non vt res, sed vt voces: vt ista vox homo non quatenus est substãtia rationalis, & cætera. Sed quatenus est vox incomplexa denotans substantiam. Nota quoque istam diuisionem esse logicalem, quoniã licet, & si metaphisicus hoc faciat, & diuidat ens reale in hæc decem: tamen logicus vt significat incomplexum nomen, rem denotans secundæ intentionis. est iterum notandum, quod hic non diuiditur ens in decem prædicamenta, quod ens ab esse sumitur: sed dicibile incõplexum: quoniam non secundum suũ esse absolutum, sed secundum suas ordinationes prædicamentales, logicus

considerat. Item notandum, quod ad hoc vt aliquid sit in prædicamẽto quatuor requiri conditiones. Prima conditio est quod tale dicibile sit formaliter vnum, virtualiterque: quoniam si æquiuocũ esset, essent plura dicibilia: & per consequens posset in pluribus prædicamentis reperiri. Secunda conditio est, vt tale dicibile sit incomplexum, quoniam si esset complexum secundum partes diuersas eius, esset in diuersis prædicamentis. Tertia conditio est, quod tale dicibile sit ens reale ad hoc vt sit ordinabile in prædicamẽto, idcirco chimera, hircoceruus & huiusmodi quæ non sunt entia realia, nõ erunt in ullo prædicamento. Quarta & vltima conditio est, vt dicibile, vel sit vniuersale, vel particulare oportet. ratio est in prũptu, q̃a ordinatio secundum sub & supra, sit secundum rationem vniuersalis & particularis. ideo summus artifex non ponitur in vllo prædicamento, quia non est vniuersalis cum non possit esse plures Dij: nec particularis cum non habeat aliquid superius vniuocum. Dicit ergo eorum quæ secundum nullam complexionẽ dicuntur, i. verba simplicia vt bos, homo, leo, aquila, album, dico ergo has voces simplices, aut significare substãtiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut relationem, aut vbi, aut quãdo, aut sitũ esse, aut habere, aut agere, aut pati. declarat deinde hæc per exempla dicens. substãtia ut homo equus. Quãtitas ut bicubitum, tricubitum. Qualitas ut album, grammaticum, ad aliquid seu relatiua, ut duplum dimidiũ, ubi ut in foro. quando ut heri. situm esse, ut armatum esse, habere ut calceatum esse. agere ut amare; pati ut amari, dubitaret autem aliquis, ens est unum dicibile, sed in nullo prędicamento ponitur ergo diuisio mala. Secundo genus & species sunt dicibilia incomplexa, & tamen non ponuntur in aliquo istorũ prædicamentorũ. Respondetur breuiter, & primo ad primum, quòd licet ens sit vnum ex parte vocis, tamen ex parte significati nõ est unum, sed plura: ad secundum dico, q̃d etsi dicant aliquod unum reale genus & species, de materiali eorum significato: tamen quantum ad sua significata formalia important entia rationis, à quibus sumuntur intentiones secundæ: & respectus illi, non sunt entia realia.

Singula igitur eorum, quæ dicta sunt, &c.

Secundam partẽ huius capituli ponit Aristoteles, in qua ostendit, quomodo prædicamenta ad affirmationem, & negationem se habeant. dicit enim q̃d nullum prædicamentorum, neque affirmat, neque negat: hoc autem probat duab. rationibus. Prima ratio est, quoniam illa sunt incomplexa, quæ neque affirmant, neque negant, ex quorũ complexione affirmamus & negamus; sed ex ijs huiusmodi fit, ergo incomplexa sunt. Secunda ratio est, omnis affirmatio vera est, vel falsa, & negatio quoq;: sed nullum horum prędicamentorum est affirmatio, uel negatio, ergo igitur vnumquodq; horum erit incomplexũ. nota quod omnia decem prædicamenta sunt genera generalissima. dicit igitur, singula eorum quæ dicta sunt, ipsa quidem semper se in nulla affirmatione, vel negatione dicuntur, hoc est neque affirmant, neque negant quicquã. horum autem, supple prædicamentorum, si connectentur seinuicem, fit tũc affirmatio, vel negatio, ut oratio affirmatiua, & negatiua, verbi gratia, accipiendo substantiam cum actione, ut homo, & cursum: dicendo homo currit, tunc erit affirmatiua, vel negatiua oratio: quoniam omnis affirmatio, vel negatio est vera, uel falsa: Quæ sint secundum nullam complexionem, deinde

de ostendit dicens: eorum quæ secundum nullam complexionem dicũtur, nullum dico horum, verũ, vel falsum, supple, denotare, ut bos, homo, album, currit, uincit, & similia per se posita.

TRACT. II.

Cap. I. De substantia.

Substantia autem est, quæ proprie & principaliter, & maxime dicitur, &c.

DEclaratis ante prædicamentis: accedit Philosophus ad prędicamenta: & quia inter omnia prædicamenta substantia primum locum obtinet, merito ab ipsa incepit: propterea quòd reliqua prędicamenta sunt accidentium, est dignior substantia accidente, quoniam per se subsistit, & non indiget aliquo accidente, quemadmodum accidens: indiget substantia, ut ad illam seipsum inhęreat. nota ergo, quòd hęc dictio substantia significat rem quæ per se subsistere potest, absque auxilio, ut Plato, hic equus, hoc scamnum, asinus, &c. quia uerò rubedo, albedo per se subsistere non possunt, sed egent aliquo adminiculo, idcirco accidentia, non autem substantiæ appellantur. Secundo notãdum, quòd duplex est substantia, scilicet prima, & secunda. primæ substantiæ sunt omnia singularia, vt Plato, Frãciscus, Brunelus, iste asinus, & quæ particularem substantiam denotant. Secũdæ verò substantiæ sunt genera & species, vt homo, animal, corpus, &c. Secundo notandum est, ꝙ nomen substantiæ à duobus sumitur: primo a per se essendo, quod est sumere à suo proprio esse substantiæ, & hoc competit omnibus substantijs vniuoce. secundo modo sumitur à substãdo, quod sumitur ab esse respectiuo substãtiæ, quo est in potẽtia ad accidentibus substandum. & hoc est proprium substantiæ particularis. Tertio notandum est, secundum Burleum, quòd substantia particularis dicitur proprie substãre, ad differentiam accidentium in concreto, quę substant, sed non proprie, vt album albedini. dixit principaliter ad differentiam aliquorum accidentium in abstracto, quę licet substant proprie tamen non principaliter, verbi gratia, quantitas proprie substat qualitati, vt superficies colori: non tamen substat principaliter: quoniam non substat, nisi ratione substantiæ corporeæ, quæ principaliter substat. dixit maxime ad differentiam secundarum substantiarum: licet enim substent proprie accidentibus, quia ratione suppositorum: non tamen maxime. uel dixit proprie ad differentiam accidentium quæ proprie non substant: dixit principaliter ad differentiam secundarum substantiarum: maxime ad differẽtiam vtriusque tam secundarum substantiarum, quàm accidentium, uel dixit proprie, quia primæ substantię proprie substãt: dixit principaliter, quia primæ substãtiæ magis substãt quam aliæ: maximeque dixit, quoniam primæ substantiæ omnibus substant tam accidentibus, quàm alijs substantijs secundis. Item notandum est, quòd Aristoteles incepit à singulari substantia quoniam verius sunt, ut patet in lib. Posteriorum, vel quia sunt maximè propinqua sensibus, quam sint secundę substantię: quoniam cum uidimus hominem non concipimus hominem in uniuersali mente, sed prius sensu dicimus particularẽ hominem. dubitabit autem aliquis: ubi est æqualitas ibi non est primum, & secundum: sed substantia dicitur ęqualiter de ambabus ergo. secũdo sic, secundæ substantię, uel substantiæ vniuersa-

uersales sunt priores particularibus, & per consequens conuenit eis ratio substantię, scilicet per se esse, quam indiuiduis, ergo secundæ substantiæ debent dici primæ, & non secundæ. Ad primum dico breuiter, quòd licet substantia, vt dicitur a per se essendo, dicatur æqualiter de omnibus substantijs, & uniuoce, tamen vt dicitur a substando non sic. Ad secundum dico, quòd licet substātiæ vniuersales sint priores primis quantum ad esse essentiæ tamē non sunt quantum ad esse existentiæ, vt primæ, ideo recte dixit. Ad textus dilucidationem accedamus, dicit ergo substantia est, supple, prima quæ proprie, & principaliter, & maxime, idest, vera appellatur, vt Plato, Socrates, quę neque de subiecto aliquo dicitur, idest, non prędicatur de inferioribus, neque in subiecto est aliquo, quemadmodum albedo in Platone est: ponit exemplū cum dicit, ut quidam homo, & quidam equus. Declarat deinde secundas substantias, cum subdit: secundæ autē substantiæ dicuntur species, & genera specierum, in quibus speciebus ille substātię quæ primæ dicuntur sunt: sunt.n. in illis subiectiuè vt pars in suo toto: vt aliquis homo est in homine, vt in specie: & est etiam, supple, quidam homo in animali, quod est genus speciei, vt in genere, ita vt homo & animal, secundæ substantiæ dicantur.

Manifestum autem est ex ijs, quæ dicta sunt, &c.

Quoniam hoc caput duas habet definitiones, & quinq; cōclusiones: sexq; proprietates substantiæ: idcirco declaratis primum definitionibus, accedit nūc Philosophus ad primam conclusionem, & in fine huiusce cōtextus ponit corrolarium. dicit ergo, de primis substantijs: quod ex his quæ dicta sunt manifestum est; scilicet ex regula quādo alterum de altero prędicatur, quod dictū est verum esse de prima substantia: & quid dictum est de prima substātia? dictum est quod, neque in subiecto, sunt; neque de subiecto dicuntur: subdit deinde de secundis substantijs, d. quod eorum, quæ dicūtur de subiecto, idest, prædicantur de inferioribus, vt homo de Socrate, necesse est nomen & rationem, idest, naturam seu definitionem vniuoce de subiecto, i. de Socrate prædicari: vt quæcunque homini, & Socrati conueniunt, vt si homini competit risibilem esse, & Socrati quoque: & si esse capax disciplinæ, & Socrati etiā. & si rationale, rationale & Socrati; Sicq; de singulis: deinde subdit vt homo, de subiecto quidem homine, vt de Socrate dicitur, secundum nomen: & secundum rationem, idest, definitionem, prædicabis: quoniam quidam homo, vt Socrates, & homo est, & animal rationale. si enim homo prædicatur de Socrate, & ratio, idest, definitio hominis, vt rationale, mortale, bipes, & huiusmodi, de Socrate prædicabitur. nāque quidam homo, & homo est, & animal quoque est. igitur & nomen & ratio, idest, definitio de subiecto, i. de Socrate prædicabitur. declarat deinde de ijs quæ sunt in subiecto, quod quædam prædicantur, de prima secundum nomen; sed non secundum rationem, vel definitionem; vt accidentia in concreto, v.g. nigrum, album, &c. dicit igitur. Eorum verò quæ sunt in subiecto, in plurimis neque nomen, neque ratio, i. neque secundum nomen, & nec secundum definitionem prædicantur, de subiecto, i. de inferiori: & tunc verū erit quando accidentia in termino abstracto sumentur. Sed in aliquibus nihil prohibet nomen, i. secundum nomen prędicari de subiecto, i. de inferiori, in quo est, sed secundum rationem, idest, definitionem est impossibile: hoc autē erit verum si accidentia sumantur in concreto, vt album prædicatur de corpore

pore in quo eſt, vt in ſubiecto ſecundũ nomen: propterea quod eſt verum dicere, corpus eſt album. ratio verò albi, ideſt, definitio albi, nunquam de corpore prædicabitur. vt puta non dicemus corpus eſt color, & diſſipatiuum viſus & huiuſmodi: alia verò omnia, i. exceptis primis ſubſtãtijs; ſecũdæ ſubſtantiæ, & alia prędicamenta, vt relatiua, qualitas, quantitas, &c. aut dicũtur de ſubiectis primis ſubſtantijs, quemadmodum faciunt ſecundę ſubſtantię, aut in eiſdem ſubiectis ſunt, vt accidẽtia, quæ prædicantur quodammodo de primis, quatenus illis adhærent. manifeſtat hoc exemplo dicens, hoc autem ſupple quod dictum eſt, manifeſtum ex dictis eſt, quæ per ſingula inducendo proponuntur, vt animal prędicatur de homine, vt genus de ſpecie: igitur prędicatur de particulari homine, quę eſt ſubſtantia prima: quoniã ſi animal non prędicatur de quorundam animalium numero, igitur neque in communi, i. de homine prædicabitur, ex hoc ergo vult oſtendere, quod ſecũdæ ſubſtantiæ, de primis prædicãtur, vt color eſt in corpore, igitur & in aliquo corpore, i. particulari erit: nanque ſi non erit in particulari, neque in communi reperietur. Patet igitur cætera omnia aut de primis ſubſtantijs dici, vt de ſubiectis, aut in ipſis eſſe, vt in ſubiectis. ex hiſce dictis infert quoddam corrolarium, ex hac antedicta particula, & ſequenti, cum ſubdit, quod non exiſtẽtibus primis ſubſtãtijs, impoſſibile eſt eſſe aliquod aliorũ; ratio in promptu, quia omnia alia, aut dicuntur de primis, ſupple, ſubſtantijs, aut in eis ſunt, vt iam dictum eſt. idcirco primis non exiſtentibus, alia non exiſtunt. adeſt dubitatiuncula ſecundum Burleum, & hæc eſt: quod hoc videtur falſum: quia accidens in cõcreto prædicatur de prima ſubſtantia, (contra textum in principio,) ſecundum definitionem: quia de quocunque prædicatur diffinitum, de eodem prędicatur ſua diffinitio: ſed accidens in cõcreto prædicatur de prima ſubſtantia: ergo diffinitio accidẽtis ĩ cõcreto ꝑdicatur de prima ſubſtãtia. v.g. ſicut hæc eſt vera Socrates eſt alb⁹, ita hæc eſt uera Socrates eſt coloratus, colore diſgregatiuo viſus, quæ eſt diffinitio albi. ad quod reſpondet dupliciter, & hæc eſt ſecunda, & melior: quod Ariſtot. intelligit, quod accidentia in concreto, non prædicantur de prima ſubſtantia ſecundum diffinitionem, i. definitiue, & eſsẽtialiter, quoniã aliud eſt prædicari de alio ſecundum diffinitionem: & aliud eſt, diffinitionẽ prædicari de illo. dico ergo quod illa diffinitio albi prædicatur accidentaliter, non autem eſſentialiter; vt ſpectat ad diffinitionem.

Secundarum verò ſubſtantiarum magis ſubſtantia eſt ſpecies, &c.

Hæc eſt ſecunda concluſio huius capitis: in qua comparat Ariſtoteles, ſecundas ſubſtantias ad ſeinuicem. pro qua concluſione notãdum eſt, quòd dupliciter cõſideratur ſubſtantia, primo modo quantum ad ſuum proprium eſſe, quod eſt per ſe exiſtere: hoc modo primo, vna ſubſtantia, non eſt magis ſubſtantia quam ſit alia. Secundo modo ſubſtantia ſumitur, quantum ad eſſe accidentale, quo eſt in potentia ad alteri ſubſtandum: iſto nanque modo vna ſubſtãtia eſt magis ſubſtantia quã alia. hoc autem probo, illud quod eſt propinquius primæ ſubſtantiæ eſt magis ſubſtantia quam illud quod eſt remotius, ſed ſpecies eſt huiuſmodi: ergo. tenet conſequentia: nam inter analogata illud participat rationem analogi quod propinquius eſt primo: hoc idẽ patet quoniam, id, eſt propinquius primæ ſubſtantiæ, quod magis indicat quiditatem illius ſubſtãtiæ pri

mę

mæ,sed species talis est; ergo.uel etiã potest hoc pacto probari, quod illud est magis substantia,quod plurib.substat,sed species pluribus substat quam genus ergo est magis substantia: nam genus habet suum esse indeterminatũ & confusum: species verò determinatum. docet igitur Philosophus, quòd species est magis substantia quam genus;cum dicit: Secundarum verò substantiarum, vt animal, homo, species (vt homo,) est magis substantia quam genus,idest, quã animal,homo est magis substantia,quia est species: rationẽ ponit cum dicit, quia species propinquior est primæ substantiæ: vt Socrati. Si quis enim assignet primam substantiam,(vt Plato) quid est, euidentius & conuenientius assignabit,supple,quod vult per speciem, dicendo est homo, quam assignans, (quod vult,) dicendo quod Plato sit animal,quoniam clarius est dicere Plato est homo, quàm animal,vel melius est animal dicere, quã corpus animatum: & euidentius corpus animatum,quam corpus,&c. semper propinquiora euidẽtiora sunt:quoniam (& subdit rationem) illud, supple,dicere,est Plato homo,magis proprium cuiusdam, idest,particularis hominis est,hoc autem, supple,dicere est Plato,animal,communius erit. exemplum de arbore ponit dicens, sic si aliquis quandam arborem,scilicet,particularem,puta pomum assignabit; melius cum specie pomi, quam dicendo per genus,scilicet,quod sit plãta. quoniam illud est proprium magis, & hoc idest planta,est cõmunius. probat hoc idem alia ratione: dicẽs,amplius,quia sicut se habent primæ substantiæ ad alia omnia; sic species ad genera: quoniam primæ substantiæ subiacent omnibus: namque alia omnia aut de ipsis dicuntur, aut sunt in eis: sicut species de generibus ipsis prædicantur:sed primæ substantiæ dicuntur maxime substantiæ; eo quòd omnibus alijs subiacent; ergo species erunt magis substãtiæ quam genera: quoniam species,generi subiacent.genera enim de speciebus prædicantur: species autem cũ generibus non conuertuntur: hoc est,nõ prædicantur de generibus. concludit ergo dicẽdo,quare ex his, supple,quæ dicta sunt, quod species est magis substantia,quam genus. sed dubitabit aliquis; quod genus substat pluribus accidentibus quam species, scilicet,pluriũ specierum, species vero vnius speciei substat accidẽtibus.ergo specie,genus dicitur magis substantia; secundo arguitur sic, genus per prius cõuenit primæ substantiæ, quam species, nanque Plato prius est animal quam sit homo, ergo animal ꝓpinquius est primę substantiæ quam homo quod species est. igitur species non est propinquior. Ad primum breuiter est respondendum, quòd licet genus pluribus substet accidentibus quantum ad numerum accidentium,quam species; non tamẽ substat quantum ad plures modos substandi:quoniam species substat alteri,vt subiectum accidentibus,& alteri,ut inferius suo superiori. Ad secundum sic respondebimus,quòd licet genus quãtum ad viam generationis, prius concurrat ad esse primæ substantię quam species:nõ tamen est propinquius primæ substantiæ quantum ad modum essendi eius:vt est species.

Ipsarum verò specierũ,quæcunque non sunt genera, &c.

In præsenti contextu duas alias conclusiones assignat, nempe tertiam, & quartam, in quibus conclusionibus: ostendit Philosophus species inter se quæ non sunt genera (in tertia conclusione) unam speciem non esse magis substantiam,quam alteram. In quarta vero,una prima substantia, non magis substantia altera. Comparat igitur has

sub-

ſubſtantias inter ſe, cum dicit: ipſarum verò ſpecierum quæcunque non ſunt genera, i. ſpecies ſpecialiſſimæ, quæ nõ ſunt, nec poſſunt eſſe genera; nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt, i. vna non eſt magis ſubſtãtia altera. probat hoc exemplo dicens; quoniam non familiarius, ac magis æque aſſignabis de quodam homine; quam de quodam equo. At dicet aliquis hic, quod homo, & equus ſunt duæ ſpecies, tamẽ homo eſt perfectior cęteris animalibus; ergo vna ſpecies ſpecialiſſima eſt magis ſubſtantia altera. Reſpondetur ad hoc, quod licet homo quantum ad gradum perfectionis ſuæ naturæ, ſit perfectior alijs animalibus, ſeu ſpeciebus: tamen quantum ad modum ſubſtandi accidẽtibus ſuis; vna ſpecies non eſt magis ſubſtantia altera, ſed æqualiter dicuntur, (hæ ſpecies ſpecialiſſimæ,) ſubſtãtiæ: Accedit deinde ad quartam cõcluſionem, nempe de indiuiduis cũ dicit: ſimiliter & in primis ſubſtantijs ſupple, idem eſt iudicium, ſcilicet, quod vna prima ſubſtãtia nõ eſt magis ſubſtantia, quam altera, puta Plato, nõ eſt magis ſubſtantia, quam Brunelus; vt & ipſe probat exemplo cum ſubdit, nihil enim magis ſubſtantia eſt, quidam homo, quam quidam bos: eo quod ambæ ſunt vltimæ ſubſtantiæ in ſuo genere. Notandum tamen eſt ſecundum Burleum, quod poſſunt comparari ſecundum magis & minus hæc, hoc pacto, vt ſi Plato dicatur ſapientior Socrate; vel magis ſit albus, quam Socrates: hęc enim dicuntur ſecũdum æqualitatem, & inæqualitatem. Sed ſecũdum eſſentiam vna ſubſtantia, nõ eſt magis ſubſtantia altera: vt homo non eſt magis ſubſtãtia, quam ſit formica: ſed de perfectione alia eſt ratio: quoniam homo eſt perfectior formica.

Merito autem poſt primas ſubſtantias: ſola aliorum omnium ſpecies, et genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur, &c.

Accedit Philoſophus ad primam, & vltimam concluſionem huius capitis. in qua oſtendit quæ ſint ſecundæ ſubſtantiæ, nempe genera & ſpecies. comparatq; has duas ſubſtantias ad accidẽtia, probans duabus rationibus. Primum ergo dicit. meritò poſt primas ſubſtantias ſola ſpecies & genera dicũtur ſecundæ ſubſtantiæ. ratio eſt quoniam hæ quidditatem, & eſſentiam illius indicant; non autem accidentia. namque ſi quis aſſignauerit quendam hominem quid ſit: per ſpeciem magis hoc demonſtrabit familiarius, & magis æque, quam genus aſſignans: ut puta quod ſit animal uel homo, quam aliquod aliud accidẽtium: nam ſi quis aſſignaret quod eſſet album, vel nigrũ, aut quod fuerit, hoc eſſet per accidens ac extraneè aſſignare. Meritò ergo hæ ſpecies & genera dicũtur ſecũdæ ſubſtantię ſolæ. Nota quod genera & ſpecies dicuntur de prima ſubſtantia, primo & per ſe: idcirco indicant eſſentiã, ac quidditatem illius. Accidentia vero quoniam ſunt extranea, non dicuntur ſecundæ ſubſtantiæ: neque per conſequens eſſentiam illius indicant. ſecundam rationẽ ponit cum dicit. Amplius, hoc eſt, item, vel ſecundo, quia primę ſubſtãtiæ vt Plato, Socrates, &c. propriſſime dicuntur: idcirco merentur dici primæ, eo quod omnibus alijs ſubijciuntur: ſcilicet prædicamentis: & alia omnia de illis prædicantur, vel in ipſis ſunt. ſic ergo dicamus ſicut ſe habent primæ ſubſtantiæ ad oĩa alia, ſ. accidentia: ſic ſe habent genus & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia: quoniam reliqua, ſupple, accidentia de ipſis prædicantur. nanq; ſi dices quendam hominem vt Platonem, eſſe grammaticum, cum ſit aliquis homo, concludis hominem eſſe

F gram-

grammaticum: & animal quoque dicā grammaticum: propterea quod aliqs homo qui est grāmaticus, est animal: similiter se habet in alijs. meritò igitur species & genera substantiarum, secundæ substantiæ dicuntur:& hæc satis pro præsenti. Notatione tamen dignum est quod omnes primæ substantiæ æqualiter dicuntur substantiæ:quare non dicitur Plato magis substantia, quam Socrates, & econtra. ratio in promptu quoniam illæ dicuntur ęqualiter substantię, quę ęque primo accidentibus substant: sed omnes primę substantię sunt huiusmodi ergo, &c.

Commune autem est omni substantiæ in subiecto non esse, &c.

Quid prima, quidque secunda substātia sit, supra patefecit Philosophus: in hac verò parte communitates sex, seu proprietates substantię ostendit; & in præsenti contextu ad primam accedit cum dubitatione in fine. pro qua notandum est hanc proprietatem tam primis substantijs, quam secundis conuenire: conuenit primis, vt per suam definitionem patet: conuenit secundis quia per inductionem patet.nanq; esse in subiecto vt accidens, est esse in alio tanq; forma sibi aduenìens post esse illius completum: at secundę substātię non adueniūt primis post esse earum, cum sint causę formales dātes primis substantijs esse. Primùm ergo ostendit esse proprium substantię non esse in subiecto. dicens conuenit omni substantię non esse in subiecto, quoniam ommia accidentia sunt in subiecto, vt albedo est in corpore.Prima enim substantia, nec est in subiecto, i.vt color in corpore, nec de subiecto dicitur, i. de inferioribus, quoniam particularis est. non erit igitur in subiecto: manifestat hoc de secundis substantijs idem, cum dicit: secundarum verò substantiarum cōstat quidem sic, supple, esse, quemadmodum & prima substantia, supple, nō esse in subiecto, nam homo qui species est, dicitur de quodam homine, sed non reperitur in subiecto; similiter animal, quod dicitur de subiecto, & non est in subiecto: quoniā animal dicitur de subiecto, scilicet, homine, sed non est animal in quodam homine; ut in subiecto. nota vt & supra diximus quod cognito quid significat dici de, & esse in, patet quod est neutra substantiarum in subiecto: propterea, quod est proprium accidentium esse in, deinde subdit. amplius. (nota etiam quod Aristoteles quando dicit, amplius, semper sua dicta confirmat.) eorum, supple, entium quę sunt in subiecto, nullum prædicatur de subiecto, neque secundum nomen, neque secundum rationem; sed aliquādo nihil prohibet prædicari secūdum nomen: quoniam homo & animal prędicantur de quodam homine albo: rationem uerò, i. essentiam, uel naturam, ac definitionem impossibile est, quia ergo quę sunt in subiecto, i. accidentia vt album, nigrum aliquando possunt secundum nomen, prędicari de subiecto, dicendo homo albus: secundum tamen essentiam albi est impossibile: nāque definitio, & natura albi illi nō cōpetit, sed secundę substantiæ prędicantur de subiecto, & secundum nomen, & secūdum rationem, i. definitionem, per definitionem hominis, & animalis, prędicabis de subiecto quodam homine, & secundum nomen, & secundū definitionem. propterea quod quidam homo ut Plato, & homo est, & animal. patet ergo quod nulla eorum quę sunt in subiecto, non erit substantia, sed accidens, demonstrat hoc soli substantiæ conuenire cum subdit, quod hoc, s. nō esse in subiecto non est proprium substantię, quasi conueniens ei soli, quoniam differentię istud est conueniens,

sed

sed & differentia eorum est, i. competit & differentię. bipes enim & gressibile quę sunt differentię dicuntur etiā de homine, ut de subiecto, sed nō sunt in homine, ut in subiecto, hoc autem probat Aristoteles cum dicit: quoniā id quod prędicatur secundum nomen, & secundum rationem, idest, definitionem, non est in subiecto, sed differētia est talis, ergo. nanq; in homine nō est bipes, neque gressibile, vt in subiecto, ratio, idest definitio differentię de illo prædicatur, de quocunque dicitur differentia ipsa. veluti si gressibile de homine prędicatur, & definitio quoq; gressibilis prędicabitur de homine, quoniam homo gressibilis est. Nota hic secundum Burleum, quod cū Aristoteles dicit differentiam prędicari de prima substantia secundum nomen & secundum rationem, non intelligi per rationem, neram diffinitionem: idcirco, quia omnis diffinitio constat ex genere & differentia, si differentia haberet diffinitionem: differentia haberet differentiam, illaq; aliam: & in infinitum procederetur, quod est inconueniens. idcirco Philosophus per diffinitionem intelligit descriptionem. Ponit deinde dubium cum dicit, quod propter partes substantię quæ sunt in toto, non debet aliquis perturbari: credendo quod partes substātię sint in subiecto aut partes substantię non sint substantię: quoniam partes substātię non sunt in suo toto tanquam in subiecto, propterea quod aliud est esse in subiecto, & aliud est esse in suo toto: pars est in suo toto tāquam constituēs totum, accidēs est in subiecto tāquam forma in materia, sicut ergo forma nō est pars materiæ, sic accidens non est pars subiecti, dicit igitur non uos conturbent tales partes contra dicta, quæ partes sunt in toto quasi sint in subiecto: ne propter hoc cogamur eas confiteri non esse substantias: quoniā quod est in subiecto non est substantia: si ergo partes substantiarum essent in subiecto, non essent substantię, sed accidentia quod falsum est: tanquā secundum veritatem, quamuis sint in toto: tamen non sunt in subiecto: quia quę sunt in aliquo tanquam partes eius, non dicuntur in eo esse, vt in subiecto, sed vt partes essentiales illius. dubitaret autē aliquis, qđ accidentia aliquando existunt sine subiecto, vt patet in sacramento altaris. ergo non solum competit substantię, sed & etiam accidenti non esse in subiecto. ad hoc respondetur, quod licet supernaturaliter hoc possit actu sine subiecto esse, idest secundum actum: tamen est in subiecto semper secundum aptitudinem: sed substantia, nec secundum actum, nec secundum aptitudinem est vnquam in subiecto, & hęc pro prima proprietate. ad secundum trāseamus.

Inest autem substātijs, & differentijs omnia uniuoce prædicari, &c.

Hæc est secunda proprietas substantiæ, in qua ostendit Philosophus, inesse omnibus substantijs vniuoce prædicari, hoc est secundum nomen, & secundum rationem, seu diffinitionem pro qua communitate notandum est, hāc eandem proprietatem, non omnibus substantijs conuenire, sed solum substantijs secundis, & non primis: & hæ secundæ substantiæ, siue sint genera, siue species, siue differentiæ omnia prædicantur vniuoce de primis substātijs: quid sit prædicari vniuoce patet in diffinitione vniuocorum. dicit ergo, inest autem substantijs supple secundis, & differentijs omnia, scilicet, de quo prædicatur, idest, de primis substantijs uniuoce, hoc est, secundum nomen, & secundum rationem prędicari: quoniam ex his, quæ sunt prædicata essentialia, omnia inquam prædicantur aut de in-

diuiduis,aut de speciebus:nãque a prima substantia nulla est prædicatio, id est,de nullo prædicatur, quia particularis est:nihilq; illi subiacet: sed secundarum substãtiarum,species,vt homo, de idiuiduo,vt de Platone prædicatur: & genus de specie, vt de asino, & de Brunelo animal prædicatur. similiter hoc faciunt differentię,puta risibilitas de homine,& forte prędicatur,scilicet & de specie,& de indiuiduo: patet igitur solum substantijs, & differentijs secundis hoc conuenire: hoc autem qđ dictum est probat per hanc rationem, quia id quod de aliquo, secundum nomen; & secundum rationem prædicatur, vniuoce prædicatur: ut patet per vniuocorum diffinitionem: sed secundæ substantiæ,& differentiæ huiusmodi sunt. ergo.minor patet:quoniã, primæ substantiæ (& iste est textus) suscipiunt diffinitionem specierum,vt si dico Plato est homo,& suscipiunt rationem,i.diffinitionem generum, vt si dico Plato est animal,& species generis: hoc modo.Quare quæcũq; de prædicato prædicantur,i.de specie,& de subiecto dicentur, i. de prima substantia.similiter species(vt homo)& indiuidua, (vt Plato)suscipiunt quoque rationem idest, diffinitionem differentiarum: ut homo est risibilis,& Plato. hoc autem totum quod dictum est per diffinitionem vniuocorum est manifestum: quæ sunt, quorum & nomen & ratio, idest diffinitio est eadem. Concludit demũ dicens:quare omnia quæ ex substantijs & differentijs sunt, vniuoce prædicantur. Notãdum iterum est quod prima substantia potest prædicari de aliquo per accidens: quemadmodum euenit, cum prædicatur subiectum de accidẽte; dicendo quoddam album est Plato. Item notandũ est,quòd prædicari uniuoce accipitur dupliciter, uno modo generaliter,ut est prædicari uno nomine,& una ratione,siue prędicatum explicet subiectum,siue nõ:hoc modo accidentia prædicantur vniuoce de prima substantia.alio modo accipitur, ut est prædicari uno nomine, & ratione cum explicat essentiã eius de quo prædicatur hoc modo nihil prædicatur de primis substantijs,nisi secundæ substãtiæ,& earum differentiæ. Dubitatur autem quod differentiæ substantiales nõ habent rationem, idest diffinitionem, cum non sit differentia,differentiæ. Ergo non prędicantur secundum diffinitionem,siue rationem. Dubitatur secũdo:quoniam prima substantia vniuoce prædicatur de seipsa:igitur nõ est proprium solis secundis substantijs uniuoce prædicari,sed & primis. Ad primũ sic est breuiter respõdendum, quòd ad hoc, vt aliquid prædicetur vniuoce sine ratione, nõ requiritur quod habeat diffinitionem, sed sufficit quod sit illi essentiale de quo prædicatur, ut risibilitas est homini. Ad secundum dico, quòd dupliciter aliquid de aliquo prędicatur:proprie, & improprie:licet igitur prima substantia de seipsa prædicetur improprie,non tamen proprię, ut competit secundis substantijs.

Omnis autem substantia uidetur hoc aliquid significare, &c.

Tertiam proprietatẽ substantiæ proponit in pręsenti contextu Aristoteles, scilicet hoc aliquid significare, id est aliquam particularem, & determinatam substantiam, vt Plato,ratio huius dicti est, quoniam indiuiduum est hoc aliquid subsistens in specie completum,sed quia omnis substantia prima significat indiuiduum subsistens, idcirco significat hoc aliquid. Notandum autẽ est quod ad hoc vt aliquod, significet hoc aliquid, tria requirũtur. Primo requiritur quod sit indiuiduũ, igitur nullũ vniuersale significat hoc aliquid. Secundo requiritur quod per se

se substet, quare nulla accidentia non significant hoc aliquid neque secundę substantię, cum non per se, sed in primis substant, propterea quod subsistere est sua propria uirtute stare. Tertio requiritur, ut huiusmodi indiuiduum sit completum in specie, quare ergo anima rationalis a corpore segregata ac diuisa non significat hoc aliquid, quoniam & si sit indiuiduum subsistẽs non tamen est in specie ens completum, cum sit pars speciei humanę. Notandum iterum est, quod omnis secũda substãtia significat quale quid, quẽadmodum omnis prima substantia significat hoc aliquid. & ratio huius dicti est: quoniam qualę quid dicit formam substantialem, communicabilẽ multis. quę substãtia, quatenus est forma dicitur qualis: quia qualificat aliquo modo illud cuius est forma: dicitur quid, quatenus substantialis est. Dicit ergo Philosophus. Omnis aũt substantia supple prima, uidetur hoc aliquid, idest particulare, significare hoc est verum, & indubitabile, idest infallibile in primis substãtijs, quia prima substantia quid unum numero est, de quo certum est, quod significat hoc aliquid: declarat modo de secundis substantijs, quoniam de prima nulli dubium est, cum subdit dicens: in secundis verò substantijs videtur quidem, supple, esse sic, propter appellationis figuram, i. pp similitudinẽ uocis, s. significare hoc aliquid. v.g. si quis dicat homo, qđ species, & animal quod genus, dicat quod significẽt hoc aliquid, verum quidem secundum uocem videtur; sed secundum rei veritatẽ hoc nõ est verum: sed significant magis quale quid, quã hoc aliquid. ratio est in promptu: quoniam illud quod significat hoc aliquid, est vnum numero subiectũ, ut Plato: sed secundę substantiæ non huiusmodi sũt: quia homo de multis pdicatur, s. & de Platone, & Socrate, & Francisco &c. Similiter animal, de homine, leone, & asino, &c. sed aduerte, vt inqt ipse qđ non significant quale quid, simpliciter, vt faciũt accidẽtia, v.g. album & hmõi, quia hoc non significat aliud, nisi qualitatẽ. sed scđæ substãtię significant qualitatẽ substãtialẽ: nanq; & species, & genus est quoddã cõe, seu essentiale primis substantijs, idcirco genus & species importãt, i. determinãt qualitatẽ circa substãtiã: significantq; quãdam qualem substantiã, s. communem & determinabilem per inferiora: sed hæc determinatio ad inferiora plus reperitur in genere, quam in specie: quoniam qui dicit animal plus complectitur, quam qui dicit hominem: & per cõsequens determinabile, seu cõe erit per plura. Sed dubitaret circa hoc aliquis: qđ hoc albũ significat hoc aliqd, & tñ nõ est prima substantia, ergo nõ propriũ solum primæ substãtię, sed ẽt accidentis est. Secundo idem significatur per primam & secundam substantiam, sed prima significat hoc aliquid: igitur & secunda. Ad primũ sic breuiter est rñdendum, quod si aliquid, ut cum ente conuertitur, sumitur: dico quod hoc albũ significat hoc aliquid; si verò capiatur & sumatur, ut denotat essentiam speciei substantialis, non significat, hoc album, hoc aliquid; sed qualitatem. Ad secundum dico, quod prima substantia, & secunda dicunt idem secundum essentiam, sed non eodem modo, sed diuerso: secunda dicit essentiam sub esse communi, prima uerò non, sed sub esse particulari.

Inest etiam substantijs nihil illis esse contrarium, &c.

Hæc est quarta proprietas substãtię: in qua ostendit Aristoteles inter seipsas substantias nihil esse contrarium, idest, una alteri non contrariari: hæc proprietas nõ est in quarto mõ ꝓprio, quia

quia aliquibus alijs prædicamentis cō petit, ut uidebimus infra: hoc autē, potest hoc modo probari: quoniam contraria successiue possunt de eodem uerificari: sed aliquę substantiæ non sunt quæ possint uerificari de eodem, ita ut verificentur, deinde non uerificentur: ergo vna alteri non contrariatur: pro quo notandum est, quòd contrarietas, rerum, vt facit ad propositum tripliciter accipitur. Primo modo generaliter, ut se extendit ad repugnantiam habitus, & priuationis, ut accipitur, quādo dicitur principia rerum naturaliū esse contraria: ut patet in primo Physicorum. Secundo modo accipitur, ut se extendit ad repugnantiam duarum differentiarum diuidentium idem genus: quemadmodum accipitur, cum in vnoquoque genere dicitur esse vnam contrarietatem. Tertio modo sumitur contrarietas pro repugnātia duarum formarum oppositarum mutuo se expellentium ex eodem subiecto. & hoc tertio modo capitur hic. si accipiatur ergo substantia in primo modo, tunc habet cōtrarium: propterea quòd forma substantialis, & priuatio, contrariantur illo primo modo. Si cōtrarietas & substantia accipiuntur secundo modo, habet contrarium: quoniam duę differentię diuidētes idem genus contrariantur. si substantia & contrarietas accipiuntur tertio modo, tunc substantia non habet contrarietatem: nanque in substantijs non sunt formæ actiuæ & passiuæ mutuo se expellētes ab eadem substantia, siue subiecto. Dicit igitur Philosophus, inest autē substantijs nihil esse contrarium hoc est non habere inter seipsas contrarietatem. probat & in prima, & in secunda substantia, exemplo, dicens: Primæ nanque substantię quid erit contrariū, ut cuidam homini, idest particulari, & cuidam animali, idest particulari: sic nec in secundis substātijs, at verò nec homini, nec animali aliquid est contrarium. Deinde ostēdit hanc proprietatem eandem alijs prędicamentis inesse cum dicit; non est autem hoc proprium substantiæ, scilicet non habere contrarietatem, sed & etiam conuenit quantitati: quoniam bicubito & tricubito nil est contrarium: nec circulo, nec quadrato, & huiusmodi. sic nec decem, quinque: nec horum talium huiusmodi. instat deinde & soluit cum dicit, nisi quis dicat quod multum sit cō trarium pauco, quæ sunt quantitates. & magnum dicat esse contrarium paruo: quicquid enim de hoc sit manifestum est, quòd cum damus determinatam quantitatem, una quantitas non cōtrariatur alteri. circa hanc proprietatem dubitatur primo, quòd ignis aquæ contrariatur, ergo substantię inest contrarietas. secundo omne quod corrumpitur a suo contrario corrumpitur, sed substantiæ multæ corrumpuntur ergo. tertio sic prima contraria sunt primi generis, vt patet in primo Physicorum: sed substantia est primum genus, ergo prima contraria sūt de genere substantię: sed nihil est in genere substantię, nisi substātia, ergo prima contraria sunt substātię: & per consequens substantię sunt prima cō traria: unde sequitur substantiā substantiæ contrariari. Ad primum sic respondendum, quòd ignis & aqua contrariantur, secundum accidens, id est, secundum suas qualitates, non autem per se, i. secūdum suas formas essentiales: quia calidum, frigido cōtrariatur: humidum, sicco: sic cum homines altercantur, non est quod sint illæ substantiæ contrariæ; sed propter iniurias &c. Ad secundum dico, quòd omne quod corrumpitur, uel corrumpitur per se, uel per accidens: corrumpitur à suis qualitatibus contrarijs per se, & substantiæ corrumpuntur per accidens. Ad tertium, respondet

det Burleus, quòd Philosophus per cõtraria intelligit formam & priuationem formæ. Et tunc conceditur quod reperitur contrarietas in substantia.

Videtur autẽ substantia non suscipere magis & minus, &c.

Ponit quintam proprietatem substantiæ Philosophus: in qua ostendit substantiam nõ suscipere magis & minus. cuius sensus est iste, vnam substantiam nõ esse magis substantiam quam alteram, vt homo non est magis substantia quam sit formica, & bos, quam musca: igitur quantum ad esse per se, vna non est magis substantia alia, quoniam quicquid est diuisibile suscipit magis & minus, sed substantia secundum suam essentiam est indiuisibilis, ergo &c. dicit igitur Philosophus, videtur autem substantia non suscipere magis & minus, idest intendi & remitti, vel intensionem & remissionem qđ idem est, in propria essentia: Deinde sequitur, non quod vna dicatur magis substantia quam alia, vt prima substantia, secunda, quemadmodum supra dictũ est, sed intelligẽdum est quod vnaquæque substantia, i. singularis, vt Plato, sortes &c. in se absolute considerata, hoc ipsum quod est, i. secundum suã essentiam, nõ suscipit magis & minus, explicat exemplo. d. quia homo nõ est magis & minus homo: nec ipse idem a seipso, nec alterum ab altero: ostendit quæ possunt suscipere cum dicit, quoniam album, & bonũ dicuntur secundum magis & minus, & ipsum a seipso, ut puta cum quis est puer est magis bonus & albus, quam cum est vir; alterumque ab altero, ut hæc subucula, est magis illa alba; hic paries illo est magis albus, &c. magis nunc dicitur album quam erat prius: similiter de caliditate quæ suscipit magis & minus: sed substantia non dicitur nunc magis substantia quam prius; vt cum quis est senex, non est magis homo quam erat puer, nec quicquam etiã de numero illorum quæ substantiæ dicũtur, non suscipiũt magis & minus: aduertetñ quod suscipere magis & minus nõ est idem, cum suscipere maius & minus: quia suscipere magis & minus, non est proprium substantię: sed maius & minus erit, ut bos erit maius substantia secũdum quantitatem quã formica, dubitaret aliquis qa animal est animantius planta, ut ait Boet. ergo substantia suscipit magis & minus. Respondetur ad hoc breuiter, quod aliquid dicitur animantius altero dupliciter, uno modo quia est magis animatum, & tunc non suscipit magis & minus, alio modo quia in operatione vtitur pluribus potentijs animę, isto nanque modo animal est animantius planta: non tamen debemus dicere, quod suscipiat magis, & minus.

Maxime verò proprium substantiæ esse videtur, &c.

Hęc est sexta & vltima proprietas substantiæ in qua ostẽdit Philosophus vnam & eandem substantiam esse susceptibilem contrariorum, instatque vna dubitatione, ac duplici responsione illam diluit, cuius sensus est iste, quidam homo, puta, Plato, absque suę essentię carentia, potest nunc habere infirmitatem, & nunc sanitatem: nunc est calidus, deinde potest esse frigidus, pro qua proprietate, notandum est, hanc proprietatem conuenire omnibus substantijs tam primis, quam secundis, sed diuersimode, quoniam primę substantię sunt susceptiuę contrariorum, secunda verò substantia suscipit ex consequenti contraria, per hoc quia habet esse in primis: quoniam per hoc qđ Plato est calidus vel albus, ex consequenti homo est calidus, vel albus, sic corpus, & substantia: igitur secunda substantia manens eadem una

numero

numero erit susceptibilis contrariorum, cum prima substantia tamen habẽs esse, licet diuersimode, Dicit ergo Philosophus, quod maxime videtur esse proprium substantiæ, susceptibilẽ esse contrariorum, cum sit aliquod vnum, & idem numero: ostendit hoc in alijs, supple, prædicamentis, non esse verum cum dicit, quare in alijs quidẽ non habet quisquam supple, horũ contrariorum, ut probat exemplis d. quæcunque non sunt substantiæ, quamuis sint vnum & idem numero, ut si accipiatur hoc album, qui est vnus & idẽ, numero, hoc est particularis, quemadmodum est Plato: tamen non dicitur (supple hoc album) modo albus, modo niger, sed semper album dicitur: è contra se habet Plato, propterea qđ nunc est sanus, & nunc æger: sic de actione, non possumus dicere quod vna & eadem numero actio si est praua, qđ sit modo praua, modo studiosa, cum sit particularis: sed si est praua dicitur talis, & e conuerso, si est studiosa, studiosa, similiter autem & in alijs supple prædicamentis, quæ prædicamenta nõ sunt substantiæ: confirmat suum dictũ cum subdit dicens: substantia verò, cũ sit vnum & idem numero, susceptiua est contrariorum, vt quidam homo cũ vnus, & idem numero fit, aliquando enim est albus, & aliquando niger fit, vt propter solis radios, & calidus in æstate, frigidus vero in hieme, similiter fit prauus, cum vitijs dat operam, studiosus verò cum litteris incumbit. igitur in alijs nullis, idest non substantijs, aliquid tale, (supple, susceptibile esse contrariorum,) videtur D. bitaret aliquis quod Angeli sunt substantiæ, tamen non sunt susceptibiles contrariorum, quoniam sunt simplices formæ, ergo. secundo cœlum non suscipit, quamuis sit substantia, igitur. tertio vna & eadem numero superficies aliquando est alba, & aliquãdo nigra, ergo & accidens est susceptibile contrariorum, ad primum sic respondendum breuiter est, quod licet Angeli non suscipiant contraria tamen susceptibiles sunt contrariorum, eo quod mutabiles sunt de bono in malum, ad secundum dico, quod cœlum licet nõ suscipiat contrarium in genere substãtiæ tamen in genere situs & vbi suscipit, nempe sursum, deorsum, ante, retro, ex Oriente, in Occidentem &c. ergo suscipit aliquo modo. Ad tertium dico, quod superficies nõ suscipit aliũ colorem tanquam subiectum quod, sed tanquam subiectum quo, quoniam debemus intelligere, quod esse susceptibile contrariorum tanquam subiectum quod, sit proprium substantiæ.

Nisi quis forsan instet, &c.

Hæc est obiectio huius vltimæ proprietatis substantiæ, dicens quod si qs dicat orationem, & opinionem suscipere cõtraria: eadem enim oratio nũc vera est, & nunc falsa videtur esse, vt si quis dicat quempiam, puta, Platonem, sedere, erit vera, sed illo surgente non erit vera sed falsa, similiter de opinione, si quis enim putat aliquem sedere, cum verò surget, falso putabit eò qđ amplius non sedit, si habebit eandem opinionem, ad istam obiectionem est notandum, quod, cum dicimus Platonem sedere (ipso sedente) vera modo est, poterit tamen eadem fieri falsa, si surgat, eadem igitur oratio numero, erit susceptibilis contrariorum: sed aduerte quomodo debet hoc intelligi; & dico substantiam, cum sit vna & eadem numero cum mutatione sui susceptibilem esse contrariorum: cum ista ergo adiectione; (scilicet cum sui mutatione,) est intelligenda hæc proprietas: vt apud substantiam apparet. Oratio igitur, & primo quamuis possit esse una & eadem numero uera, & falsa, non tamen fit circa illam orationem

tionem aliqua mutatio, vt fit in Platone de calido, frigidus fit: ideo non fit mutatio in propositione, sed fit per mutationem rei significatæ. Dicitur ergo vera propositio, ex eo quod ita fit in re quomodo ipsa significat. falsa uero, ex eo quod aliter fit in ipsa, quam significat. mutatio igitur propositionis de vera in falsam, non dicitur mutatio realis, sed dicitur propositionem ex vera fieri falsam, & ecôtrario, sequitur deinde Aristot.

Sed si quis, & hoc suscipiat, etc.

Duplici solutione diluit illã instantiam in præcedenti contextu: demum de ipsa substantia concludit. dicit ergo: sed si quis hoc suscipiat, hoc est, côcedat quod supponitur (scilicet quod oratio & opinio recipiant contraria) tamen differt modo, scilicet, vt supra diximus quod substantia suscipit contraria, secũdum sui mutationem, vt ex albo, fit quispiam niger: & ex prauo, studiosus: & ex calido, frigidus fit: nã ea quæ sunt in substantijs, supple, calor, prauitas, albedo, &c. ipsa mutata, suscipiunt contraria, nempe frigiditatem, studium, nigredinem, quæ sunt côtraria: quoniam frigidum mutatur ex calido, (nanq; alteratur) & nigrum ex albo, & studiosum ex prauo. Similiter, idest eadem est ratio in alijs, qui mutationem suscipiunt, suscipiuntq; côtraria. sed oratio & opinio, non sic se habent, sed sunt immobilia omnino: propterea quòd facta mutatione circa rẽ fit contrarietas circa ipsam, scilicet, orationem, & opinionem: quia oratio quæ dicit, quod aliquis sedet, permanet eadem in se; eo quòd ipsa semper dicit sedet aliquis, & non aliud: sed cũ res quę prius sedebat mota est à sessione, & stat; aliquando quidem, i. prius erat vera; aliquando. i. post est falsa: eadem est ratio de opinione. Patet igitur, quòd solũmodo substantię est proprium, ut suscipiat, (secundum sui mutationem) contraria igitur oratio efficitur de falsa vera, & econtra, non autem secundum sui mutationem alteratur. secundam solutionem ponit Philosophus cùm subdit, dicens: si quis autem recipiat etiam hæc, idest, quod oratio fit susceptiua contrariorũ: non est uerum quod iste recipit: ratio est, quia oratio, & opinio, nô dicuntur esse susceptibilia côtrariorum, eoquòd ipsa, idest oratio & opinio, aliquid recipiant, idest recipiant, ut facit Plato suscipiendo albedinem, nigredinem, prauitatem, &c. sed dicuntur suscipere, vel esse susceptibilia eorũ contrariorum, quę sunt verum, & falsum, vel sed ex eo quod est facta aliqua passio circa alterum; ut puta circa rem significatam, de sedente, & non sedente: nã ex eo quod res, eo modo quo dicit oratio; est vel non est, ipsa oratio dicitur uera, uel falsa: non autẽ quod ipsa oratio suscipiat contraria: quoniam oratio non est subiectum, sed signum veritatis, & falsitatis: oratio enim à nullo quod fit in oratione, uel opinione mouetur: sed est trãsitio de veritate in falsitatem, ideo non dicetur susceptibilis côtrariorum, propter hoc, quod dicat aliquando uerũ, & aliquando falsum; verum substantia, quia recipit contraria; dicitur esse susceptibilis côtrariorum: quia recipit in se contraria, secũdum quod mutatur; suscipiendo enim in se sicut in subiecto languorem, & nigredinem, & vnumquodque talium accidentium, dicitur esse susceptibilis côtrariorum. quare ergo erit propriũ substantiæ hoc, cum sit vnum & idem numero, secundum suiipsius mutationem, idest, cum de nigra fiat alba & huiusmodi susceptibilem esse contrariorum. Concludit deinde de substantia cum dicit: de substantia quidem hæc sint dicta, ac sufficiant. Notandum au-

tem est, secundum Io.And. quod substantia suscipit contraria non sibi: sed alia quæ sunt contraria inter se:non suscipit calorem contrarium substantię, sed frigori: quæ duo sunt inter se contraria: alioquin ista proprietas repugnaret, eo quòd positum est in quarta communitate. Secundo notandum, secundum gratia D. quod verum & falsum sunt diuersimodè in oratione, & in re. & in intellectu: nam in oratione sunt sicut in signo, sed in re sicut in causa: in intellectu vero est sicut in subiecto. dubitaret autem aliquis, quod id, quod semper significat idem, ut hęc oratio Plato sedet, semper significat hunc hominem sedentem, siue sedeat, siue non sedeat: igitur non fit oratio aliquando vera, & aliquando falsa per mutationem rei, vt supra in textu patefecimus. Respondetur ad hoc, & breuiter, quod licet oratio semper idem significatum significet, non tamē semper idem significatum adæquatę significat. ideirco non semper dicitur vera propositio, sed aliquando sic, & aliquando non.

CAPVT II.

De quantitate.

Quanti autem aliud quidem est discretum aliud autem continuum, etc.

HOc est secundum caput, huius secundi tractatus: quod quidem caput continet duas diuisiones de quantitate. continetq; enumerationes specierum diuisionum, & unum dubium, tres communitates, & duas instantias. agit autem Arist. immediatè de quantitate, post substantiæ determinationē quoniam quantitas immediatius inest substantiæ ipsæ, quam alia accidentia: nam alia, mediante quantitate, illo inhærent. Primo ergo notandū est, quòd quantitas est mensura substantiæ: sed quoniam non potest definiri quantitas quidditatiue, non potestq; dari definitio à priori de ipsa, qua notificaretur distincte, quātum ad diuersos modos, quibus mensurat substantiam; illique modi possunt distincte notificari per diuisionē, ideo à diuisione incepit, nēpe aliud esse continuum, & aliud quātum discretum: quia igitur, vt diximus mensurat substantiam, uel mensurat quatenus habet partes separatas, ac discretas, & sic dicitur quantitas discreta, vel mensurat illam, quatenus habet partes continuas, & coniunctas inter se, & sic dicitur quantitas continua, quantitas discreta est illa, cuius partes non copulantur ad aliquem terminū communem: quantitas uerò continua est cuius partes copulantur ad aliquē terminum communem. Item notandū est, quòd hæ species, scilicet, continuū & discretum possunt dupliciter considerari. vno modo comparando eas, ad quantitatem communem, siue in communi; & hoc modo vna non est prior altera, sed æque primo & vniuoce dicitur de discreta, & continua. Secundo modo possunt cōparari inter se, hocq; dupliciter, vno modo secundum nos, vel secundum uiam nostræ cognitionis; & sic quantitas continua præcedit discretam, quoniam per diuisionē continui causatur quodammodo discreta, idest numerus cognoscitur à nobis, q numerus est quantitas discreta. Alio modo comparatur secundum ordinē naturæ, ac simplicitatis, & hoc modo discreta, præcedit quantitatem continuam. Propterea quòd vnitas, quæ est principium discretæ, prior est simpliciter ac naturaliter pūcto, qui est principium continuæ, quia vnitas non habet positionem in cōtinuo sicut habet punctus.

punctus. non definit quātitatem Philosophus propterea quod (& nota) accidentia non definiuntur, nisi secundum quod denominant substantiam. Dicit ergo, quanti.i.prædicamentum quantitatis aliud est discretum, i. diuisum, vt duo, tria, & aliud continuum, ut linea, & aliud constat ex partibus habētibus ad se inuicem positionem, idest ordinem & continuationem: & aliud ex partibus ad se inuicem non habentibus continuationem, ac permanentiam.

Est autem discretum quidē, vt numerus, et oratio, etc.

Nunc incipit declarare supradictas diuisiones Philosoph⁹. deinde quid sit numerus, & quid oratio. dicit igitur. est autem discretum quantum, vt numerus, & vt oratio, sed continuū, idest quantitas continua, est sicut linea, corpus, superficies. & prӕter hæc sunt etiā quātitates continuæ tempus, & locus. Quare est notandum circa hoc, quòd Philosoph. egit de hisce specieb. quantitatis disiunctim; & præcipue de tempore, ad hoc, vt sciamus, quòd non est quantitas eiusdem rationis cum alijs: quoniam aliæ sunt quantitates continuæ ordinariæ, idest permanentes: sed tempus est quantitas fluens. facit vero de loco ad denotandum plenius distinctionem eius a superficie a qua non uidetur differre realiter. subdit deinde de discreta quantitate: dicē. quod partiū numeri, nullus adest communis terminus, hoc est, partes numeri non habent terminum communem: ad quem copulentur partes eius, scilicet numeri. Probat exemplo, vt puta, quinque, sex, septem, si sunt denarij partes, non copulantur ad aliquem terminum cōmunem, quoniam cōflati sunt ex unitatibus, quæ unitates sunt, vt eius partes. Cum ergo non sint vnitates aptæ natura reperiri simul inter se cum suis partibus, eo quòd situm non habent, id circo dicuntur non coniunctæ in vnū communem terminū. Dicit ergo Philosophus, quòd quinque, septem, tria, semper discreta sunt, eo quod non copulantur ad terminum communem. Neq; enim vnquam partium cuiuscunque numeri, reperies communem terminum: sed semper erunt discretæ. Quapropter erit ex speciebus discretorum ipse numerus, quia partes copulatiuas non habet. Nota autem, quòd partes numeri quædam dicuntur aliquotæ, & quædam non aliquotӕ. Aliquotæ sunt illæ, quæ si aliquotiens sumptæ, reddunt præcise suum totum hoc modo: sex est pars duodenarij: quia bis sumptum facit duodenarium præcisè: partes non aliquotæ sunt, quæ aliquotiens sumptæ non reddunt præcise suum totū hoc modo, quinque & quatuor sunt partes duodenarij: vt patet replicando. Exemplificat igitur Aristoteles, vtroque modo, quoniam de omnibus intelligit; vt ostendat esse separatas partes numeri. hoc idem de oratione probat cū d. similiter, & orātio ex speciebus discretorum: quemadmodū numerus. Probat quomodo sit quantitas d. quod enim sit quantitas oratio, manifestum est: quoniam mensuratur sillaba breui, & longa: nā breue, & longum quo mensurat ur oratio, est quantitas: de qua oratione intendit, demonstrat, d. Dico autem de oratione cū est prolata uoce: quoniam particulӕ eius non copulātur ad aliquem terminum communem, quemadmodum reperitur in linea, & corpore: non enim sillabæ, quӕ sunt partes orationis aliquo communi termino cōnectuntur, idest ad aliquem terminum copulantur: sed unaquæq; sillaba est diuisa, secundum seipsam; atque discretӕ quantitatis est, & non continuæ. Notandum tamē est, quòd longum & breue, sunt stricte & proprie passiones quantitatis cōtinuӕ:

non autem discretæ: sed large sumendo reducuntur ad orationem, quæ est in specie discretorum. Notandum etiã est, secũdum Burleum, quòd oratio sumitur quadrupliciter: quædam est scripta, & talis oratio est substantia: vel quoddam aggregatum. Secũdo modo sumitur oratio, vt est in mente, & illa est qualitas; & in prima specie illius: Tertio modo sumitur oratio in pronũciatione, vel uoce, & tunc dicitur sonus, uel uox. quarto & ultimo modo, accipitur oratio pro mensura intrinseca orationis prolatæ; & sic est quãtitas discreta, vt ad propositum pertinet. Nota etiam, quòd numerus accipitur tripliciter. Primo modo pro numero numerato. Secundo modo pro numero numerante. Tertio modo pro numero formali; numerus numeratus sunt res, quæ numerantur: & talis numerus non est in prædicamento quantitatis, nec forte in alio, quia potest de omnibus dici: & iste numerus appellatur transcendens. numerus numerans est ipsa anima, quæ numerat effectiue res ipsas; sed numerus formalis est ille, quo formaliter numeramus aliquas res: sicut unus, duo, tres. Dubitaret forte aliquis quod omnis quãtitas est mẽsura substantiæ: sed oratio non est mensura substantiæ, sed vocis, ergo nõ est quantitas. secundo sic omne genus dicitur æqualiter de suis speciebus: sed quantitas nõ dicitur æqualiter de suis speciebus, cũ prius dicatur de discreta quam de continua. ergo non est unum prædicamentum. Tertio uox prolata est continua, quia passiones uocis sunt continuitas, vel melodia, & dearticulatio sonorum: ergo oratio quæ est mẽsura talis vocis est continua, & non discreta. Ad prim am rationem sic respõdendũ breuiter, quòd licet oratio non mensuret veram substantiam, per se primo, tamen mensurat aliquid, quod habet modum substantiæ respectu ipsius, idest uocem prolatam, quæ est, ut subiectum eius. Ad secundam dico, quòd licet illas duas species comparando inter se, discreta, sit vno modo prior, tamen per respectum ad suum genus, æqualiter se habent: & quantitas prędicatur vniuoce de ipsis. Ad tertiam dicendum est, quòd etsi in voce sit continuitas quantum ad sonum eius, tamen ibi adest discontinuitas, quantum ad formationem literarum, & sillabarum: & mensura hęc dicitur discreta formaliter.

Linea verò continua est, &c.

Supra probauit Philosophus numerum, & orationem, esse quantitates discretas: in præsenti verò contextu probat lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum, esse quantitates continuas. Pro quo notandum primum est, quòd linea est longitudo, absque latitudine, & profunditate, extremitates cuius, sunt duo puncta. cuius ratio est; quia linea intelligitur causari ex fluxu puncti in longum; ideo ex illius fluxu habet longitudinem; quia ergo punctus non potest intelligi, neque in latum, neque in profundum, ideo dicitur linea absque latitudine, & profunditate corporis: & quoniam fluxus pũcti, semper incipit à puncto, & terminatur in illum, idcirco extremitates lineę, sunt duo puncta. Item notandum est, quòd superficies est longitudo cũ latitudine sine profunditate, cuius extremitates sunt duæ lineę. cuius ratio est, quia superficies intelligitur causari, a fluxu lineæ in latum, & ideo dicitur habere latitudinẽ. Sed quia fluxus lineę incipit a linea & in illam terminatur; idcirco non potest intelligi in profundum: diciturq; esse sine illo. iterum notandum est, quòd corpus est longitudo cum latitudine & profunditate, cuius extremitates sunt duæ superficies. ratio huius est, quia intelligitur

gitur corpus causari a fluxu superficiei in profundum, idcirco habet longitudinem a superficie,& latitudinẽ,à fluxu vero superficiei habet profunditatem, quia is ab vna superficie in aliã terminatur, ideo extremitates corporis sunt duæ superficies. per hoc patet quod superficies est mensurabilis per duas dimensiones, scilicet,per latitudinem,& longitudinem: corpus verò per tres,scilicet,longitudinem,latitudinem,& profunditatẽ: quarto est notandum,corpus accipi dupliciter,vno modo pro substantia apta nata mensurari pluribus dimensionibus, & sic est de genere substantiæ non autem de genere quantitatis: secundo modo capitur pro illa trina dimensione qua mensuratur substantia ipsa, & hoc modo est quantitas: quinto notandũ est quod tempus est mensura motus secundum prius & posterius,hoc est,est mensura prioris & posterioris in motu:& patet quod sit quantitas quoniam est mensuratiuum substantiæ: nanque durationes substantiarum mensurantur tempore. Sexto notandum est,quod locus est mensura locati:quod autem omnia quæ dicta sunt, sint quantitates continuæ patet, quia partes illorum copulantur ad aliquem terminum communem. dicit ergo Aristo. linea verò est continua quia partes eius copulantur ad aliquem terminum communem: nempe ad punctum: & quãtitas superficiei, est quantitas cõtinua per eandẽ rationem,scilicet,quia eius partes copulantur ad terminum communem,s. ad lineam. similiter & in corpore, in quo, sumis terminum cõmunem quia copulãtur ad planum, i.ad superficiẽ, notificat hoc idem de tempore & loco cum subdit. d.est autem taliũ,supple, quantitatum continuarum,tempus & locus: quoniam præsens tempus copulatur ad præteritum, & ad futurum: nanque hæc pręsens, præteritum,& futurum,sunt partes temporis, sic præsens copulatur ad præteritum, quia quod est finis præteriti, est principiũ præsentis: copulatur cum futuro,quia quod est finis præsentis, est principiũ futuri: ergo copulantur ad vnum. Rursus locus est ex genere continuorum, quia eius particulæ continuantur ad communem terminum,nanque omnis locus continet partes corporis locati. ergo & partes loci; quæ obtinent corporis partes singulas, ad eundem terminum copulantur, ad quem copulantur corporis partes. igitur & locus, erit quantitatis continuæ: quoniam ad vnum communem terminum eius partes copulantur, Circa hæc dubitatur primo,quod corpus est ex genere substantię,igitur, non quãtitatis,vt posuit Philosophus, secundo sic, tempus est quãtitas per accidens vt patet in quinto Metaphis. sed nullum genus prædicatur de sua specie per accidens, ergo tempus non est species quantitatis. tertio sic omne illud quod mensurat secundum tres dimensiones, ipsas includẽs,est corpus; sed locus habet lõgitudinem, latitudinem, & profunditatem, mensuratque secundum ipsas, ergo locus, non est a corpore distinctus; & per consequens non sunt duæ, sed vna species, ad primum patet solutio in notandis,scilicet,quod licet corpus acceptũ pro subiecto trinæ dimensionis,sit species substantię,tamen captum pro illa trina dimensione, qua mensuratur substantia, tunc est quantitas, non autem substantia, ad secundum dico, quod tempus non est quantitas sic,quod per accidens prędicetur de tẽpore: immò primo, & per se prædicatur de ipso; sed sic dicitur tempus per accidens, quia habet esse ab alio, scilicet,a motu,& mobili,& dependet ab illis in genere causæ materialis & efficientis. Ad tertium & vltimum dicendum est,quod & si locus habet tres di-

dimensiones iuxta eius continentiã; tamen iuxta eius essentiam, duas habet tantum, scilicet, longitudinem, & latitudinem. igitur &c. sed aduerte, vt et adnotauit commentator: quod non determinauit adhuc de loco, secundum veritatem; sed loquitur de loco, secundum opinionem aliorum ponentium esse spacium, cum spacium sit diuisibile secundum tres dimensiones.

Amplius autem alia quidem constant ex partibus, &c.

Ponit secundam diuisionem Aristoteles, ac illam declarat: aliã esse quantitatem, quæ ex partibus habentibus positionem constat, & alia non habentibus Positionem, idest continuationem, dicit igitur amplius, supple, quãti alia constant ex partibus habẽtibus positionem, quæ partes sunt in ipsis quantitatibus. & alia constant ex partibus non habentibus positionem, siue conuexionem: sicut particulæ lineę habent ad se inuicem positionem: habent enim situm: singulæ nanque, supple, partes lineę sitæ sunt alicubi, idest vna pars lineæ, non est, vbi est alia. sed copulantur; & habes vnde situm est vnumquodq;, idest vbi sita est vnaquęque pars lineæ, quoniam sita est in plano, hoc est, in superficie, ad quam partem reliquarum copulantur, i. cæteræ partes copulantur: similiter autem & particulæ plani, i. superficiei, habent quandam positionem: quoniam ostenditur similiter, sicut de partibus, vbi iacet vnaquæque pars superficiei: & quæ etiam partes copulantur ad inuicem, sumũtur quoque particulæ loci, & soliditatis, i. corporis. forma sic sillogismum: omne illud cuius partes sunt alicubi sitæ: & ad inuicem copulantur, constat ex partibus habẽtibus positionem: sed linea, superficies, locus, & corpus, se habent hoc modo: ergo. hæc omnia constant ex partibus habentibus positionem ad inuicẽ. Notandum autem est, quod, quia punctus habet positionem, i. situm: necesse est quod omnis quantitas deriuata a puncto situm habeat. Item notandum qđ punctus realiter loquendo nõ est pars lineæ, sed terminus est. tamen quia id quod est aliquid rei, dicitur pars eius sumendo partem largo modo, non autem stricto: idcirco appellauit hic Philosophus punctum particulam lineæ.

In numero autẽ non poterit quisquam ostendere, &c.

Supra quantitates quæ constant ex partibus habentibus positionem declarauit Philosophus: nũc ad illas quæ ex partibus non habentibus positionẽ constant descendit. dicit igitur; in numero antem quisquã, vel aliquis hoc non poterit ostendere, quomodo partes eius habeant positionem aliquam, idest annexionem, siue coniunctionẽ ad se inuicem: aut vbi iacent, eo quod non habent communem terminum, vt ad illum omnes partes tendant; aut quæ partes ad se inuicem connectuntur: quoniam nulla pars illius quantitatis, cõnectitur, sed segregata est. neque ex quæ temporis sunt: quoniam tempus est quantum successiuum, & particulæ temporis non permanent, neque habent continuationem, ita vt possit assignari hæc uel illa particula; ideo sequitur, quod autem non est permanẽs, quomodo positionem vel permanentiam aliquam assignabis? quoniam quod transactum est amplius nõ est; idẽ non potest sumi numero: ostendit quomodo hæc se habent, dicẽs, sed magis dices habere ordinem quendã, non autem permanentiam, secundum prius & posterius, iuxta temporis determinationem, idest hoc est prius via temporis, & hoc posterius, similiter hoc idem, se habet in numero: & ratio est quoniã habet ordinem; prius enim

vnus

vnus numeratur quam duo, & prius dicitur duo, quam tres, & prius dicitur propositio quam conclusio; numerando ergo sic, habebunt quendam ordinem nō autem habebunt positionem, vel permanentiam: quoniam quod dictum est, sumi, s. idem numero non potest, & hoc est quod dicit positionem vero non accipies, idest non habebit permanentiam. Simili ratione possumus quoque hoc, de oratione dicere, quoniam partes orationis, quæ sunt dictiones, non permanent, cum prolatæ sunt: quod enim dictum est non potest amplius assumi: quapropter igitur, non erit ulla positio, idest annexio partium eius, supple, orationis: non enim permanent: igitur quædam quantitates continuæ constant ex partibus habentibus ad se inuicem positionem, & ex non habentibus, ad se inuicem positionem. Notatione tamen dignū est, quod in quantitatibus successiuis, vt in tempore & oratione, nihil potest redire idem numero: potest tamen redire idem specie, vt de tempore manifestum est: quoniam ergo oratio est quantitas successiua, quod semel dictum est amplius idem numero non potest proferri: licet posset eadem oratio multoties proferri, ac sepe & sepius pronunciari, patet ergo ex his, quæ dicta sunt solutio dubij, concludamus ergo breuiter, quod omnis quantitas habens in partibus positionem, habet partes permanentes & connexas: sed numerus, & tempus, & oratio, non habent partes situaliter connexas: igitur hæc tria non habent partes permanentes: sed solum habent in eis quendam ordinem.

Proprie autem quanta, hæc dicuntur sola, quæ dicta sunt, &c.

Ponit Aristoteles in præsenti contextu conclusionem; in qua ostendit quæ sint quantitates propriæ: quia igitur secundum Boet. principaliter aliquid esse dicitur quod per se tale est: quale esse demonstratur. secundum accidens vero quod non per se, sed per aliud; tale est quale esse dicitur, ut albedo inest colori, cum dicitur homo est coloratus non per se dicitur: idcirco homo quatenus homo est; color nō est, sed dicitur coloratus, quia habet illum: sic quoque quantitates, quæ omnia dicta sunt, scilicet, linea, superficies, corpus, numerus, tempus & oratio, per se & secundum suam naturam quantitates dicuntur. hoc idem affirmat Philosophus cum di. proprie autē quanta, idest quantitates propriæ & essentiales, hæc dicuntur sola, idest, hæ solæ sunt, quæ supra diximus: sed alia dicuntur quanta, idest, quantitates secundum accidens, idest per accidens: quoniam quæ dicuntur ex ordine ad aliud dicuntur quantitates per accidēs. sed alia omnia talia dicuntur: igitur: nanque ad hęc, scilicet quātitates per se, alia aspicientes, dicimus illas esse quātitates, vt puta, album dicitur multum, non quod iste color secundū qđ est, sit quantitas, idest, secundum suam essentiam, sed dicitur quantum per ordinem ad aliud; puta ad superficiem: quia ergo superficies multa est, dicitur album multum. similiter de actione, non dicitur actio, puta ludus, longa: sed dicitur longa, per ordinem ad tempus, eo quòd multo tempore lusit. Motus quoque, puta, nauis, nō dicitur (vt barbare loquar) remigasse multū, nisi per respectum ad tempus, &c. huiusmodi: quoniam non dicitur actio multa, nisi quia mensuratur tempore imaginato, vel aliquo sic modo definiet, idest mēsurabitur, annus, & huiusmodi. & si quis dicat quantum sit album; per superficiē diffiniet, idest mensurabitur, quanta erit superficies, tantum similiter album. concludit cum

dicit,

dicit,quare sola quanta, ideſt hæ ſolæ quantitates quæ ſupradictæ ſunt, proprie dicuntur quanta: aliorum verò, ſupple,quantorum ſi,ſupple,dicuntur quanta, hoc per accidens dicuntur,id eſt, per reſpectum ad aliud dicuntur; non aũt per ſe,vt patet de albedine,& actione:illa reſpectu ſuperficiei; hæc reſpectu temporis:

Amplius quanto nihil eſt contrarium,&c.

Ponit tres communitates quantitatis Ariſtoteles. quarũ prima eſt in præſenti contextu cum vna inſtantia. Pro qua communitate eſt notandũ, quòd quantitas non ſuſcipiat magis, atque minus dupliciter poteſt intelligi. vno modo quod nihil ſit cõtrarium ei per accidens:hoc modo nõ eſt verum, ſed reperitur contrarietas, quoniã ſuperficies alba eſt contraria ſuperficiei nigræ. Si verò capiatur cõtrarietas proprie pro repugnantia formarum actiuarum, & paſſiuarum:ſic in prædicamento quantitatis nõ adeſt contrarietas; vt accipitur in hac proprietate,qđ ſic poteſt confirmari, id non habet cõtrarium,quod in materia præcedit omnem contrarietatem; ſed quantitas in materia,ſeu in ſubſtãtia materiali,præcedit omnia contraria: ergo quãtitas non habet cõtrarium. Dicit igitur Philoſophus: quod quantitati nihil eſt cõtrarium. hoc autem manifeſtum eſt, ſupple,in quantitatibus definitis,ideſt, determinatis:quia nihil eſt illis contrarium, vt bicubito, tricubito,vel ſuperficiei,vel alicui talium:nanque omnibus iſtis nihil eſt contrarium: non enim eſt contrarium quantitas quę tricubitum eſt, q̃titati bicubitũ: bene eſt maius quantitas. nec eſt cõtrarium bicubitum ſuperficiei. Inſurgit autem hic dubitatio,quæ ſic eſt,locus ſurſum & locus deorſum contrariantur,& tamen ſunt quãtitates, ergo contrarium ineſt. Secundo ſic omnis motus ſit de contrario in contrarium, ſed in quantitate eſt motus augumenti, & decrementi, ergo in quantitate adeſt cõtrarietas. Ad primam rationem ſic reſpondendum eſt, quod ſi locus ſurſum & locus deorſum conſiderentur ſecũdum ſuas eſſentias, ſiue ratione menſuræ non habent contrarium; ſed ſi cõſiderentur quãtum ad qualitatem, ſeu influentiam quę ſunt in illis locis diuerſis,contrariantur.ſed non accipiſitur ſic,quia eſſet conſiderare illa loca cum qualitatibus,non autem ſecundũ ſimplicem formam quantitatis. Ad ſecundum dico, quòd eſt motus & contrarietas imperfecta,in quantitate cõſiderata ſecundum ſuum eſſe phyſicũ: tamen non eſt contrarietas in quantitate conſiderata ſub ratione mẽſurę, in qua conſideratione non adeſt motus,nec etiam contrarietas;ſicque a logico conſideratur. Subdit deinde vnã inſtantiam cum dicit,(adde tamen primo,) dico quod quantitati nihil eſt cõtrarium, niſi quis dicat multa contrariari paucis, & magnum eſſe contrarium pauco. ad quam inſtantiam uno modo reſpondet d. quod nihil horum eſt quantitas, ſed magis ſunt ad aliqđ, ideſt relatiua: quoniam nihil dicitur magnum,vel paruum per ſeipſum;ſed dicitur ſic quatenus ad aliud refertur, cuius ratio eſt, quia mons dicitur quidẽ paruus, & milium dicitur magnũ, cũ ſit paruæ quantitatis reſpectu mõtis:ſed dicitur hoc, eo quòd milium ſit maius aliquo alio in ſuo genere milij, & mons eo quòd eſt paruus reſpectu alterius in ſuo genere montis. Patet ergo quòd hæc non dicuntur,niſi in relatione ad aliud. & hoc eſt quod dicit, & hoc,ſupple,mons dicitur minus ijs, qui maiores ſunt ſui generis: illud vero ſupple milium dicitur maius ijs, qui minores ſunt ſui generis. Nam ſi non eſſet ita, nunquã mons diceretur

paruus,

paruus, quomodo aliquando dicitur: neq; milium magnum diceretur. Rursus, aliud exemplum præbet, d, in vico dicimus esse plures homines, & in ciuitate paucos: cũ sint in ciuitate multo plures, quã in vico, & in domo multos dicimus, & in theatro paucos, cũ sint plures: hoc intellige respectu sui generis: quia sunt multi in vna domo cum vigintiquinque erunt, respectu illius, in qua nõ erunt, nisi tres, vt in domibus pauperũ reperitur. sic de theatro respectu alterius. aliter hoc declarat. d, amplius bicubitum, & tricubitum, & vnumquodq; talium significãt ac denotant quantitatem, sed magnũ & paruum, multum & paucum non significant quantitatem, sed relationẽ, idest ad aliquid, quod est idẽ, quia magnum consideratur ad paruum, i. respectu illius. Manifestum igitur est, q ipsa, scilicet, magnum, paruum, multum paucum, & similia, sunt eorũ, quę ad aliquid dicuntur, Sed contra Aristotelem sic insurgit Andr. quoniã quinto Metaph. Arist. ponit magnitudinem per se speciem quantitatis, & magnũ, ergo erit species quãtitatis: probatur consequentia, quia concretum nõ est in alio genere ab abstracto. Respõdet, quòd magnitudo dicitur æquiuoce, vt est species quantitatis, & vt est passio. primo modo non dicitur magnum de nominatiue a magnitudine. sed secundo modo, & sic Aristoteles negat esse quantitatem.

Amplius, siue aliquis ponat quanta esse hæc, siue non ponat, &c.

Ponit Philosophus secundã responsionem; probatq; magnum & paruum nõ esse contraria dato etiam, quod essent quantitates, duabus rationibus. dicit igitur: Amplius siue aliquis ponat hæc quæ diximus esse quantitates, siue nõ ponat: vtroque modo nihil est contrarium eis: quoniam quod non potest sumi per seipsum, scilicet, solum, sed refertur ad aliud, siue ad alterum, vt facit, magnum ad paruum; quomodo huic est aliquid cõtrarium, quasi dicat, si non possunt permanere per se, nisi cum altero, quomodo est contrarium. deinde ponit aliam rationem cũ subdit, amplius si magnum & paruum essent contraria, contingeret idem ipsum simul suscipere contraria: contingeretq; aliqua esse contraria sibimet: quod autem hoc inconueniens sit verum; patet, quia, ut subdit, continget idem corpus esse simul magnũ, & paruum, ad diuersa comparatum. nanque quod est magnum ad hoc, est paruum quo ad alterum. verbi gratia, elephans ad hominem comparatus, est magnus, ad montem verò paruus. quare idẽ subiectum, & simul tempore in se recipit contraria, sed hoc impossibile est: quia uidemus quod substantia quę est receptiua contrariorum: non potest in se simul contraria recipere: sicut non potest idem homo simul æger esse, & sanus: aut albus, & niger: ergo est quoque inconueniens, quod magnum & paruum sint cõtraria ad inuicem: quoniã aliquod simul cõtraria suscipiet, id est, magnum & paruum. ponit tertiã deinde rationem dicens, quod & eadẽ contingeret esse contraria sibiipsis: si ponantur magnum & paruum esse cõtraria, uel magnum paruo contrariũ: quemadmodum dictũ est: quia ipsum idem simul est magnum & paruum, & erit sibiipsi contrarium: sed quod aliquid sit sibiipsi contrarium impossibile est: ergo magnum paruo contrariũ non est, neque multum pauco. Quare, etsi aliquis dicat magnum & paruum non esse de numero ad aliqd, siue relatiuorũ, nihilominus tñ quantitas non habebit contrarium, ut sæpe ac sępius diximus. rationibusq; allatis, hoc, verum patet esse.

Maxime autem circa locum esse videtur contrarietas quanti, &c.

Secundam instantiam ponit Philosophus in præsenti contextu, ad quam instantiam nō ponit solutionem, quia ex prædictis potest haberi. dicit igitur quod maxime circa locū videtur esse contrarietas quantitatis: quoniam ponunt, supple, sapientes sursum esse cōtrarium ei quod est deorsum: locum qui in medio est, i. in centro terræ dicunt esse deorsum, qui vero in extrema parte, i. in circumferentia circuli, dicunt esse sursum, quia maxima adest distantia. ergo quia maxima inter hos est distantia & disconuenientia sunt contraria, ad quod argumentū responsionem fecimus. confirmat deinde cū subdit. d. videntur autem sapientes, ab his conditionibus, proferre definitionem contrariorum: nam dicuntur illa esse contraria, quæ multum ad se inuicem distant: de numero eorum quæ sunt in eodem genere, contraria esse definiunt, ac determinant, cum igitur ista definitio contrariorum potest saluari, circa sursum, & circa deorsum mundi, videtur quod sint contraria.

Non videtur autem quantū suscipere magis, & minus, &c.

Hęc est secunda proprietas, siue cōmunitas substantiæ, quæ talis dicitur quod secunda proprietas quantitatis est, vt non suscipiat magis & minus. ratio huius proprietatis est, quia suscipere magis & minus est aliquid perfici in suo esse specifico, sed quantitas non potest magis & minus perfici in suo esse; igitur non suscipit magis neque minus: declaro quid sit perfici, exemplo, verbi gratia, sudariolum dicitur magis, & minus album aliquo alio, quod sic non potest dici de quantitate, hoc patet in omnibus quantitatibus: diuidatur ergo linea in minima quantitate, quia non erit minus quantitas, quam maxima pars, & in hoc cōuenit cum substantia: potest tamen suscipere maius & minus: sed hi termini magis & minus, & maius & minus differunt inter se, quoniam mons erit maius quantitas milio, dicit ergo Philosophus. Non videtur quantum, idest quantitas suscipere, i. dicere secūdum magis & minus, vt bicubitum, quia nō est magis quantitas bicubitum vnum quam sit alterum, vel quam sit tricubitum, neque in numero, vt tria non sunt magis quantitates, i. quanta; quā quinque, neque tria, trium, neque decem, viginti: non vnus dicitur altero magis numerus, eadem ratio est de tempore, non enim dicitur vnum altero magis & minus tempus, vt tempus futurum non dicitur esse magis tempus quam sit præteritum, & pręsens, neque in ullo eorum, i. quantorum, quæ dicta sunt, omnino magis & minus quantū, d. quare ergo nō suscipit magis, & minus q̄titas, Dubitat̄ aūt hic circa hanc proprietatē, quod quantitas magis, & minus perficitur secundum esse quantitatis, propterea quod numerus habet esse perfectius in quatuor, quam in duo, ergo suscipit magis & minus. Secūdo inæquale suscipit magis & minus, sed inæquale est quantitas, ergo, ad primum dicendum est, quod licet quantitas in esse diuersarum specierū possit magis & minus perfici, quia est vna species perfectior altera, tamen in propria essentia, siue i proprio esse, non potest magis & minus perfici, & hoc ad suscipere magis & minus requiritur, ad secūdum dico, quod si capiatur inequale pro fundamento, tunc suscipit magis & minus: sed si capiatur formaliter pro inæqualitate ipsa, non suscipit magis, & minus. Nota secundum Burleum, quod ista proprietas suscipere magis & minus nō est propria

pro-

proprie quantitati: quoniã omni quantitati competit: sed non solum, quia etiam substantiæ, alijsq; quibusdã prædicamentorum. Nota secundo quod maius & minus dicunt excessum quantitatis: magis verò, & minus excessum, seu defectum qualitatis.

Proprium autem maxime quanti est, quod æquale, & inæquale dicitur, &c.

Accedit ad tertiam & vltimam communitatem, siue proprietatem Aristot. in hoc vltimo contextu. Ostendit hoc enim, esse proprium quantitati, & non aliquo alio prædicamentorum dici æquale, & inæquale, declaro vt si dicam Platonem, & Socratem esse æqualis q̃titatis; & albedinem huius parietis, esse æqualẽ nigredini illius, respectu superficiei, hoc accidit propter illas, quæ superficies sunt æquales inter se; vel lõgitudo Platonis, & Socratis erit æqualis, ita vt si substantiæ dicuntur, vel applicauerimus substantiæ æqualẽ & inæqualẽ, hoc eueniet ratione quantitatis, quæ ibi aderit, erit æquale & inæquale, secundũ duas longitudines, vt duo corpora dicuntur æqualia & inæqualia. Pro quo notãdum est quod æqualitas est rerum differentium eadem quantitas in specie. Inæqualitas verò est rerum differentium diuersa quantitas, idcirco æqualia sunt res diuersæ eiusdem quantitatis inter se, itẽ notandum quod æqualitas & inæqualitas sunt relationes fundatę in quantitate, dicit igitur Philosophus: quod propriũ, maxime, i. præcipue est quantitatis, vt dicatur inæquale, & æquale, dixit autẽ maxime, quia huic soli prędicamento competit hęc proprietas, Pro qua proprietate notandum est, quod aliud est dicere æquale, & inæquale, & aliud est dicere simile & dissimile: primi secundum quantitatem dicuntur, alij verò secũdum qualitatem, hinc colligite in quo differat comparatio a similitudine: nam comparatio pertinet ad quantitatem, & qualitatẽ, dissimilitudo verò & similitudo ad qualitatem solum, subdit ergo, d. vnũquodque enim eorum quantorum quę dicta sunt, siue linea, siue numerus, siue tempus, siue oratio & reliqua quæ diximus, æquale & inæquale dicuntur, vt corpus æquale, & inæquale dicitur, vel quia ambo eadem sunt mẽsura, vel non eadem mensura, numerus quoque dicitur secundum æquale, vt quia ambo tria, vel inæquale, quia sunt quinq; & tres: & tempus quoniam ambo sunt vna hora, & inæquale, quia est vna hora, cum dimidia, similiter & in alijs quantitatibus, scilicet, dicitur secundum æquale, & inæquale, sed in cæteris quæ non sunt quantitates, non videtur nos debere dicere secundum æqualitatem & inæqualitatem, vt si quis habet quãdam dispositionem & alter aliam, non dicitur secundum æquale, & inæquale; sed dicere debemus esse similem & dissimilem, quid autem sit dispositio; in capite de qualitate videbimus, eadem ratio est de albo quoniã non dicimus esse ęquale & inæquale, sed simile & dissimile: similiter de alijs qualitatibus. Quare ergo est propriũ supple, solius quantitatis æquale, & inæquale dici, igitur secundum se, hęc proprietas propria est quantitati, & si conuenit alijs puta accidentibus, hoc, competit ratione quantitatis, & hæc erit quantitas secundum virtutem, nõ autẽ quantitas quantitatiua, seu æqualitas quidditatiua. Dubitaret autẽ aliquis quod duo homines possunt dici æquales virtute, & tamen virtus nõ est quantitas, ergo, non est illi proprium. Respondeo, quod licet dicantur aliqui æquales virtute, hoc non dicuntur proprie, sed secundum similitudinem. cõcludamus ergo, quod habuimus tres diuisiones quantitatis: & tres proprie-

tates prima, quod quantitas non suscipit contrarium: ratio est, quia, tria requiruntur ad hoc, vt aliqua dicantur contraria, primo quod sint sub eodem genere; nam quæ sunt sub diuersis, nõ dicuntur contraria sed diuersa, vt homo & albedo. Secundo quod sint formæ positiuæ, quando enim alterum priuatiuum est, non dicuntur contraria, vt cecitas, & visus. Tertio quod pugnẽt mutuo inter se circa idem subiectum, vt calor a manu frigiditatem expellit. uidimus quoque, quod non suscipit magis & minus, & quod secundum quantitatem res dicuntnr æquales, & inæquales, & hæc quantitas, pro quantitate sufficiat.

CAP. III.

De Relatione.

Ad aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, &c.

Consequenter aggreditur Aristoteles prædicamentum ad aliquid, seu relationis, vel respectiuũ, eo quod vt plurimum fundatur in quantitate, vt patet: nanque plures relationes in ea reperiuntur, omnes enim proportiones numerorum, vt duplum, dimidium quadruplum, triplum, & cæt. & quantitatum continuarum quoq; omnes igitur hi conceptus, qui relationẽ important. i. vnus ad alterum, sunt ex genere ad aliquid, siue relationis, quæ quidem relationes non possunt considerari absque sua relatiua, vt pater nõ potest considerari absq; filij consideratione, sic de reliquis. Primo igitur notandum est, quod ad aliquid siue relatiua duplicia sunt, scilicet, q̃dã sunt relatiua secundum dici, & quædam relatiua secundum esse. Relatiua secundum dici, sunt, quæ de suo principali significato, non important relationẽ, vt scientia, quæ habet esse absolutum in qualitate, & vltra hoc tamen habet respectum ad scibile, & propter hoc ponitur in definitione, vel quomodolibet aliter ad aliud, hoc est, aliquo modo ad aliud refertur. Relatiua vero secundum esse: sunt quæ de suo principali significato important relationem, vt pater, & filius, qui non habent esse alterius generis, quemadmodum habet scientia, quę habet aliud esse in qualitate: idcirco dixit Aristot. in definitione, (quæcunque, hoc ipsum) i. esse, (quod sunt,) idest cuius sunt, dicuntur aliorum. Notandum secundo, quod tripliciter diuiduntur relatiua scilicet æquiparantiæ, alia superpositionis, & alia suppositionis; quia igitur omnia relatiua important respectum ad aliud, vel hoc fit æqualiter, vel non, si æqualiter, vt simile, dissimile, dicuntur relatiua æquiparantiæ si vero inæqualiter, hoc dupliciter, s. per superpositionem, quia dicũt superioritatem, vt prælatus, episcopus, dominus & similia, si important inferioritatem tunc dicuntur per suppositionem, vt seruus domini, subditus superioris, & similia: Dicit ergo philosophus: Ad aliquid, i. respectiua, seu relatiua, talia dicuntur, vel appellantur, quæcunque hæc ipsa quæ sunt, i. quorũ esse refertur ad aliud, dicuntur esse aliorum, vel quomodolibet aliter ad aliud, idest, vel genitiuo casu, vel datiuo, vel alio proferuntur, verbi gratia, duplum dicitur dimidij duplum, & habitus dicitur alicuius habitus, disciplina dicitur disciplinati disciplina: & hoc modo dicuntur relatiua ad habitudinem genitiui casus. Quæ dicuntur ad habitudinem datiui sic, vt simili simile: ad accusatiuum, vt mons magnus ad montem paruum. Hic solet dubitari quare

ri quare describit Aristot. Relatiua in numero plurali: ad quod respondetur quia relatiua non à se sed ad aliud referuntur, & quia sunt æquiuoca, nec potest repperiri hoc genus nisi in pluribus, idcirco in plurali describit; illa: deinde subdit. d. quod maius hoc ipsũ, quod est, idest, per seipsum, dicitur alterius; quoniam dicimus maius, esse aliquo maius: similiter duplum hoc ipsum, quod est, idest, quod autem sit duplum, est duplum dimidij, quod autẽ aliquis sit dominus, hoc ipsum quod est, idest, esse dominus, est Dominus sui serui. Similiter autem, & alia quæcunque huiusmodi sunt, aduerte quod Arist. vtitur genitiuo, eo quòd ablatiuo carent. sunt etiam relatiua habitus, dispositio, sensus, scientia, positio: hæc nanque omnia, quę dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, idest, quatenus huiusmodi sunt, dicuntur esse aliorum: vt scientia dicitur scientia scibilis, & sic de reliquis, vel quomodolibet aliter ad aliud, idest, non solum dicuntur ad aliquid, quæ sunt in genitiuo, sed etiã in quocunque alio casu, & non aliud quiddam supple est, hoc ipsum quod est, vt habitus est alicuius habitus. i. etsi habitus sit ex genere qualitatis, ad habitudinem tamen alicuius est habitus scientia est alicuius scientia, idest, ad scibile, sensus quoque alicuius sensus, idest, ad sensibile. Et positio est alicuius positio, & alia quoque similiter. Deinde subdit, igitur ad aliquid sunt quęcunque hęc ipsa quæ sunt, dicũtur supple, talia, esse aliorum, idest, in genitiuo casu, vel in aliquo alio casu, idest, in accusatiuo, vt mons magnus dicitur ad alterum montem magnum, (magnus enim mons dicit̃ ad aliquid) & simile, idest, in datiuo alicui simile, & cętera, talia similiter dicuntur ad aliquid, idest, sunt relatiua, sunt autem relatiua accubitus, & statio, & sessio quędã positiones, idest, situs, sed quia huiusmodi positiones sunt ad aliquid, crederet forsan aliquis, quod essent iacere, & stare, vel sedere positiones, eo quod dicuntur denominatiue ab ijs positionibus, idest, stare a statione, & sedere a sessione, &c. quę dicta supra, tamen reuera non sunt positiones. Dubitaret autem aliquis, habitus, scientia, & partes substantię, & alia nõ sunt relatiua, & tamẽ dicunt̃ ad aliud, ergo alijs a definito cõpetit hęc definitio. Scd̃o sic p̃nitas est ad aliq̃d, & non dr̃ ad aliud, eo quod non dr̃ paternitas filij paternitas ergo non omnibus relatiuis hæc competit definitio: ad primum sic respondendum est, quod quãuis habitus, qui ad habentem dicitur, & scientia, ad scibile, & partes ad totũ, non dicantur relatiua secundum esse, tamen secundum dici dicuntur: ideo bona definitio est, nec alijs competit; Putarem esse hanc definitionem Platonis; ideo Aristot. dicit infra si igitur sufficienter &c. ad secundum dicendũ, quod quamuis paternitas in abstracto non referatur ad aliquid actualiter: tamen potest referri aptitudinaliter, actualiter verò in concreto. Notatione dignum est, quod quædam sunt relatiua per se, vt habetur ex 5. Metaph. & quædam per accidens: per se sunt omnia illa, quę important habitudinẽ, suo nomine, ad aliud, vt pater, domin⁹, scientia, filius, &c. huiusce generis: per accidens verò illa, quæ in suis nominibus non important habitudinem ad aliud: & tamẽ ratione alicuius accidentis sibi adiacentis dicuntur ad aliud, vt homo ad filiũ, dicitur per accidẽs, quatenus accidit esse patrem: non autem quod importet in suo nomine habitudinem ad filium.

Inest autem & contrarietas in ijs, quæ sunt ad aliquid, etc.

Continet hoc caput, duas definitiones, & quatuor cõmunitates, siue proprietates,

prietates, tres conclusiones, unum dubium, & unum correlarium. Declarata igitur prima definitione accedit Aristoteles ad primam proprietatem: quę est, quod ea quæ dicũtur ad aliquid habent contrarietatem, vt virtus est contraria vitio. sed quoniam alijs cõuenit hæc proprietas, idcirco nõ est illi proprium quarto modo. Pro qua proprietate notandum est, quòd dicimus relatiua alia esse, secundum esse, & alia secundum dici: dico ergo, quòd hęc proprietas conuenit solum relatiuis secũdum dici, non autem secundum esse: Dicit ergo Philosophus. Inest autem cõtrarietas in ijs, quæ sunt ad aliquid: vt virtus est contraria vitio: cũ vtrunq; eorum sit relatiuum: quoniam nõ possumus considerare vnum, nisi alterum consideramus: & scientia est contraria ignorantiæ: cum tamen sit relatiuum: deinde ostendit hoc non inesse omnibus quæ sunt ad aliquid cum subdit dicens: non tamen omnibus ijs quæ dicũtur ad aliquid, siue sunt relatiua, hæc proprietas inest, sed solũ (vt diximus) quæ sunt huiusmodi non secundum esse, sed secundum dici, vt duplici nihil est contrarium, neque triplici nihil est contrarium, neq; alicui, quę talia sunt. si diceret aliquis quod non debet considerari hic virtus, & vitium, eo quòd sunt qualitates: dico, non esse inconueniens vna & eadem res diuersimodè considerata, cõsiderari in diuersis prędicamentis. Secundo notandum est, quod ignorantia duplex est, secundum eundem in primo Posterior. scilicet, Ignorantia negationis, & ignorantia dispositionis: virtus ergo opponitur ignorãtiæ dispositionis, vt cõtrariũ illi. Ignorantia verò negationis, opponitur illi, ut habitus opponitur priuationi. Insurgit dubium, quia ubi est contrarietas, ibi est motus, sed in ad aliquid non est motus, vt patet in libro primo de Physico auditu; ergo nõ est contrarietas in relatione. Respõdetur breuiter, quòd ubi est contrarietas per se, ibi est motus, sed in relatione non est cõtrarietas per se, sed tantum per accidens: & eo modo, quo est contrarietas, eo quoque modo est etiam motus.

Videntur autem, & magis, & minus ea quæ ad aliquid sunt, suscipere, &c.

Hæc est secunda proprietas huius relationis: in qua proprietate ostendit Philosophus, quod quędã relatiua suscipiunt intensionem, & remissionem; deinde ex eodem contextu ostendit quædam, quæ dicuntur ad aliquid non suscipere magis, & minus, dominus quis magis non est altero, ut si habet centum seruos, alter verò tantum unum, dicitur esse dominus pluriũ non autem magis dominus, sic de patre eadem est ratio: nam magis & minus vt diximus supra, dicunt defectum qualitatis, uel quia ipsa habitudo, quæ per ista ad aliquid principaliter significatur, non potest suscipere magis, & minus. sed in qualitatibus adest magis & minus susceptio. Primo ergo notandũ est hanc proprietatem non omnib. ad aliquid conuenire, sed ijs quæ sunt huiusmodi secundum dici, vt ignorantia magis & minus suscipit, & scientia, habitusque, &c. sunt tamen aliqua secundum esse, quæ suscipiunt magis & minus, uel intensionem, & remissionem, quod idem est: quia æquale, & inæquale sunt relatiua secundum esse, & tamẽ dicimus aliquem magis, & minus æqualem: quoniam hoc corpus quatuor pedum dicitur magis inæquale corpori duorum pedũ, quam corpus trium pedum, propter maiorem lõgitudinem. Similiter in numeris, octo enim dicitur magis inæquale duobus, quam quatuor & tempus sex horarũ, trium horarum tempori, dicitur magis inæquale, quam quatuor. quare potius

ctus erit hæc communitas, conditio dicenda quam proprietas. Non obstat in contrariũ authoritas Aristotelis, quia est scientia, secundum aliorum opinionem, non autem secundum propriam determinationem: Dicit igitur Philosophus. Videntur autẽ, quæ ad aliquid, idest relatiua sunt, suscipere magis, & minus. Simile enim & dissimile suscipiũt magis & minus: quia dicimus hũc magis similem illo alio, æquale & inæquale secundum magis & minus dicimus; nanque quatuor sunt magis ęqualia duobus, quam sex. ostendit non conuenire hęc proprietas omnib. cum subdit dicens: Non autem omnia quæ sunt ad aliquid, suscipiũt magis & minus: propterea quòd duplum, non dicitur secũdùm magis & minus, & tamẽ relatiuum est: non enim est magis duplum hoc quam hoc, nec aliquid horũ talium suscipit magis: erit ergo notatione dignũ, quia relatio fundatur in rebus aliorum prædicamentorum: idcirco secundum quod iste res habent cõtrarietatem, & magis, & minus; hoc idem cõtingit in ad aliquid, siue relatiuis: nanque relationes quæ fundantur supra res habentes contrarietatẽ magis atque minus: contrarietatẽ habent magis, & minus in concreto: quæ vero fundantur in rebus carentibus cõtrarietate, & magis atque minus; nec contrarietatem, nec magis atq; minus habent, vt duplum fundantur in quantitate, quæ caret cõtrarietate, & magis, atque minus, idcirco in relatione non suscipit magis, & minus.

Omnia autem quæ sunt ad aliquid, ad conuertentia dicuntur, &c.

In pręsenti contextu ponit Aristoteles tertiam proprietatem ad aliquid, quæ huiusmodi est, quod relatiua ad conuertentia dicuntur: legẽdum enim est conuertentia in numero plurali, non autem conuertentiam in singulari; & est generis neutri, & non fęminini, vt in quibusdam texti. est, verus textus Græcus habet antistrephonta, ꝙ quidem vocabulũ est generis neutri, & numeri pluralis. appellat Philosophus conuertentia, quæ nos dicimus, correlatiua: correlatiua sunt illa quæ ad seipsum referũtur, verbi gratia, dominus est relatiuum, & pro suo correlatiuo seruum habet, quia dominus refertur ad seruum, dicendo enim dominus, est serui dominus, sic viciſſim, seruus est domini seruus. Nota secũdum Ver. quod conuertentia relatiuorum, nunquam fit in recto casu: & ratio est, quoniam inter relatiuum & correlatiuum semper est transitio, vel diuersitas, sed talis diuersitas in recto casu nõ significaretur, sed identitas significaretur dicendo, pater est filius, & dominus est seruus. Erit igitur conuertẽtia semper in obliquis. Secundo notandũ est, quòd conuertentia dupliciter capitur. Primo modo pro conuersione aliquorum, secundum consequentiã existendi, & hoc modo est consequentia in relatiuis, dicẽdo dominus est, ergo seruus est: & seruus est ergo dominus est. & hoc modo alijs conuenit conuertentia. Alio modo sumitur, vt est mutua dependentia relatiui, & correlatiui inter se, (per relatiuũ intellige nominatiuum, & per correlatiuum genitiuũ) & hoc modo sumitur in hac proprietate. idcirco dici ad conuertẽtiam est aliqua referri inter se secundũ dependentiam. hinc patet solutio, quòd homo & risibilis non dicuntur sic, ut relatiua. Dicit igitur Philosophus: ꝙ omnia relatiua dicuntur ad cõuertentia, vt seruus dicitur domini seruus: & dominus dicitur serui dominus; similiter duplum dicitur dimidij duplum; econtra dimidium dupli dimidium: & maius minore maius, & minus maiore minus: sic de reliquis quæ ad aliqd

dicun-

dicuntur. descendit deinde ad primam conclusionem cum dicit; sed aliquando differunt in casu, eo quòd non referuntur mutuo, uel dependent in habitudine eiusdem casus, verbi gratia, disciplina dicitur disciplinati disciplina; & est in genitiuo: sed dicendo ecõuerso non ponimus conuertẽtia in genitiuo, sed in alio casu, puta in ablatiuo, scilicet, disciplinatũ dicitur disciplina disciplinatum, in ablatiui habitudine, ut scientia scibilis scientia dicitur; sed scibile, non dicitur scibile scientia scibilis, in genitiuo, sed scibile in ablatiuo: & sensus sensibilis sensus dicitur, & sensibile sensu, non autẽ sensus sensibile: erit ergo hæc prima conclusio, quòd relatiua ad cõuertentia aliquando quidẽ dicuntur, sed non mutuo in eodem casu dicuntur, sed diuerso, Notatione dignum est, quòd ista diuersitas casus in mutua relatione talium ad aliquid, siue relatiuorum, prouenit ex eo, quòd non referuntur uniformiter secundum rem: vt patet de scibili, & scientia: scientia enim secundum rem, idest essentiam ad scibile refertur: sed ipsum scibile non refertur ad scientiam secundum rem, sed secundum rationem: igitur quia secundum rem non referuntur ad seinuicem: idcirco non referuntur secundum locutionem, idest ambo in genitiuo, sed casu diuerso.

At verò aliquotiens non videtur conuerti, nisi conuenienter ad quod dicitur, assignetur, sed peccet is, qui assignat, et cæt.

Hæc est secunda conclusio huius capituli, in qua ostendit Aristoteles quędam relatiua secundum dici, non conuerti, eo quòd referũtur secundum habitudinem partis ad suũ totum: ut patet de ala, de temone, & de remo. ostendit igitur, nos oportere aliquando fingere nomen, si uolumus, vt illa relatiua dicantur ad conuertentia. Dicit igitur Philosophus. At verò aliquando relatiua, non videntur conuerti, scilicet quando nõ rectè assignãtur, verbi gratia, si quis peccat in assignando alã ad auem, tunc non conuertitur, quia non dicitur auis alæ auis. q.d. non refertur ad alam, in quantum auis: sed refertur quatenus alata est: ratio huius est, vt ipse sequitur, quia prius non fuit conuenienter facta assignatio, ala esse ala auis, non enim quatenus habet alas dicitur auis, in eo quod est, sed alata res est: propterea quòd sunt multæ quæ alatæ sunt: & tamen non sunt aues; vt patet de formicis quæ habent alas, & nõ sũt aues. Igitur ala non est auis in quantũ auis. Quare oportet, (vt conuenienter assignemus) quod dicatur, ala alati ala est: & hoc modo conuertitur, scilicet alatum ala alatum in ablatiuo: & est relatio quæ ad conuertentia dicitur hoc modo. Sed quia aliquando non reperiuntur nomina, vt ad correlationem sint adaptabilia, idcirco oportet fingere: & hoc est quod subdit Aristoteles cum dicit, Aliquotiens autem forte, oportet fingere nomen, eo quòd nõ habent, ad hoc, ut cõuenienter assignetur conuertentia, ut puta, temo si assignetur nauigij: nã licet dicatur temo nauigij: non est assignatio conueniẽs, quia ad conuertentia non dicitur, & etiam nõ dicimus nauigium temonis nauigium: nõ enim nauigium eo quòd tale, eo ipsius temo dicitur; propterea quòd sunt aliqua nauigia, quæ temones non habent, vt patet de scaphis. ergo non conuertitur: quoniam nauigium non dicitur temonis nauigiũ. ponit deinde, conuenientem assignationem, cũ subdit. d. sed forte conuenientior erit assignatio, si assignetur sic: temo temonatæ rei temo est, aut quomodocunque alter, i. in alio casu; nõ enim

temo-

temonatus nomen habet, sed fingitur sic: igitur si hoc modo, in hisce ad aliquid, assignetur: tunc cōuertetur dicendo temonatum temonatæ temonatum est. Similiter & in alijs, vt caput capitati caput est; & erit cōuenientior hęc assignatio, quam si dicatur caput animalis caput est: quoniam quatenus est animal, non habet caput eo quòd animalia multa sunt imperfecta caput nō habentia, vt quæ scopulis fixa sunt: & alia, vt embryo. sic igitŭ facillime fortasse quis sumet, quemadmodū supra dictum est de temone, & alijs, quibus nō sunt posita nomina, idest, vt ea quæ nominibus carent sic dicendum est de capite. vt caput capitati caput est: & econtra capitatum capitis capitatum est: similiter in alijs, vt dictum in primis est, ab ala alatum, à temone temonatum. Omnia igitur quæ ad aliquid, siue relatiua dicuntur si dicatur recta assignatio, vt docuimus, & omnia quoque ad conuertentia dicentur, quia si ad quodlibet aliud, & nō ad conueniētem assignationem, assignentur, non conuertuntur: si verò ad id, ad quod dicuntur tunc ad conuertentia dicūtur. Dico autem supple sic, quoniam neq; eorum quæ in cōfesso, id est certissime ad conuertentia dicuntur, & nomina quoque habent, nihil conuertitur, si relatiuum assignetur ad aliquid eorū, quæ sunt accidentia, idest omnia præter ea quæ dicuntur ad aliquid, & non assignentur ad id, ad quod dicuntur: vt puta si seruus non dicatur domini seruus, sed hominis, vel bipedis, vel cuiuscunq; talium, non conuertitur: quia non dicitur hō serui homo: non enim est conueniens assignatio: neque bipes serui bipes. Quare notatione dignum est, quòd conueniens assignatio cuiuslibet relatiui sit ad suum correlatiuū. & eius correlatiuum non est aliquid significatum nomine absoluto: seu significatum nomine non includente respectum ad relatiuum: quoniam omne correlatiuum in suo nomine habitudinem ad id cuius est correlatiuum, includit.

Amplius siquidem conuenienter assignent ad quod dicitur, omnibus alijs sublatis, quæcunque accidentia sunt, relicto autē solo illo ad quod assignatum est conuenienter, semper ad ipsum dicetur, &c.

Duas regulas in præsenti contextu, ad cognoscendum conuenientem, & inconuenientem assignationem, ponit Aristoteles: secunda ibi, si autem non conuenienter. Dicit igitur; Amplius si supple relatiua conuenienter assignētur ad id quod dicitur, sublatis omnibus alijs, quæcunque accidentia sunt: & tunc conuenienter assignātur, quando relicto illo solo ad quod assignatū est, semper refertur ad ipsum. declarat exemplo deinde. vel sic dicatur: si relatiua assignentur ad aliquod eorū, quæ sunt accidentia, idest, quę sunt extranea, idest quæcunque non sunt ad aliquid vel in hac habitudine; & non assignentur ad id ad quod vere dicitur. vt si seruus non assignetur ad dominū, ad quem dominum conuenienter dicitur; sed assignetur ad bipedem, vel ad esse susceptibilem scientiæ, vel esse hominem, relicto illo solo quod dominus est, idest relicta hac particula dominus quæ conuertitur cum seruo: tūc non erit sufficiens assignatio: quoniam conueniens assignatio est quod semp seruus est domini seruus. ponit secundam regulam. d. si autē, supple, seruus non conuenienter assignatur ad id, ad quod dicitur, scilicet, ad dominum, circumscriptis omnibus alijs, quæ sunt accidētia, & relicto illo solo ad quod

assignatum est, tunc non dicetur ad aliquid: ut assignetur seruus hominis, & circumscribatur, siue definiatur, vel contineatur esse dominum, iam nō dicetur ad ipsum hominem: quoniam si dominus non est, nec seruus est. simili modo, si ala assignetur auis: quoniam si circunscribatur autem esse alatam iam amplius ala non dicetur ad auē: nanq; si non est alatum, nec alicuius erit ala. cum aufertur alatum, & ala quoque. idcirco oportet assignare relatiuū ad id, ad quod conuenienter dicitur, scilicet, ad suum correlatiuum. & si sit nomen positum, ut seruus, dominus, pater, filius, &c. erit facile assignare ad suum correlatiuum. si autem non sit, supple, nomen positum; tunc necessarium erit fingere nomen, quemadmodum supra tactum est: si verò sic assignentur, supple, relatiua, siue quæ dicūtur ad aliquid: manifestum est, quòd omnia, dicuntur ad conuertentia. Sed notatione est dignū, ne aliquis putet quod homo sit accidēs cum sit substantia, quòd accidens dupliciter sumitur, vno modo, vt distinguitur contra substantiam, & hoc modo hic non sumitur: alio modo accipitur, vt est aliquid extraneum in aliqua re, vel accipitur, vt extraneum in eadem, vt bipes, homo, quoniam est extraneum esse hominem, aut bipedem: impossibile nanque est dominum non esse hominem.

Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura, & in plurimis quidem verum est: in aliquibus vero non verum, etc.

Hæc est quarta proprietas ad aliqd: in qua ostendit Aristot. quod relatiua sunt simul natura: quoniam quæ posita se ponunt, & perempta se perimūt, sunt illa simul natura, idest, quando ad positionem vnius, sequitur positio alterius, & ad negationem vnius, sequitur negatio alterius: tunc dicuntur esse simul natura, vt patre posito ponitur filius: perēpto patre & filius quoque perimitur: non enim quis potest esse pater, nisi habeat filium, neq; contra, non quod mortuo filio non possit ille homo permanere in esse naturæ: sed quod amplius non dicetur pater: & per consequēs non erit ad aliquid. Deinde hanc proprietatem non inesse omnibus relatiuis ostendit. pro qua proprietate sciendum est, quòd relatiua dupliciter capi possunt, vno modo si considerentur quātum ad sua fundamenta, & subiecta, vt pater, & filius, p substantia quæ genuit, & quæ genita est. sic isto modo non oportet quod relatiua sint simul natura, imò vnum potest esse prius altero, tempore & natura, ut pater prius est filio. Alio modo possunt capi per se, idest pro respectibus: & sic omnia relatiua sunt simul natura: idcirco hæc proprietas omnibus relatiuis competit, & si non solis; tamen est illis propria secūdo modo. dubitaret forte aliquis, quod pater & filius non sunt simul natura, & tamen sunt relatiua. sic causa & effectus, quia secundum naturam, causa effectū præcedit. ergo non sunt simul natura relatiua. Secundo arguitur sic, illa quæ opponuntur inter se, non se ponūt ac perimunt, sed relatiua opponuntur; ergo non se ponunt inter se. Tertio sic, vnū relatiuorum ponitur in definitione alterius, ergo vnum est prius altero. Ad primum sic respondēdū est, secūdum Ver. quòd si consideretur pater & filius, causa & effectus, quantum ad id quod sunt, non sunt simul natura, materialiter, tamen intelligendo. si verò considerantur formaliter quantum ad relationem causæ ad effectum, & effectus ad causam, & ut sunt relatiuæ: tūc sunt simul natura: sic de patre & filio. Ad secundum dicitur, quòd licet opponantur relatiua respectu eiusdem

subiecti

subiecti,& non posita se ponant; tamē non opponūtur respectu diuersorum subiectorum,ut hic considerautur. Ad tertium dicitur,quòd licet unum relatiuorum, ut terminat dependentiam alterius sit aliquo modo prius alio, & ponatur in definitione alterius,tamen quātum ad esse sub forma relationis, vnum non præcedit aliud. Ad textus dilucidationem quod est intentum nostrum, accedamus. d. igitur Philosophus: quod videntur ipsa relatiua esse simul natura, quiā in pluribus hoc est verum: & in aliquibus non est verum. Dimidium enim & duplum sunt simul natura:& dominus,& seruus: cū dimidium est & quoque duplum repe ritur: si duplum & dimidium quoque: & si dominus adest & seruus quoque: & econtra si seruus ergo & dominus. Similiter & quæ sunt similia his,se habent. Probat deinde per hanc rationē: quia illa sunt simul natura quæ posita ponunt, & perempta perimunt se inuicem: quia si auferatur duplum,& dimidium aufertur:& econtra. Similiter si dominus aufertur,& seruus quoque,& si seruus,dominus, & quæcunq: sunt talia. Vbi notandum est,quòd si vnum fuerit causa alterius, non erunt simul natura,sed simul tēpore, vt causa est prior suo causato natura, sed nō tempore. sic subiectum & suum proprium se habent. Si vero vnum nō est causa alterius, vt dominus & seruus tunc erunt simul natura: sic ut pater & filius.

Non autem in omnibus his, quæ ad aliquid, verum videtur esse simul natura,&c.

Contra hanc proprietatem, non esse conuertibilem instat Aristoteles, duabus instantijs,cum duabus vnicuique rationibus. de prima dicit, quod non in omnibus relatiuis hoc videtur verum,scilicet,quod sint simul natura vt patet de scientia & scibili,quæ sunt ad aliquid: quia scibile est prius,quam scientia. nanque in pluribus, idest, nā in paucis,aut nullis scientiam accipimus a rebus,nisi res præexistant,adeo quod res primum sint, deinde acquiramus scientiam, vel dicatur sic, illud quod accipitur præsupposito ab alio, est posterius eo. Sed (& addite hanc minorem) scientia accipitur a scibili: vt patet in textu, cum dicit: nam vt in pluribus scientias accipimus a rebus prius subsistentibus: in paucis vero, vel in nullis contingit, quod scientia sit simul cum scibili. Amplius,& ponit secundam rationem ad hanc primam instantiam. id ad destructionem cuius aliud destruitur, non autem econuerso hoc potest fieri; eo prius est natura: addite hanc minorem sed scibile, (vt patet ī litera) sublatū, simul aufert scientiam,& nō econtra, scilicet quod sublata scientia, scibile auferatur: ergo scibile est prius naturaliter scientia. quoniam si non est scibile, neque erit scientia,quia erit scientia nullius, sed non econtra: si nō sit scientia prohibet esse scibile, vt patet de quadratura circulari, quæ forte, scibilis est, & tamen nondum est scientia de ipsa. sunt quidam, qui ponebant circulum quadrari cum quadrato, quod aliqui affirmant Botelli hoc fecisse, quod tamen non credo: ipsa vero scientia scibilis est: & si nondum adsit, amplius, & est secunda ratio, quia destructo animali destruitur scientia, quæ in ipso est: nanque subiecto destructo, & accidens quoque destruitur: sed destructo animali non est necesse destrui scibile: quoniam contingit multa scibilia esse destructo ipso animali. igitur manifestum, quod scibile & scientia nō sunt simul natura, quamuis ad aliquid dicātur. Secundam instantiam deinde ponit cum dicit: his quæ sunt dicta de sciētia,& scibile, vel respectu scibilis, si-

militer se habēt ea quæ de sensu sunt, respectu sēsibilis. quoniā prius est sensibile, quam sensus: sublato sensibile simul aufert sensum: sed non econtra: non enim sensus aufert sensibile, quia sensus est circa corpus, & in corpore est: destructo igitur sensibili, destructu corpus: eo quòd omne corpus est sensibile, & per consequens sensus, qui est in corpore simul perimitur. cum autem non est corpus, & sensus quoq; aufertur. quare ergo sensibile simul sensus interimit. sensus uero, non aufert sensibile simul cum sensu, quia perempto animali, & sensus quidem aufertur: sed sublato eodem animali, sensibile remanet, & erit corpus, quia corpus potest remanere calidum, frigidum, dulce, & amarum, quæ quidem omnia sunt sensibilia. Secūdam rationem ponit deinde, dicens: amplius sensus fit cum sensato, siue sensitiuo, idest cum re sentiente, vt cum fit simul animal, & sensus: Sed sensibile, idest sed antequam sit sensatum naturaliter est corpus sensibile, vt puta ignis, aqua, aer, & alia huiusmodi ex quibus elementis conflatur animal, & hæc prius sunt in animali, quam sit sensus. concludit dicens, igitur prius est sensile vel sensibile, quam sensus naturaliter. quidnam sit prius, vel sensibile, vel sensus, ex his quæ dicta sunt facillime cognoscere possumus.

Habet autem dubitationem vtrum nulla substātia ad aliquid dicatur, &c.

Supra determinauit Philosophus de relatione, magis secundum aliorum opinionem, quam secundum propriā: nunc incipit de ipso prædicamento ad aliquid iuxta propriam sententiam: & ostendit vbi relatio non habet, & vbi habet locum, scilicet, in aliquibus sic; dicit igitur. habet autē dubitationē, i. est quæstio an sicut dicitur sit, qđ nulla substantia dicatur ad aliquod, vt videtur, vel si aliqua videtur, qualis sit vel secunda, vel prima. declarat idem cum subdit, nam in primis substantijs, verum est, quod non secūdum aliquid seu quod non sunt relatiua primę substantiæ, siue secundum partes, siue secundum se totas sumantur, verbi gratia, quidam homo non dicitur alicuius quidam homo: similiter neque quidā bos alicuius quidam bos dicitur. hoc idem de partibus substantiæ constat, quoniam quædam manus non dicitur alicuius quædam manus, licet sit manus alicuius: quoddam caput quoque non dicitur alicuius quoddam caput: etsi dicatur alicuius caput. deinde qđ sentiendum sit in secundis substantijs ostendit, quando dicit: similiter autem & in secundis substantijs, quæ si secundum se totas sumantur, manifestū est, quod non sunt relatiua, vt puta homo, non dicitur alicuius homo: nec bos dicitur alicuius bos, sed possessio alicuius: neque lignum alicuius lignū sed possessio alicuius. ostendit deinde illas substancias in quibus adest dubitatio. dicens: in aliquibus vero secūdis substantijs, dubitatio prædicta habet locum, quia caput dicitur alicuius caput: & manus dicitur alicuius manus, & sic de alijs huiusmodi. quare forsitan hæc videbuntur esse ad aliquid, siue relatiua. Notandum tamen est secundum Grat. quod nihil dicitur ad aliquid: nisi inquantum includit ad aliud respectum: quædā vero manus non includit respectum ad aliquid, ex eo quod dicitur quædam: sed ex eo, qđ dicitur manus. ideo D. Aristot. quod manus dicitur alicuius manus, sed nō alicuius quædam manus.

Si igitur sufficienter eorum, quæ sunt ad aliquid, definitio assignata est, &c.

Quoniam vt supra diximus, loquutus

tus fuit Ariſtoteles iuxta mentem Platonis, vt quidam aſſeruntq́; circa locutionem de relatione, ſiue de his quæ ſunt, ad aliquid: nunc ſecundum propriam ſententiam definit: & eſt definitio quæ competit relatiuis ſecundum eſſe ſolum: corrigit primam, vel modificat illam; cum dicit, ſi definitio eorum, quæ ſunt ad aliquid eſt ſufficienter aſſignata; aut erit omnino difficilis vel impoſſibile eſt ſoluere, ideſt ſaluare, quod nulla ſubſtantia ad aliquid dicatur: Si vero non eſt ſufficienter aſſignata, definiantur ſic. ad aliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſſe, quod ſunt, eſt ad aliud quodammodo ſe habere, i. hoc ipſum eſſe eſſentiale eſt ad aliud quodammodo ſe habere. quoniam eſt contraria primæ, ſubdit quod forſan contra hanc dicent aliqui. vel explicetur hoc modo, (quoniam competit, vt diximus omnibus relatiuis ſecundum eſſe) ad aliquid ſecundum eſſe ſunt vocabula, quibus hoc ipſum eſſe, i. quorum principale ſignificatum eſt habitudo ad relationem, & ad aliquam rē. patet hic conuenire, quibus diximus. prior nanque definitio eſt communis, omnibus ſeruit ad aliquid: tamen hoc non eſt verum, quod de omnibus relatiuis, talis eſſentia, vel, hoc eſſe, vt ſtat in definitione priori, ſit eis, ſecundum id quod ſunt, eſſe aliorum dicantur: vt dicit illa definitio. ponit deinde aliam proprietatem dicens, quod ſi quis nouerit definite vnum relatiuorum, definite noſcet, & reliquum, vt ſi quis nouerit definite dimidium, & definite noſcet cuius eſt dimidium. quoniam in definitionibus vtrorumque, vtriſq; vti neceſſe eſt. Notatione dignum eſt ſecundum Ver. quod in definitione relatiui non ponitur correlatiuum tanquam pars eſſentialis eius, cum relatiuum, & correlatiuum ſint eſſentialiter diſtincta, vt Dominus, & ſeruus; ſed ponitur correlatiuum in eius definitione tanquam terminus dependentiæ ipſius relatiui, quæ quidem dependentia non cognoſceretur perfectè, niſi cognoſceretur terminus eius. ſed dicet aliquis, quod vnumquodque eo modo quo habet eſſe definitur, & cognoſcitur: ſed vnum relatiuum habet eſſe ſeparatū, à ſuo correlatiuo, ergo vnum poteſt definiri ac cognoſci non cognoſcendo aliud. Ad quod ſic breuiter reſpondendum eſt, quod licet vnum habeat eſſe ſeparatum ab alio, tamen illud eſſe nō eſt abſolutum, ſed reſpectiuum in ordine ad ſuum correlatiuum, idcirco, habet per ipſum definiri. Secundo notandum eſt, quod tres conditiones requiruntur ad hāc relationis definitionem: primo quod ambo extrema ſint realia: ideo in non entibus, non erit relatio realis, ſed rationis. Sunt realia pater & filius. Secundo quod ſint realiter diſtincta, vt de patre, & filio patet. idcirco relatio identitatis, non eſt realis. tertio quod extrema ſint eiuſdē rationis, & ordinis: idcirco relatio creaturæ ad creatorem non competit.

Manifeſtum igitur, & ex ipſis eſt, ſi enim nouit aliquis hoc quod ad aliquid eſt, (eſt autem eſſe ijs, quæ ad aliquid ſunt, idem ac ad aliquid aliquo modo ſe habere) etc.

Infert ex dictis correlatiuum Ariſtoteles; deinde ſoluit quæſtionem ſupradictam de ſubſtantiis: dicit ergo primum, quod ex his, quæ dicta ſunt in ſecunda definitione, patet quod ſi quis ſcit. i. nouit aliquid de numero illorū, quæ ad aliquid dicuntur definite, ſiue per definitionem: ſciturus quoque eſt illud ad quod dicitur, ideſt correlatiuum, (quia definitio ſignificat quid eſt eſſe; ſed eſſe relatiui, non eſt niſi ad aliud ſe habere, vt diximus, ergo definitio relatiui propria exprimit correlatiua.

tiua. Ad quod se habet ipsum relatiuũ definitum.) igitur si aliquis nouit aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid definite, profecto, & definite nouit ad qđ quodammodo se habet, idest si quis nouit singulare, & definitum, & singulariter, & definite noscet & reliquum. quoniam si nõ nouit omnino ad quod aliquo modo se habet, vt duplũ dimidio, neq; si ad aliquid, noscet. Sed hoc est manifestum in singulis, quia siquis nouit quid esse duplum: statim oportet, quod sciat cuius est duplum: Si. n. nullius definitorum. i. singularium, nouit ipsum esse duplum: neq; sciet an sit duplum nec ne. Similiter siquis nouit quid melius sit definite, & cuius meli⁹ sit statim definite cognoscit. quapropter non indefinite, vel indeterminate agnoscet, quod hoc melius est deterio re. quia idefinite scire, est suspicio, nõ aũt scientia, propterea quod non exacte sciet, quod melius, sit peiore melius. nam & forsan nihil deterius est ipso. Quare ergo erit necesse, qđ si quis noscat aliquod relatiuorum definitè, & id ad quod dicitur, (i. correlatiuum) definite noscet. soluit deinde quæstionem de substantia supra allatam cum dicit, caput vero, & manus, singulaq; eorum, quæ sunt substantiæ, ea ipsa q̃ sunt. i. quatenus sunt huiusmodi, possunt sciri definite: sed non est necessarium scire ad quod dicantur, cuius. n. sit hoc caput, vel cuius hæc manus nõ est scire definite. quare ergo non erũt hæc relatiua, & si hæc non sunt de numero eorum, quæ dicuntur ad aliquid; vera erit hæc propositio, quod nulla substantia dicetur ad aliquid. addit deinde ad excusationem sui, quod difficile forsan est de singulis pertractare. i. de huiusmodi rebus, nisi frequenter pertractata, ac perscrutata sint; sed tamen non erit inutile de singulis dubitare. Notatione dignum est secundũ Burle. quod qui cognoscit vnum relatiuorum definite, & reliquum, quod non debet intelligi, vt vnum per aliud definiatur. i. quod debeat definiri per reliquum. sed est intelligendum iuxta mentẽ Philosophi, quod qui cognoscit definitionẽ vnius relatiuorum, cognoscit & correlatiui definitionẽ: nec sequitur propter hoc, quòd definiatur per reliquum. quoniam aliud est aliqua esse simul natura, & aliqua esse nota per alia. vnum enim relatiuorũ non est notum per aliud. si vero dicat aliquis, quod potest cognoscere illũ, qui pater est, non cognoscendo illum, qui est filius suus. Resp. quoniam non qui est pater, nec qui filius est sunt relatiua. tamen nullus potest filium, cognoscere, quatenus filiũ, nisi cognoscat, & patrem. neq; patrem quatenus patrẽ, nisi cognoscat filium suum. Sed dubitaret aliquis, quod vnumquodque habens genus, & differentiam, definiri potest per genus, & differentiam eius: sed relatiua habent genus, & differentiam intrinsecam, igitur sine correlatiuo possunt definiri per suũ genus, & per suam differentiam. Secũdo sic, partes substantiæ non sunt vera relatiua, & tamen eis conuenit ista definitio, quoniam esse eorũ est ad aliud quodammodo se habere. ergo & cæt. Tertio sic, entia diuersa, & realiter distincta, non habent quod simul cognoscantur: sed relatiuum, & correlatiuũ, sunt entia diuersa. ergo non recte dicitur, quod si quis definite nouerit vnũ relatiuorum, definite nouerit & reliquum. Ad primam rationem cum dicebatur, quod vnumquodque habens genus, &c. dico quod licet relatiuum habeat differentiam, tamen illa differentia non est absoluta, sed respectiua & dependens ad terminum extrinsecum, idcirco non potest perfecte per ipsum cognosci. ad secundam dicitur, quod totum esse partium substantiæ non est ad aliud, vt in hac definitione intelli-

intelligitur: quamuis vltra suum esse aliquid, importent quandam dependẽtiam ad totius operationes, à quo toto sumunt nomina partis: patet ergo non conuenire. Ad tertiam rationem dicitur breuiter, quod loquendo simpliciter vnum relatiuum potest cognosci absque alio, tamen vno cognito faciliter cognoscitur reliquum: Habuimus ergo duplicẽ definitionem relatiuorum. habuimus etiã quatuor communitates, scilicet, prima in relatiuis inesse contrarietatem, vt virtus contraria est vitio. Secũda quod suscipiunt (quędam) magis, & minus, & q̃dã non. Tertia, quod omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam, vt dominus serui dominus, & seruus. vbi vero non est subsistendi consequentia non conuertuntur. consequentia autem subsistendi est consequentia ab esse, ad esse. hoc est a propositione de secundo adiacente, ad aliam de secundo adiacente, vt si pater est, & filius est, filius & pater. similiter in tempore futuro, & præterito. si fuit pater, fuit filius. cum vero ad consequens non sequitur antecedens, subsistendi consequentia, non conuertitur vt homo est ergo animal. sed non ecõtra: habuimus quartam proprietatem, scilicet esse simul natura, cum statim est pater, illico, & filius est. habuimus tres conclusiones, & vnum dubium.

CAPVT IIII.

De Qualitate.

Qualitatem verò dico, secundum quam quales quidam esse dicuntur. Est autem qualitas eorũ, quæ multipliciter dicuntur. Vna quidem igitur species qualitatis, habitus, & dispositio dicuntur.

ISTud est caput quartum huius secundi tractatus: habet autẽ descriptionem vnam, quatuor qualitatis species, suntque duæ differẽtiæ primæ speciei, & dubium vnum. definitionem qualium, tres proprietates, regulam vnã, duoq; dubia; vnum ad secundam proprietatem, & unum ad tertiam. Cur verò de qualitate nunc egerit, satis supra in præcedenti capitulo, me fecisse notum puto: sed tamen dicam cum Boet. quia Aristoteles admiscuit quædam relationis, cum quantitate, idcirco prius de relatiuis egit: nunc verò quoniam post magnũ & paruum, sequitur quædam comparatio, æquale, & inæquale, & sũt qualitates: idcirco de ea tractat. est autem qualitas quartum genus generalissimum, quæ sub se continet alia genera, per quæ res denominãtur, verbi gratia, à caliditate, res dicitur calida, à frigiditate frigida, a grauitate, grauis, à scientia doctus & similia. igitur res calida erit qualis: frigiditas, caliditas albedo, prauitas, & alia huiusmodi qualitates erũt. Dicit ergo: dico, vel appello qualitatem illam, secũdũ quã, i. per quam dicũtur, supple, res quales. diuidit deinde qualitatem cum dicit, quòd qualitas est de illorum numero, quæ multipliciter dicuntur, idest, multis modis. & vna ei' species, idest, qualitatis dicitur habitus, & dispositio. Notandum autem, secũdum Ant. And. quòd multiplicitas duplex est, scilicet significatum, & multiplicitas suppositorum. multiplicitas significatorum pertinet ad æquiuoca; multiplicitas vero suppositorum pertinet ad omne cõmune, & vniuersale vniuocũ. cum igitur dicitur quod qualitas dicitur multipliciter; intelligendum est de multiplicitate suppositorum, non significatorum: quia aliter nõ esset genus vniuocũ vt est. Dubitaret autem aliquis, quòd secundum differentiam substantialem dicimur quales, & tamen non

est

est qualitas, ergo competit alijs, vt rationale. Respondetur breuiter, quòd licet differentia substantialis prædicetur in quale quid, essentiale: non tamē prædicatur in quale simpliciter, vt prędicatur hic, quod solum dicit qualitatem accidentalem substantiæ.

Differt autem habitus à dispositione, quod permanentior, & diuturnior est. Tales verò sunt scientię, & uirtutes, &c.

Proponit in præsenti contextu unā speciem qualitatis, comparatque habitum cum dispositione ipsa, de istis determinat simul: Quoniam, dispositio & habitus conueniunt tam substantijs spiritualibus, quam corporalibus. Notandum autem est, secundū Ver. quod habitus accipitur tripliciter: vno modo, vt opponit̄ priuationi, sicut visus opponitur cęcitati, & sic quidlibet forma habens priuationem sibi oppositā, siue sit essentialis, siue accidentalis, dicitur habitus. alio modo accipitur, vt est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia, & sic est vnū prædicamentum distinctum ab alijs; & sic istis duobus modis non capitur hic habitus. tertio modo capitur, prout est qualitas perfecte dispositiua sui subiecti ad operationē, sicut scientia disponit intellectum hominis, & ex consequenti ipsum hominem, ad cognoscēdum ea, de quibus est scientia. ideo Coment. Dicit quod habitus est quo quis operatur quando vult. Secundo notandum, secundum Magist. quòd dispositio dupliciter capitur, primo modo generaliter pro omni qualitate disponēte subiectum, siue illa qualitas sit faciliter mobilis à subiecto, siue difficulter, & sic dispositio differt ab habitu, sicut superius ab inferiori. & continet habitum & dispositionem proprie dictam. Secundo modo accipitur specialiter, pro qualitate de facili mobili quæ disponit subiectū imperfecte ad operationem, & sic distinguitur contra habitum. Dubitaret autem aliquis, quòd quæcunque important eandem speciē important eūdem modum essendi, cū vnius speciei, sit vnus modus tantum, sed habitus & dispositio non dicunt eundem modum essendi, sed diuersos, igitur non sunt vna species qualitatis. secundo sic, habitus est vnum prędicamentum ab alijs distinctum. ergo non est species qualitatis. tertio sic, risibile est qualitas de difficili mobilis, & tamen non est habitus: ergo competit alijs hæc definitio. Ad primum dicitur, secundum Ver. quòd licet dicāt diuersos modos essendi accidentales vnius formæ dispositio, & habitus, tamen dicunt vnum modum essendi essentiale, qui est disponere potentiam sui subiecti ad operationem. Ad secundum, patet solutio in primo notando. Ad tertium dicitur, quòd in definitione habitus præsupponitur, quod sit qualitas acquisita disponens potentiam ad operationem, & hoc nō conuenit risibili. Ad textus dilucidationem accedam⁹. Dicit igitur Philosophus, quod habitus differt à dispositione, eo quod est magis stabilis & magis permanet, qđ non est sic de dispositione. Declarat deinde, ut scientiæ, quę reperiuntur in veris Philosophis, dicuntur ibi habituatę, sic virtutes: quoniam scientia, & virtus videntur esse de numero illorū qui permanent, vt si quis mediocriter sumat scientiam, puta per annum, & alius per decem, iste per decem dicitur habere habitum, qui vero per annum habet; dicitur habere dispositionem. & hæc de facili tollitur illa vero non, nisi per magnam ægritudinem, & cętera huiusmodi. sic de virtute, ut qui iusti, & temperantes sunt, non videntur moueri de facili. Declarat deinde dispositionem dicens: Dispositiones

vero

vero dicuntur, quia de facili mobilia sunt,& citò permutantur, ut est calor, infrigidatio, & ægritudo,& sanitas,& quæcunque sunt huiusmodi. citò enim ex calida fit res frigida, & econtra. & ex ægritudine, sanitas. hæc autem de facili mutantur. sic homo per has qualitates dicitur frigidus, calidus, sanus, & huiusmodi. Similiter dicendum de alijs, nisi quandoque per temporis longitudinem, tales dispositiones transferantur in naturã alicuius,& habituentur: quia tunc non amplius dispositio vocaretur, sed habitus, eo quòd esset de difficili mobilis, vt quis prę nimia ægritudine dicitur insanabilis aliqñ.

Manifestum est autem, quòd hęc volunt habitus dicere, quę sunt diuturniora, & difficilius mobilia,&c.

Declarat in hoc contextu differentiam positam per signum, deinde comparat habitum & dispositionẽ, dicens: Quod manifestum est, quòd hæc, idest quæ habitus dicũtur, sunt illa quæ diuturniora sunt, ac permanentiora: quoniam qui habent disciplinas, sed non multum illas retinentes, & facile mobiles existentes, non dicimus illos habere habitum, quamuis sit male, vel bene disciplinatus. quare ergo differt habitus ab ipsa dispositione: nanq; hæc, scilicet dispositio ẽ de facili mobilis: ille uero, supple, habitus est permanẽtior, ac diuturnior, & difficilius mobilis. Comparat deinde hæc inter se. d. quod etiã alio modo ipsi habitus sunt dispositiones: sed dispositiones ex necessitate non sunt habitus: quoniam qui retinent habitum alicuius qualitatis,& secundum ipsos sunt aliquo modo dispositi ad ea quæ habent: sed qui sunt dispositi, vniuersaliter non habẽt habitum. vtitur hoc modo loquendi Aristoteles, quia dicit habitus esse dispositiones: sed dispositiones necessario non sunt omnino habitus.& etiam quia vniuersaliter habitus potest prædicari de dispositione, etsi non uniuersaliter, tamẽ particulariter. igitur erit definitio hæc quod habitus est qualitas difficile mobilis. Dispositio vero qualitas facile mobilis.

Aliud verò genus qualitatis est, secundum quod pugillatores, vel cursores, vel salubres, vel insalubres dicimus, & simpliciter quæcunque secundum potentiam naturalem, vel impotentiam dicuntur,&c.

Secundam speciem qualitatis Aristoteles nunc commemorat: quæ potẽtia & impotẽtia naturalis dicitur: hoc genus qualitatis diuersum est à dispositionis genere: in illo genere considerantur dispositiones, quatenus per cõsuetudinem sunt peractę: in hoc autẽ genere, considerantur potentiæ, & habilitates quatenus habentur à natura ipsa, ita vt vnus magis sit aptus ad Logicam, vel Philosophiam, & alter habeat hoc à natura, vt sit ineptus. sic de cursu, de bello, &c. huiusmodi, quę qualitates potentiæ, & impotentię naturales dicuntur: sub quo genere alia continentur, cũ ad particularia deuenitur: est igitur naturalis potẽtia proprietas substantiæ, qua quis est naturaliter potens ad aliquid faciliter operandum, & contrarijs resistendum, vt qui sanus est, facilis quoq; est ad exercendum suas operationes. Sed naturalis impotentia est qualitas, qua quis redditur impotens ad suas operationes exercendas, & ad operandũ difficilis redditur. sub quo genere reponuntur omnes aptitudines, inclinationes, quibus substantia producta inclinat. Dubitaret forsan aliquis, quod naturalis

K

ralis potentia, & naturalis impotentia simpliciter ac essentialiter differunt; ergo non sunt vna species qualitatis. Secundo sic potentia materiæ ad formam est naturalis potentia; & tamen non est qualitas, ergo. Tertio sic, potentia ad aliquid est, scilicet, ad actum: ergo non est qualitas. Ad primum breuiter respôdendum est, quòd licet potentia & impotentia naturalis inter se sint diuersę species, si comparantur ad se inuicem, tamen vt suum superius respiciunt bene sunt vna species qualitatis. Ad secûdû dicendum est, quòd licet potentia materiæ ad formâ sit quędam naturalis potentia ad esse, tamen non est potentia naturalis ad operandum, vt hic intelligitur. Ad tertium dicitur, quòd potêtia formaliter capta, est ad aliquid: si tamen capiatur pro p se denominato, est ens absolutum. d. ergo Aristoteles. Aliud verò genus qualitatis est, secundum quod pugillatores, vel cursores, idest, à natura, nó ab industria, vel salubres, vel insalubres dicimus: & simpliciter, idest, & in summa, vel vniuersaliter, quæcûque dicuntur secundum naturalem potentiam, & impotentiam, ita vt & ista sit una species qualitatis. Comparat deinde hanc speciem ad primam cum subdit. d. non enim, supple, pugillatores, & cursores, dicuntur ex hoc quod sint dispositi, idest, quod habeant dispositionem, sed quod habent potentiam naturalem, vel impotentiam, faciendi aliquid, vel nô pati ab aliquibus accidentibus, vt pugillatores, vel cursores dicuntur, non quod dispositi sint, sed qa habent naturalem potentiam, vel impotentiam ad aliquid agêdum, vel nô agendum, salubres, idest sanatiui etiâ dicuntur eo quod habent potentiam naturalem, vt nil patiantur ab aliquibus accidentibus: insalubres uero, eo quod habent impotentiam resistendi, & facile ab illis accidentibus patiuntur. Similiter autem, & durum, & molle, quia durum dicitur quod habet potentiam non secari: molle verò dicitur quod habet illius impotentiã, i. quia cito potest secari. Dubitatur hic, quod Philosophus vocat speciê, scilicet dispositionem, & habitum. & potentiam & impotentiam non speciem, sed genus. Respondet Boetius, quod istę species qualitatis nô sunt species specialissimæ, sed species subalternæ quæ aliquando sunt genera, & aliquâdo sunt species, idcirco recte posuit hæc. Notatione dignum est, secundum Burle. quod potentia accipitur indifferenter in hoc proposito, scilicet pro potentia actiua, & pro potentia passiua: nam secundum potentiam actiuam aliquis dicitur cursor, & pugillator: secundum potentiam passiuam dicitur aliquis ægrotatiuus: quoniam faciliter patitur ab extrinsecis, & à corruptiuis sanitatis.

Tertium verò genus qualitatis est, passibiles qualitates, & passiones; sunt autem huiusmodi, vt dulcedo, & amaritudo, & austeritas, & omnia his cognata; amplius & calor, & frigus, & albedo, & nigredo, & cæt.

Hæc est tertia species qualitatis, quę passibilis & passio nominatur. Vbi notandum est, quod interpassionem & passibilem qualitatem est differentia similis, ac illa quæ est inter dispositionem & habitum: quoniam passio est illa quæ cito transit ac venit. Passibilis vero qualitas est permanentior: ut si quis subito irascatur exardescens, illa passio cito transit, vel rubedo propter inflammationem, idcirco quia nô permanet dicitur passio. Si uero passio iræ est diuturna, & quasi ad modû habitus

bitus ibi habitat, tunc dicitur paſsibilis qualitas, vt ſi illa rubedo ibi remaneret multum. Secundo notandum, ꝙ ſub hac ſpecie comprehenduntur omnia obiecta ſenſuum exteriorum, nempè colores omnes, & lux, lumen, quæ ſunt obiectum viſus, voces non voces, quæ ſunt obiectum auditus, ſapores omnes dulcis, amarus, acris, &c. qui ſunt obiectum guſtus: omnesq́; qualitates tactiles, & tangibiles, quę ſunt obiectum tactus. Tertio notandũ eſt, quod dicuntur paſsibiles qualitates, non quod ſubiectum in quo ſunt patiatur aliquid ab illis paſsionibus: ſed quoniam natæ ſunt, vt efficiant aliquã paſsionem in ſenſibus mouendo, verbi gratia, dulcedo, quæ eſt in melle, immutat ſenſum guſtus: & efficit in ipſo ſenſu guſtationem, & quodammodo ſenſus patitur ab obiecto paſsionem delectationis: ſic de vnoquoque dicendum eſt: mouent enim ſenſum, vel ad amorem, vel ad odium, vel ad delectationem, vel ad triſtitiam. Dicit ergo Philoſophus, quod tertium genus qualitatis, ſũt paſsiones & paſsibiles qualitates. hæc autem ſunt huiuſmodi, vt dulcedo, & amaritudo, & auſteritas, & omnia his cognata: quæ ſaporum ſunt differentiæ, & guſtus obiecta. Amplius calor, & frigus, & albedo, & nigredo, quę ſunt viſus obiecta; probat deinde quod ſunt huiuſmodi, qualitates; cum dicit, quod quidem igitur, & hæ, ſupple, quæ dicta ſunt qualitates quoque; manifeſtum eſt. quæcunque enim has ſuſceperunt, ideſt has qualitates, ipſa, (ſupple, à quibus ſunt ſuſcepta) dicuntur qualia ſecundum ipſas, ideſt qualitates, vt puta album ab albedine; vt & ipſe exemplis declarat, vt mel quia ſuſcipit dulcedinem dicitur dulce, & corpus dicitur album quia albedinem ſuſcipit. ſic de cæteris eadem eſt ratio. Declarat deinde vnde dicantur paſsibiles qualitates dicens, paſsibiles vero qualitates dicuntur, non quod ea, ideſt ſenſus, qui ſuſcipiunt illas, ideſt qualitates, aliquid ab illis qualitatibus patiantur: quoniam neque mel, non dicitur dulce, eo quod aliquid paſſum fuit, neque aliquid aliũd huiuſmodi. Sed quia vt dixi natæ ſunt, vt efficiant ſenſum, vel rem aliquo modo talem. ſimiliter autem apud hæc ſunt calor, & frigus, quæ dicuntur paſsibiles qualitates, non quod ea, ideſt res quæ ſuſcipiunt illas, ideſt qualitates, aliqd patiantur; ſed quoniam ſecundum ſenſus, vnaquæque dictarum qualitatum eſt effectiua, ideſt efficit paſſionem: ideo dicũtur qualitates paſſibiles. dulcedo enim efficit quandam paſsionem ſecundum guſtum; & calor ſecũdum tactum; ſimili modo ſe habet & in reliquis. Vbi notandum iterum eſt, quod tales qualitates non ſolum in ſenſum agunt, ſed & in non habentib. ſenſum. ſicut calor non ſolum immutat tactũ, ſed etiam lignum immutat. ſed eſt denominatio a nobiliori, puta à ſenſu, ideo dicitur paſsibilis qualitas.

Albedo autem, & nigredo, & cæteri colores, non eodem modo iis, quæ dicta ſunt, paſſibiles qualitates dicuntur; ſed eo quod ipſæ, ab aliqua paſſione innaſcuntur, &c.

In præſenti contextu oſtendit, quod quædam qualitates non dicuntur eo modo quo ſuperiores qualitates dicebantur, ſed differenti modo. dicit igitur, quod albedo, & nigredo, & cęteri colores, dicuntur qualitates paſſibiles ab alia cauſa, ideſt ab aliquibus interioribus paſſionib⁹ cauſantur, vel innaſcuntur. hoc autem declarat dicens: quod enim fiunt multæ mutationes colorum propter aliquam paſſionem intrinſecam, manifeſtum eſt, quia erubeſcens, ob verecundiam fit rubeus, & ti-

mens fit pallidus propter timorem, & vnumquodq; talium, simili modo dicitur. ideo si quis habeat naturaliter talem passionē, quæ est erubescētia, vel, timor, vel passus sit aliquorum talium accidentium, similem colorem dicimus illum habere. quoniam quæ affectio, idest qualis dispositio facta est circa corpus, vtputa propter verecundiā, etiam secundum naturalem constitutionem, idest dispositionem fiet affectio, idest passio, vt rubeum corpus. ita vt color naturalis sit similis illi, qui est aduentitius. declarat deinde, quæ dicantur qualitates passibiles cum dicit, quæcunque talium accidentium, i. passionum, vel prędictarum qualitatū, aliquo casu adueniente principium sumpserunt ab aliquibus passionibus difficile mobilibus, dicuntur passibiles qualitates. quoniam siue secundum naturalem substantiam facta sit in corpore nigredo, vel pallor, siue propter longam ægritudinem, aut æstum, aut aliquid tale, ita vt facta sit, vel formata in subiecto, quod difficile est, vt recedat, & quasi permanet in tota vita: tūc dicuntur, & ipsæ qualitates passibiles; (quia secundum eas dicimur quales.) nanque qui habet in se ægritudinem stabilitam, dicitur conuenienter ęger: sed si innascūtur ex huiusmodi causis, quæ facillime recedunt, tunc dicunt passiones, & non passibiles qualitates, vt supra diximus. Notatione dignum est, quod non omnes qualitates visibiles innascuutur ab aliquibus passionibus: propterea quod Lux est qualitas visibilis, & tamen non innascitur ab aliqua passione tali: & propterea non dicitur Lux qualitas passibilis, quia ab aliqua passione innascatur; sed solum quoniam infert passionem sensui visus. ex his quę dicta sunt patet, &c.

Quæcunque vero ex ijs, quæ facile soluuntur, & cito transeunt fiunt, passiones dicuntur qualitates vero minime Non.n. aliqui. secundum ipsas dicuntur quales, &c.

In hoc contextu, ostendit Aristoteles, quæ dicuntur passiones, & quæ passibiles qualitates: vbi notandum est Philosophum dixisse nos non esse quales secundum passiones de facili durātes, sed quia ab illis non sumitur principium denominationis, hoc est non denominamus quales: vt à rubedine propter verecundiam, non dicimur rubei, sed aliquid pati. nō dicimur quales simpliciter, sed secundum quid. Dubitaret autem aliquis, quod albedo & nigredo sunt passibiles qualitates, & tamen non inferunt passionem sensibus, scilicet, visui: igitur: non agunt in visum, quia non tangunt ipsum: & per consequens non causant passionē. Secundo sic, passio est vnum prædicamentum distinctum ab alijs, ergo non est vna species qualitatis. Tertio sic arguitur, quæcunque dicunt eandem essentiam, sunt in æquali gradu perfectionis, sed passio, & passibilis qualitas non sunt æqualis perfectionis; igitur nō sunt vna species qualitatis. Ad primā sic Resp. Ver. qd licet albedo, & nigredo, alijsq; colores, nō agant corporaliter, nec inferant passionem corporalem visui, tamē sibi inferunt passionem spiritualem, & perfectiuā, aguntque intentionaliter: & in hoc differūt ab alijs obiectis sensuum, quæ agunt corporaliter tangendo, vt in gustu. Ad secundam dico, quod passio, vt est effectus actionis est prædicamentum distinctum ab alijs: sed passio quæ est sensibilis qualitas, habens imperfectum esse, scilicet, cito transiens, est qualitas. Ad tertiam dicitur, quod licet passio, & passibilis qualitas quantum ad modum essendi, non sint æqualis perfe-

ctionis:

ctionis: tamen quantum ad essentiam sunt æqualis perfectionis. Dicit ergo Philosophus. quæcunque vero ex ijs fiunt, supple qualitates, quæ facile soluuntur, & cito transeunt, idest, non pmaneot, dicuntur passiones, non autē passibiles qualitates, quia passibiles qualitates permanent, hæc vero non: rationem ponit cum subdit, non enim secundum ipsas, scilicet, passiones dicimur quales, propterea, quod si quis fit rubeus ob verecundiam, nō ob hoc dicitur rubeus: neq; si aliquis propter timorem factus fuit pallidus, dicitur pallidus: sed magis dicitur, quod passus sit aliquid: quare ergo huiusmodi quæ diximus dicuntur passiones, non autem qualitates. hoc idem ostendit esse, quæ circa animam accidunt, dicēs; similiter autē his, supple, accidit quæ circa animam sunt, dicūtur passiones, & passibiles qualitates. quæcunque. n. mox in nascendo ab aliquibus passionibus nascuntur, quæ passiones sunt de difficili mobiles, dicūtur qualitates verbi gratia, amentia eo quod est circa itellectum, de difficili mobilis, dicitur qualitas passibilis: sic de alienatione mētis, eadem est ratio: & de ira, & alijs huiusmodi: propterea quod secundum eas, idest qualitates dicuntur, puta iracundi, amentes, &c. similiter autem, & quæcunque alienationes non naturales, idest aliquo casu innatæ sunt, tamē de difficili mobiles sunt, etiam hę dicūtur qualitates. quoniam secundum eas dicimur quales: fiant quomodocunq; modo. Sed quæ fiunt ab ijs, quæ citò redeunt, ac prætereunt, passiones dicuntur; vt si quis contristatus, iracundior fiat; si propter iracundiam quæ citò transit, quia non dicitur iracundus, eo quod sit iracundior, sed si permaneat in corpore per spatium temporis, dicitur iracundus. igitur dicetur magis aliquid passus, quàm iracundus: ideo huiusmodi dicentur passiones non autem qualitates. quoniam passiones cito transeunt qualitates vero minimè; sed remanent. manifestum est ex his, quæ diximus hic, & supra, quæ dicantur passiones, & quæ passibiles qualitates.

Quartum vero genus qualitatis est figura, & circa vnumquodque constans forma. Amplius autem ad hæc rectitudo, & curuitas, & si quid aliud his simile est, secūdum enim vnūquodque eorum quale quid dicitur, &c.

Quartam speciem qualitatis, deinde dubitationem de raro, & spisso ponit in præsentia Aristoteles. species qualitatis est ista, quod omnes qualitates, quæ figuris quantitatis conueniūt, vt quod ista figura sit triangularis, quadrangularis, circularis, & huiusmodi qualitates habeat, sunt ex hoc genere, sic consideratæ, figura enim trianguli, quadranguli, & circuli, sic consideratæ sunt qualitates; sed circularitas, triangularitas, vt ita loquar non vt q̄titates cōsiderantur: sed vt qualitates. istis igitur modis coosideratis qualitates sunt. vbi notādum quod sub hac specie continentur omnes figuræ corporales, & superficiales quarū aliquæ sunt figuræ naturales, & aliæ artificiales: naturales sunt, quæ habent principium a natura: vt est bipedalis figura in homine, quadrupedalis in ęquo. artificiales sunt quorum principium ab arte dependet, vt figura mēsę, domus, aræ, cathedræ, & quæ similia continentur quoque sub hoc genere passiones lineæ, vt curuitas, longitudo, rectitudo, &c. huiusce generis. quædamque passiones numeri, vt quadratum, tricubitum, bicubitum. dubitaret autem aliquis, quia dicit Aristoteles, quod qualitas

litas est figura constans circa hoc aliquid, idest circa indiuiduum, quod domus non est indiuiduum, eo quòd ex multis lignis, & lapidibus constat. ergo. Secundo dubitaret quis, quod figura est quædam quantitas ergo, non est qualitas. Ad primum sic breuiter respondendum est, quód licet forma domus sit multitudo indiuiduorũ lignorum, & lapidum, tamen est vnum per aggregationem. quoniam vnum multipliciter dicitur, scilicet, aggregatione, perfectione, integritate, indiuiduatione, &c. Ad secundam dicitur, quod figura dupliciter accipitur, scilicet, materialiter, & formaliter, materialiter accepta est quantitas: sed formaliter accepta est qualitas. Ad textum ergo accedamus, dicit Philosophus, quod quartum genus qualitatis est figura, & forma circa vnumquodque constans, vt figura piramidalis, & forma scammi, vel forma mulieris. amplius ad hæc, supple, additur rectitudo, & curuitas, supple, lineæ, vel si quid aliud est simile his, quæ diximus quoniam secũdũ ea, aliquid, dicitur quale, vt domus quadrangularis, & aliquid dicitur triãgulum, vel quadrangulum, vel rectũ, aut curuum: similiter secundum formam vnumquodque dicitur quale. Deinde dubitationem remouet quandam, de raro, & spisso, & similia dicẽs: quid, pro aliquid, rarũ, & spissum, & asperum, & leue putabuntur esse quale, idest qualitates, immo sunt aliena a diuisione qualitatis, idest, non continentur sub vlla specie qualitatis. sed videntur potius monstrare quandam positionem, idest continuationem, & permanentiam, siue ordinem, vtrunq; partium. spissum enim dicitur id, cuius partes sunt propinque. rarum vero, idest, cuius partes non sunt propinque, sed distant à se inuicem, & bene dicitur id, cuius partes rectè iacent. asperum est id, cuius vna pars est superior alia, vel vna eminet. igitur omnia dicunt positionem, seu continuationem partium, non autem sunt qualitates. Deinde epilogat dicens, quod fortasse alius modus, & species qualitatis apparebit, à prædictis quasi dicat, quod forsan videbuntur esse qualitates aliter, à prædictis tamen quæ maxime qualitates dicuntur hæ sunt, quæ dictę sunt supra. vbi notandum est, quod rarum, densum, lene, & huiusmodi sumuntur, dupliciter vno modo, vt significant positionem, seu extensionem partium quantitatiuarum, vel partium locati, & sic erunt quantitates. alio modo, vt significant, vel dicunt quandam determinationem, vel modum habendi ipsius subiecti, & sic dicuntur qualitates vt forsan a Gilberto in libro sex principiorum accipiuntur, & patet solutio quomodo dicantur qualitates, & quantitates.

Qualia vero sunt, quæ secundum has denominatiue dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his. In plurimis itaque, & ferè in omnibus denominatiue dicuntur, &c.

Supra determinauit Philosophus de qualitate in abstracto, puta de albedine, nigredine, circulatione, & huiusmodi. nunc determinat de qualitate in concreto, vt grammaticus à grammatica, iustus a iustitia; hæc enim dicuntur qualia. vbi notandũ est, quod qualitas, & quale in hoc conueniunt, quia dicunt eandem essentiam qualitatis, & sic conueniunt in significato: sed differunt in hoc, quoniam qualitas dicit illam essentiam segregatam a subiecto. Sed quale importat illam essentiam cum inherentia ad subiectum, vt patet de albedine, & de albo. Albedo enim dicit essentiam separatam, album vero cum inheretia ad subiectum. Dicit

igitur

igitur Philosophus, Qualia verò sunt, quæ secundum has denominatiue dicuntur, idest, quæ dicuntur ab ipsis qualitatibus, vt ab albedine, albus: vel quomodolibet aliter ab his, idest, yel proficiscantur à qualitatibus alio modo, quũ per denominationem; vt à virtute nõ denominatur more latino, virtuosus, sed studiosus. Sed hic uidetur circulus, quia in descriptione qualitatis posuit quale; quia dixit qualitas est secundum quam quales esse dicuntur: hic verò qualia sunt quæ denominatiue dicuntur a qualitatibus: ideo vnum per aliud notum facimus. Dicendum est, quòd prima descriptio est per nota nobis: secunda vero per notius simpliciter: deinde subdit, quod in pluribus, & ferè in omnibus dicuntur hæc, supple, qualia, denominatiue, vt a candore candidus, & a Grammatica, Grammaticus, & a iustitia iustus, similiterq; in alijs eadem est ratio. in aliquibus verò eo quod non sunt posita nomina, idest quia sic non habent nomina, aut sic non denominantur, non contingit ea, supplè, qualia, quæ dicũtur, ab ijs, scilicet, concretis denominatiue dici: vt cursor, aut pugillator, nõ dicitur sic a nulla qualitate, sed solum a potentia naturali eo quod illę potẽtiæ naturales non habent nomina imposita: sicut reperitur in oppositum, in disciplinis, idest in sciẽtijs, vel artib⁹; a quibus artibus dicuntur isti pugillatores, & palęstritę denominatiue: quoniam illæ disciplinæ habent nomina imposita; nanque a disciplina pugillatoria, dicitur pugillator. & palæstritæ a palestrica. Denominatiue igitur dicuntur ab his: quæ disponuntur: similiter in alijs. Vbi notandum est, secundũ Pet. Hispan. quòd cursor, & pugillator dupliciter dicuntur. vno modo dicitur pugillator ab arte pugillandi, & currendi, & sic sunt in prima specie qualitatis, scilicet habitus, & dispositio. Alio modo dicitur pugillator nonquia habet artem pugillatoriam, sed quia habet naturalem potentiam ad actum pugillandi. & sic dicuntur ab istis naturalibus potentijs, non autem denominatiue: quia nomina non sunt istis imposita. Deinde subdit dicẽs: aliquando autem & posito nomine, idest quãuis nomen habeant, tamen non dicuntur denominatiue, ita ut secũdum ea, idest qualia dicantur, vt a uirtute studiosus: vocatur enim quis studiosus, eo quod habet uirtutem, sed non dicitur denominatiue a virtute. hoc autem non in pluribus accidit, sed in aliquibus. Qualia igitur dicuntur quę ab ijs denominatiue dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis. Patet igitur quæ sint qualia ex his quæ dicta sunt.

Inest autem & contrarietas secundum qualitatem, vt iustitiæ iniustitia contraria est, & albedo nigredini, & alia. Similiter autem & ea, quæ secundum ea qualia dicuntur, &c.

Ea quæ pertinent ad essentiam qualitatis supra posuerat Aristoteles, nũc quæ ad accidentia, siue ad proprietates illius pertinent: & primo primam proprietatem, quæ est, quod in qualitate inest contrarietas, ut iniustitia est contraria iustitię, & albedo nigredini. Ratio autem huius est, quia formæ repugnantes, quę se expellunt mutuo ab eodem subiecto contrariatur inter se: sed aliquæ qualitates sunt huiusmodi: ergo. Pro qua proprietate notandum est, secundum Magist. quod contrarietas in qualitatibus potest capi quadrupliciter. Primo modo, pro repugnãtia aliquarum qualitatum non se permittentium, simul, & semel in eodem subiecto, siue illæ qualitates se expellãt ab eodem subiecto, siue non. & sic reperitur talis contrarietas, in qualitate

spe-

speciei primæ. Secundo modo accipitur pro repugnantia qualitatum aliquo modo se expellentium ab eodem subiecto, siue illæ qualitates maxime distant, siue non. & sic medij colores contrariantur extremis, vt rubedo albedini. Tertio modo accipitur contrarietas pro repugnantia qualitatum nõ se permittentium in eodem subiecto, immo se expellentium ab eodem, siue hoc fit actione propria, aut actione suarum causarum, & hoc modo albedo nigredini contrariatur. Quarto modo proprijssime accipitur pro repugnantia qualitatum se expellentium, ab eodem subiecto actione propria. & talis contrarietas solum in primis quatuor qualitatibus reperitur, scilicet, caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate. igitur non conuenit omnibus habere contrarietatem, eo quod, & secunda, & quarta species non habent contrariũ, dicit ergo Philosophus, quod secundũ qualitatem, idest qualitas recipit contrarium, vt iustitia est contraria iniustitiæ, & albedo, est contraria nigredini, & alia huiusmodi: similiter autem ea, idest, qualia, quæ secundum ea, idest qualitates tales dicuntur, vt iniustum, quod ab iniustitia dicitur, est cõtrariũ iusto, & album est contrarium nigro. declarat deinde hoc non esse in omnibus, cum subdit dicens: quod non conuenit omnibus qualitatibus: supple, contrarietatem suscipere: quoniam rubro, & pallido, & huiusmodi coloribus medijs, accipiendo concretum pro abstracto, nil est contrarium. cum nõ sint qualitates. Amplius, si vnum cõtrariorum fuerit quale, & reliquũ erit quale, verbi gratia, si iustitia, & iiustitia sunt contraria, & iustitia est qualitas, & iniustitia quoque. quoniã contraria sunt in eodem genere, & sic patet de singulis contrarijs, eo quòd eadem est ratio, & in aliquo alio prædicamento, quia si iustitia est contrarium iniustitiæ, dico quod quale est iustitia, & quale est iniustitia. non enim iniustitia substantiæ est, aut quantitas, aut ad aliquid neque vbi, neque omnino aliquid huiusmodi, nisi quod quale erit. Sic autem, & in alijs, supple, contrarijs, quæ qualia sunt, supple, licet intueri. vbi notãdum est; quod contraria sunt, quæ in suo genere se maxime distant: ita vt quod in suo genere non possit dari major distantia ipsorũ, hoc vero non conuenit qualitatibus medijs in nullo genere, sed extraneis tantũ. idcirco qualitates mediæ non habent contrarietatem. sed dubitaret aliquis, quod contraria maxime distant inter se, igitur genere non conueniunt. igitur si vnum contrariorum est quale, aliud non erit quale. ad quod breuiter respondetur, quod licet contraria maximè distant in eodem genere: non tamen maximè distant simpliciter. igitur si vnum est quale, aliud potest bene esse quale.

Suscipiunt autem qualia magis, & minus, album enim magis, & minus album alterum altero dicitur, & iustum altero alterum magis, & minus. Sed & ipsa intensionem suscipiunt, cum candidum nanque sit, cõtingit amplius candidum fieri.


Hæc est secunda proprietas, scilicet, quod suscipiat magis, ac minus. quoniam aliquæ qualitates intenduntur, & remittuntur, secundũ quod magis, & minus pficiuntur scdm proprium esse, quod habent in subiecto, vt calidum dicitur secundum magis, & minus. sed notandum est, quod non omnes qualitates suscipiunt magis, & minus. hoc autem in sequenti contextu manifestum est. Sed adest dubiatiũcula, scilicet, quod vna albedo non su-

scipit

Sſcipit magis, & minus: non enim eſt magis albedo vna, quam alia. Similiter nigredo, & de alijs qualitatibus. ad hoc reſpondetur facillime, eſſe verum ſi conſiderantur in abſtracto; ſed ſi cõſiderantur in cõcreto non eſt verum: quia erit magis album hoc ſudariolũ, vel hic paries, quam ille. dicit igitur Philoſophus, quod qualia ſuſcipiunt magis & minus, ſiue intenſionem, & remiſſionem: alterum enim album, dicitur magis album, altero albo, & iuſtus dicitur quis altero magis iuſtus, & minus. non ſolum hoc comparatum inter diuerſa, ſed & ipſa, ſupple, ſubiecta ſuſcipiunt magis & minus, comparata ad ſeipſa, vtputa iſte homo eſt magis albus, vel minus, quam quãdo erat puer, vel hodie, quam heri: &c. huiuſmodi. patet igitur, quæ dicta ſunt. aduerte quod reperies qualitatem conſiderari ſecundum eſſe eius ſpecificum, diſtinctum a ſuppoſito, & alio modo conſiderari, vt habet eſſe in ſuis ſuppoſitis, quod idem ſunt quæ diximus in reſponſione argumenti.

Non tamen omnia, ſed plurima, iuſtitia nanque ſi dicatur magis, & minus iuſtitia, poteſt quis ambigere, ſimiliter autem & in alijs diſpoſitionibus, quidam enim dubitant de talibus, &cæt.

Demonſtrat, nõ ſuſcipere magis & minus qualitates omnes. deinde ponit dubium vbi poteſt eſſe, & vbi non eſt dubium. ibi triangulus vero &cæt. Dicit igitur, quòd non omnes qualitates, ſeu omnia qualia ſuſcipiunt magis & minus. propterea ꝙ quis poteſt dubitare, dicendo, quod licet vnum ſubiectum habeat ſecundum magis, & minus iuſtitiam, vel grammaticam, aut ſanitatẽ, & huiuſmodi diſpoſitiones. tamen iuſtitiam ipſam, ſeu ſanitatem aiunt omnino non debere dici ſecundum intendi, & remitti, ſcilicet, nec iuſtitiam, iuſtitia, nec ſanitatem ſanitate. q.d. in abſtracto quamuis ſit dubiũ: tamen in concreto nulli dubium eſt, vt patet ex verbis ſequentibus. dicens minus alterum altero habere ſanitatẽ hoc dicunt. Sic de grammatica, & de alijs diſpoſitionibus. ſed tamen ea, ſupple, ſubiecta, quæ dicuntur ſecundum eas, ſcilicet, qualitates, indubitanter recipiũt magis & minus, declarat hoc exemplis in concreto. cum ſubdit dicens. qm̃ grãmaticior aliquis dr̃, aliquo, vel alterũ altero, vn' dr̃ iuſtior alio, & alterũ dr̃ altero ſanior, & ſic eſt de reliquis. igitur in abſtracto erit dubium. in concreto vero nulla adeſt dubitatio, quod non ſuſcipiant magis & minus, ſubdit deinde de quibuſdam, quæ non ſuſcipiunt magis & minus, dicens. triangulus vero, & quadrangulus, non ſuſcipiunt, hæ figuræ, magis & minus: neque aliæ figuræ ſiue circularis, ſiue qualis ſit, quia illæ figuræ, quæ ſuſcipiunt definitionem trianguli, vel recipiunt definitionem circuli, ideſt habent hanc eandem definitionem, vt ſunt trianguli & circuli, omnia ſunt huiuſmodi. ſ. trianguli, & circuli. ſi vero non recipiunt rationem, ideſt definitionem eandem, alia erit ratio. nanque ſi non recipiunt eandem definitionem, nihil magis alterum altero dicetur circulus vnus, quã alius, neque triangulus, alio triangulo. quadratum enim, qui habet quatuor latera æqualia, non magis circulus eſt, quã ille qui eſt altera parte longior: quæ figura non habet omnia latera æqualia, quia nec iſte eſt circulus ſimpliciter, vt patet in hoc exemplo.



ex istis duabus figuris vna non est magis circulus, quam alia. sed si suscipiũt rationem trianguli, vel circuli, æque dicentur circuli, vel trianguli. Si vero vtrunque duarum figurarum, (vt repetam) non recipiunt rationem propositi, scilicet, vel circuli, vel trianguli: vnum non dicetur alio magis, vel minus. patet ergo, quod non omnia qualia, idest omnes qualitates non suscipiunt magis & minus. notatione dignum est, quod hæc proprietas suscipere magis & minus, non inest quartæ speciei qualitatis, ꝑpterea quod sunt qualitates mathematicorum vbi non est motus, & magis, & minus non habet fieri nisi vbi est motus. deinde subdit, quod horum, supple, dictarum, i. harum proprietatum. itaque, quæ prædicta sunt, nullum est proprium qualitatis, scilicet, quarto modo: neque conuertitur.

Similia vero aut dissimilia, secundum solas dicuntur qualitates; simile enim, & dissimile alterum alteri non est secundũ aliud, nisi secundum id, quod quale est. Quare proprium est qualitatis secundum eam simile, vel dissimile, &c.

Communitatem tertiam, & vltimã ponit in præsenti contextu. dubium deinde mouet, ac soluit illud. proprietas hæc est, quod dicuntur omnes qualitates similes, & dissimiles. quoniam nunquam dicemus aliquam rem similem, vel dissimilem nisi quatenus considerantur qualitates annexæ. nõ enim aliquis homo dicetur similis alicui, nisi quando similes sumus, vel in albedine, aut nigredine, siue doctrina, & huiusmodi, quæ sunt qualitates. sic de figuris, quæ possunt esse similes in quãtitate, latitudine. vbi notandum est, qđ similitudo est rerum differentium eadem qualitas. dissimilitudo vero, est rerum differentium diuersa qualitas. dubitaret autem aliquis circa hanc proprietatem, quod omnia indiuidua eiusdem speciei dicũtur similia, & per suã formã specificam. igitur non soli qualitati conuenit secundum eam, simile vel dissimile dici. Ad quod breuiter respondendum est, quod omnia indiuidua eiusdem speciei, per formam specificam sunt similia, similitudine essentiali, quæ dicitur identitas specifica. sed non sunt similia similitudine accidentali, quæ proprie similitudo dicitur. dicit igitur Philosophus, quod dici similia, & dissimilia ad solas qualitates hoc pertinet. simile enim, & dissimile alterum alteri non est secundũ aliud, s. non ad aliud prædicamentum pertinet, nisi secundum, quod quale dicitur. i. nisi quatenus ad qualitatem ipsam pertinet. Quare ergo est propriũ qualitatis secundum eam. s. qualitatẽ, simile, vel dissimile dici. ponit deinde dubium cum subdit dicens. at vero nõ debet conturbari quispiam, dicendo, quod nos facientes propositum, i. mentionem nunc de qualitate, connumerasse multa de numero eorũ, quæ sunt ad aliquid, idest de prædicamento relationis, quia habitus, & dispositio dicebamus supra esse ad aliquid. soluit deinde dubitationem istam cum dixit, & per duas rationes. prima quia ferè in omnibus qualitatibus, genera sunt ad aliquid, singulæ autem suę species. hoc est dicuntur ad aliquid secundum suũ genus; sed species ipsorum, quæ hoc dicuntur singularia, non dicuntur secundum se ad aliquid: sed qualitatis. non est ergo inconueniens idem per se primo esse in genere qualitatis: & secundum suum genus dici ad aliquid, verbi gratia, disciplina cum sit genus dicitur ad aliquid: idipsum quod est, supple, genus, dicitur alterius: hoc est, de genere

genere relationis dicitur,quia diſcipli na dicitur alicuius diſciplina.de nume ro vero eorum,quæ ſunt ſingularia, nihil ipſum quod eſt, ideſt quatenus ſpecies ſunt, non dicuntur eſſe alterius,vt grammatica non dicitur alicuius grãmatica: ſecundum ſe eſt qualitas;quoniam ſecundum eam dicimur quales. nec muſica dicitur alicuius alterius muſica,quæ omnes ſunt qualitates , vt patet per rationẽ ipſius ; quia dicimur tales per ea,puta muſici , grammatici. dicimur autem quales ſecundum hæc ſingula, & habemus hæc . ſcientes nos igitur, dicimur tales, eo quòd habem⁹ aliquas ſingularum ſcientiarum . quare ergo hæ erunt etiam qualitates,quę ſingulares ſunt , ſecundum quas nos aliquãdo, & quales dicimur.q. d. quod etiam hæ quæ ad aliquid videntur,qualitates erunt;quoniam dicimur quales: propterea,quod non ſunt ad aliquid niſi ſecundum ſuum genus . ſecundam ſolutionem ponit : cum dicit. amplius ſi contingit,quod aliquod iſtorum hoc ipſum,quod eſt, ideſt vnum & idem ſit quale,ideſt in genere qualitatis , & ad aliquid eſſe.nihil eſt incõueniens hoc, ſupple , ſubiectum in vtriſque generibus , ideſt prædicamentis enumerare, quaſi dicat, non eſt inconueniens vna, & edem res diuerſimode conſiderata, conſiderari in diuerſis generibus,vt ſupra diximus . patet ergo quod huiuſmodi diſpoſitiones,ſiue habitus,ſecundum ſua genera ſũt de genere relationis. ſecundum vero ſpecies ſunt qualitates, vt ſcientia quæ eſt genus grammaticæ : eſt ad aliquid ; quia refertur ad ſcibile : grammatica vero quæ eſt ſpecies , ſimiliter muſica , & huiuſmodi, ſuntqualitates,non autem ad aliquid niſi ſecundum ſuum genus , & qualitas ſecundum ſuam ſpeciem .

CAP. V.

De cęteris prædicamentis ſimul.

Recipit autem agere,& pati, contrarietatem, & magis,& minus : calefacere enim ei, quod eſt frigefacere contrarium eſt, & calefieri ei,quod eſt frigefieri,& delectari ei, quod eſt contriſtari . quare ſuſcipiunt contrarietatem,& magis,& minus, eſt enim calefacere, & magis,& minus,& calefieri magis, & minus , & triſtari magis,et minus. ſuſcipiunt igitur magis , et minus agere, et pati. De his igitur tot dicuntur.

De ſex vltimis prædicamentis agit Ariſtoteles in hoc vltimo capitulo huius ſecundi tractatus, quod quidem caput in duas diuiditur partes , in prima agit de duobus prædicamentis , & ſimul;nempe de actione,& paſſione.vbi notandum eſt, quod actio eſt ſecundũ quam in id, quod ſubijcitur agere dicimur, vt ſecans aliquid dicitur agere, in eo quod aliquid ſecat: vnde ſectio , vel percuſſio dicitur actio. Paſſio vero eſt effectus actionis , vt ſecari infertur ex ſecare.ſecundum Hiſp. ſecundo notandum ſecundum eundum,quod proprium eſt actionis ex ſe inferre paſſionem, & proprium eſt paſſionis,primo inferri ex actione , & paſſio non eſt in agente , ſed in patiente . Tertio notandum eſt , quod & actio , & paſſio duas habent proprietates , prima eſt, quod ſuſceptibiles ſunt contrarietatis , i. illam ſuſcipiunt, & ſuſcipiunt magis,&

minus, vt calefacere est contrarium illi, quod est frigefacere, & delectari est contrarium ei, quod est contristari. Similiter de passione frigefieri est contrarium ei quod est calefieri; de secunda proprietate patet, suscipere magis & minus: nam magis calefacit vna res quã alia, vt puta ignis quã motus. & magis ferit ensis quã lignũ, & similia. Simili modo dicendum est de passione, multa alia possunt circa hæc dici, sed non est huius facultatis. Dubitaret tamen aliquis, quod omne principium suum principiatum præcedit, sed actio non præcedit passionẽ, quia simul sunt, nanque calefacere, & calefieri simul tempore hoc fit: igitur inferre passionẽ nõ cõpetit actioni, vt diximus. Secũdo sic, scdm securim dicimur agere in id quod secatur, tamẽ securis non est actio. igitur &c. mala definitio. Tertio sic, nullum primum principium est effectus alterius, sed passio est vnum primum principium, scilicet, vnum prædicamentum, quæ sunt decem prima principia, ergo non est effectus passio. Quarto sic, eorum quæ sunt vnum & idem realiter, vnũ non est causa alterius, sed actio & passio unum & idem realiter sunt, cum vtrunque sit forma fluens ab agente in patiens, quæ est eadem realiter. ergo passio non est effectus actionis. Ad hæc respondetur, secundum Ver. breuiter, & primo ad primam rationem, quod licet actio sit simul tempore cum passione, tamen actio præcedit passionem secundum naturam: quoniam secundũ naturam causa præcedit effectum. Ad secundam dicitur, licet secundum securim dicamur agere effectiue, & instrumentaliter nõ tamen dicimur formaliter agere: vt de actione debet intelligi. Ad tertiam dicitur, quòd licet passio sit primum principium in genere causę formalis suorum dicibilium, & in tali genere nõ potest esse effect⁹, tamẽ in genere causę efficientis bene potest esse effectus actionis, siue substantiæ. Ad quartam dicitur, quod licet actio & passio materialiter acceptę pro forma fluente ab agẽte in passum sint vnum & idem realiter, tamẽ si sumantur formaliter, vt actio pro fluxu formæ ab agente. & passio pro receptione eius in patiente non sunt vnum & idem, sed diuersa sunt. Sed quid dicendum de agente, qui in agendo patitur, vt patet per Philos. in Phyfic. dicẽdum est, quòd nõ patitur quatenus agit: sed patitur quatenus communicat materiam suam cum patiente. Dicit igitur Arist. in textu, incipiendo à proprietatibus, quod tam agere, vel actio, quam pati, siue passio recipit, supple, vtrunq; contrarietatem. & vtrunque recipit. vel dicitur secundum magis & minus, de contrarietate patet, quoniam calefacere est ei cõtrarium quod est frigefacere. Sic de passione calefieri est contrariũ ei, quod est frigefieri. igitur suscipiunt contrarietatem. de magis & minus susceptione hoc idẽ patet, quoniam est calefacere magis & minus. Similiter de pati, calefieri secundum magis & minus est. suscipiunt igitur magis & minus actio & passio. de his supple duobus prædicamentis, pro nunc tot dicuntur.

Dictum est, & de eo quod est situm esse in ijs, quæ sunt ad aliquid, quod denominatiue à positionibus dicitur. De reliquis verò, idest, quando, & vbi, & habere; propterea quòd manifesta sunt, nihil de ipsis aliud dicitur, quam quæ in principio dicta sũt; quod habere quidem significat calceatum esse, armatum esse; vbi verò, vt in ly

cio,

cio, in foro; & alia quæcunque de his dicta sunt. Igitur de omnibus generibus, quæ proposuimus, sufficiunt q̃ dicta sunt.

De reliquis prædicamentis se dixisse ostendit: primo de situ, siue positione, deinde de quando, & vbi, demum de habere. Positio igitur est quidam partium situs, & ordinatio generationis: vt sessio, statio. Pro quo notãdum, quod positionis ꝓprietates sunt tres: Prima quod positio nõ habet contrarium. Secunda quod positio non suscipit magis & minus: Tertia quod proprium est positioni substãtiæ proximę assistere. Secundo notandum, quod licèt positio, & situs realiter sint vnum, & idem, tamen adest quædam differentia, secundum rationem, non autem secundum rem, scilicet, quod situs tam in naturalibus, quam in mathematicis reperitur; positio vero si proprie capiatur, solum reperitur in naturalib⁹, in quibus est ordinatio partium. Quãdo secundum Gil. est, quod ex adiacẽtia temporis in re temporali derelinquitur, vt hodie esse, & cras fore. Duplex enim est, quando, sicut duplex est tempus, scilicet, quando simplex, & quando compositum. habet autẽ hoc prædicamentum tres proprietates: Prima, quod quando non suscipit magis, neque minus: Secunda est, quod quando nihil est contrarium. Tertia est, ꝙ quando in omni illo est, quod incipit esse in tempore. Pro quo notãdum est, quod tempus & quando differũt inter se, & inter se conueniunt: tamen sunt duo entia realia, conueniunt in hoc, quod sunt vtrunque ens successiuum; & vnum immediate est causa alterius. differunt in duobus. Primo, quia tempus est in motu primi nobilis, vt in subiecto, quando vero est, subiectiue, in re temporali quæ per tempus mensuratur. Sdo differunt, quia tempus est accidens absolutum, & mẽsura durationis rei, sed quando non est mensura durationis, sed est accidens respectiuum, quod relinquitur in re temporali per respectum ad mensuram suæ durationis, quæ est tempus, non tamen respectiuum est secũdum esse, sed secundum dici; quia totum esse eius non est ad aliud, cum quo proprie dicatur ad conuertentiam: & hæc secundum Ver. Secundo notandum est, quòd simplex, quando est quod causatur a tempore simplici, vt ab instanti, à nunc, siue à tẽpore indiuisibili, & quãdo compositũ est, quod causatur à tempore composito; vt est fuisse in præterito, esse in præsenti, fore in futuro. Tertio notãdum, secundum Præd. quòd quando tripliciter accipitur: vno modo interrogatiue, vt quando venit Plato? Secundo modo relatiue, vt Socrates venit, quando fuit meridies. & istis duob. modis non sumitur hic. Tertio modo sumitur indefinite, quòd tantum valet; sicut aliquando, vel esse in aliquo tempore: & est ens reale & vnum prædicamentum ab alijs distinctum hoc modo. Vbi verò secundum Gil. est circũscriptio corporis locati à loci circũscriptione procedens, vt esse in lycio, & in foro. duplex est vbi, scilicet, simplex, & compositum. Vbi simplex est illud, quod a simplici loco procedit, vt locus pũctorum. Vbi verò compositum quod a cõposito loco procedit. Vbi autem habet duas communitates; Prima est, quod vbi nihil est contrarium. Secunda est, quòd ubi nõ suscipit magis & minus. Vltimo dicendum est, quòd habitus (secundum eundem Gil.) est corporum & corũ, quæ circa corpus sunt adiacentia, vt armatum esse, tunicatum esse, & calceatũ esse, & huiusmodi. Habet autem habitus tres proprietates: Prima est, quòd habitus suscipit magis & minus: vt eques est armatior pedite. Secunda

cunda est, quod habitus non habet contrarium. Tertia est, quod habitus semper est in pluribus, scilicet in habente, & habito. & ratio huius est, quia est habitus eorum, quæ circa corpus, & corporum sunt adiacentia. Circa hæc prædicamenta dubitaret quis. Et primo de positione sic: positio est differētia quātitatis: ergo non est vnum prædicamentum. Secundo sic fuisse in tempore dicit, quando, & tamē suscipit, magis & minus. ergo &c. Tertio sic, anima a corpore segregata habet ubi, quia est in aliquo loco: & tamen in ea non est circunscriptio corporis: igitur ubi nō est circunscriptio corporis. Quarto sic, nullum accidēs est in pluribus; sed habitus est accidens, ergo non conuenit habitui esse in pluribus. Ad primum sic breuiter respondēdū est, quod positio potest capi dupliciter, vno modo pro ordine partiū totius ad ipsum totum: & sic est differentia accidentalis quantitatis. Alio modo pro respectu partium totius ad partes loci, & sic est prædicamētum. Ad secundum dicitur, quod licet aliqd dicatur fuisse magis, & minus in tempore secundum extēsionem, nō tamen secundum magis dicitur. Ad tertium dicendum est, quod licet anima separata sit in loco definitiue, & secundum similitudinem, non tamen est in loco circunscriptiue, & proprie. idcirco habet vbi solum secūdum similitudinem. Ad quartum & ultimum dicendum est, quod quamuis accidens non possit esse in plurib. tanquam in subiectis; tamen potest esse in pluribus tāquam in causis, siue in vno tanquam in subiecto, & in alio tanquā in termino. de hisce prædicamentis dicit Philosophus, quod dictū est de eo, quod situm dicitur, in capitulo ad aliquid, scilicet, cum dicebatur sedere, stare, iacere, quod significabant situm esse: & dici denominatiue à positionib. scilicet a statione, sessione: de quando vero, & vbi, & habitu, nihil de istis dicitur, eo quod sunt manifesta, in principio, vt diximus nempè in 5. cap. primi tractatus. Dicimus enim, quod habere significat esse calceatum, esse armatū: diximusque quod vbi significat esse in lycio, in foro, in theatro. & alia quæcūque dicta sunt de his. Deinde epilogat circa omnia prædicamenta cum subdit, dicens: Igitur dicta sunt, vel dictū est de omnibus primis generibus, de quibus proposuimus in principio nostri libelli: sufficiant ergo quæ dicta sunt, pro hoc tractatu: tempus iam est vt ad vltimum tractatum descendamus.

TRACTATVS III.

De post prædicamentis.

CAP. I.

De Oppositis.

De oppositis autē quot modis solent opponi dicendū est. Dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter, aut vt ea, quæ ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio et habitus, aut vt affirmatio, et negatio, et cæt.

Iste est tertius tractatus huius libri: habet autem quinque capita. Primū agit de oppositis. Secundum de priori. Tertium de simul. Quartum de motu. Quintum & vltimum de habere. hoc primum caput habet quatuor modos oppositorum. quinque definitiones. sexque cōmunitates. quia igitur vsus fuit nonnullis quæ non erant omnino nota, in agendo de prædicamentis, & quia

quia noluit subuertere ordinem illorum, idcirco nunc de illis exacte agit. Et primum de oppositis, pro quo notandum est, quod opponi dicitur quadrupliciter, primo relatiue, vt pater filio, & duplum dimidio opponitur. secundo modo dicitur opponi priuatiue, vt surditas, & auditus, visus & cęcitas, opponuntur. tertio modo dicitur opponi contrarie, vt album nigro opponitur. quarto modo dicitur opponi contradictoriè, vt sedere, non sedere opponitur. Hæc ergo in præsenti contextu, & vnam definitionem, & vnam conclusionem ponit. Oppositio sic solet definiri, quod est repugnantia duorum extremorum non permittentium se simul ĩ eodem subiecto, & respectu eiusdẽ: ut repugnantia calidi & frigidi, quæ simul nõ permittunt se in eodẽ subiecto. circa hæc dubitaret forsan aliquis quod homo & asinus sunt opposita, & tamen non sunt secundũ aliquã istarum oppositionũ. ergo diuisio Aristotelis insufficiens. Secũdo sic, omnia opposita sunt relatiua, cum oppositio sit relatio: ergo coincidunt hæ diuisiones. Ad primam rationem sic respondendum est, quod homo & asinus non contraria, sed disparata magis dicuntur. Ad secundam dicitur, quod consequentia illius argumenti nõ ualet: quoniam non est idem esse relatiua, & relatiue opposita; vel sic dicaẽ, quod si opposita accipiantur formaliter pro per se significatis sic omnia quidditatiue sunt relatiua. sed si accipiantur materialiter pro denominatis, sic sunt relatiua denominatiue. Dicit igitur Philosoph. quod nunc dicendum est, quot modis solent dici quæ opponuntur. Dicitur enim opponi quadrupliciter. Primo modo ad aliquid, idest relatiue. Secundo modo, vt contraria. Tertio modo, vt habitus, & priuatio. Quarto modo, vt affirmatio & negatio, idest contradictorie. hoc autem declarat exemplis dicens, quod ea quæ opponuntur relatiue sunt, vt duplũ, quod dimidio opponitur: contraria vt malum bono est oppositum. secũdum priuationem & habitum, cęcitas & visus opponuntur: contradictorie vero opponuntur, vt affirmatio & negatio, sedet, non sedet contradictorieque opponũtur. declarat deinde quæ opponuntur ad aliquid. d. quod illa quæ opponuntur, vt relatiua, sunt, ea ipsa quæ sunt, idest p se ipsa, vel quatenus sunt relatiua, dicuntur oppositorum, idest referuntur ad sua opposita in genitiuo casu, vel quomodolibet aliter, idest in habitudine alterius casus, idest in ablatiuo, ut duplum dicitur in habitudine alterius casus, vt duplum dicitur dimidij duplum; hoc ipsum quod est, idest quatenus relatio est, & scientia dicitur in habitudine ablatiui casus, scilicet, scibili scientia, & opponuntur tanquam ea quæ sunt ad aliquid: & sic dicitur scientia ipsum quod est scibilis: & scibile ipsum quod est dicitur scibile ad sciẽtiam: quoniam dicitur scientia scibile. igitur quæcunq; opposita sunt tanquã ad aliquid, ea ipsa quæ sunt opppositorum, idest quorum sunt opposita, tanquam ad aliquid sunt in genitiuo, vel in aliquo alio casu opposita. Determinat specialiter deinde de contrarijs. d. quod illa quæ opponuntur, vt contraria, ea ipsa quæ sunt, idest nullo modo per se ipsa dicuntur, siue referũtur ad seinuicem, sed dicuntur contraria ad seinuicem. vt bonum non dicitur mali bonum, sed omnino illi contrarium: sic virtus vitio: non autẽ dicitur, vt dimidium dupli dimidiũ. igitur hę duæ oppositiones differunt inter se. At dicet aliquis quod bonum & malũ, non opponuntur sub eodem genere, vt est regula contrariorum, & tamen cõtrariatur, (quia sunt prima genera,) ergo contraria non ponũtur sub eodem genere. Respondetur, quod licet bonun

& ma-

& malum non ponantur sub eodē genere morum, sed diuersa sunt in genere moris, tamen in genere logico sub eodem genere sunt, scilicet, in genere qualitatis,& in prima specie illius prędicamenti, vt dicunt habitus bonos,& habitus malos. patet igitur, quod bene in eodem genere logico ponūtur hęc duo genera.

Quæcunque vero contrariorum talia sunt, vt in quibus nata sunt fieri, et de quibus prędicantur necessarium sit alterū ipsorum inesse, horum nihil est medium. Quorum vero non est necessarium alterum inesse, horū omnino aliquid mediū, etc.

In præsenti contextu ponit Aristoteles quandam diuisionem contrariorum, quæ sic est, quod quædam cōtraria sunt mediata,& quædam immediata. Declaro, quod illa sunt contraria immediata, quorum semper necesse est alterum inesse cuilibet subiecto susceptibili; ita vt nullum eorū contrariorum subiectum secundum naturā vnquam possit esse ab vtroque vacuum, vtputa, sanum, & ægrum sunt contraria immediata, quoniam nō inuenitur subiectum, quod sit susceptibile horū contrariorum, quod non habeat semper vnum illorum, s. quod corpus semper, vel est sanum, vel ægrum. eadem est ratio circa numerum, quod suscipit hæc contraria, scilicet, par, & impar: propterea quod numerus semper erit vel par, vel impar. sed contraria mediata non sic se habent, sed sunt quorū non est necesse semper alterum duorū inesse, immo aliquando non habent vllum illorum contrariorum, verbi gratia, calor & frigus sunt contraria, tamen non est semper necesse, vt subiectum semper sit, vel calidum, vel frigidum, quia potest esse tepidum. sic albū & nigrum sunt contraria, sed non semper subiectum habet vnum horū datorum, quoniam potest esse rubei coloris, vel viridis,& similia. dicit ergo Philosophus: quod illa sunt contraria immediata; quorum alterum semper habet inesse subiecto in quo fiunt. de quo subiecto talia contraria prædicantur inter quæ non datur medium. Quæcunque vero non est necessarium semper alterum contrariorum nō inesse subiecto, dicuntur mediata. quoniam datur medium horum: exponit hæc exemplis cum subdit, vt ęgritudo, & sanitas, nata sunt fieri in corpore animalis:& necessarium semper est, vt alterum horum semper insit subiecto, vel corpore animalis, ita vt semper corpus dicatur, vel sanum, vel non sanum: sic de numero, qui recipit semp hanc qualitatem, vt sit par, vel impar, quod semper habet vnum horum contrariorum, vt par, vel impar nominetur:& inter hæc, scilicet, sanitatem, & ægritudinem, & par, & impar non datur medium: sed semper est aliquid horum. Quorum vero non est necessariū alterum, supple, contrariorum non inesse; datur inter hęc aliquod medium, vtputa nigrū, & album, nata fieri sunt in corpore animalis, sed non est necesse, vt alterum horum duorum contrariorum semper insit animali, quoniam aliquando rubeum est animal, vel alterius coloris. sic de prauo, & studioso, hęc sunt contraria, quæ insunt homini: tamen non est necesse, vt semper homo habeat horum duorum alterum contrarium, quia datur medium, scilicet, quod neque prauum, neq; studiosum est. sic inter album, & nigrum, datur medium, scilicet, fuscum, rubrum, & similia. declarat deinde, quod sunt quædam contraria, quorum media nomina habent, & quædam quę nominibus carent. dicēs. in aliquibus medijs,

sunt

sunt posita nomina, idest illa habent: vt inter album,& nigrum, quę sunt media habent propria nomina, vt rubrũ, viridum, flauum, & similia: sed in aliquibus medijs ipsa media carent nomi ne proprio, vt quædam extrema sunt, quorum media per ipsa extrema definiuntur, vtputa, id quod neque bonũ, neque malum est: neque iustum, neque iniustum est: hęc inquam per extrema definiuntur, scilicet, quia dicuntur neque bona, neque mala, neque iusta, neque iniusta.

Priuatio vero, et habitus dicuntur quidem circa idem aliquid, vt visio, et cęcitas circa oculum. Vniuersaliter autem dicere est in quo natus est habitus fieri, circa hoc dicitur vtrũque eorum fieri. Priuari vero tunc dicimus vnumquodque habitus susceptibilium, quãdo in quo natũ est inesse, vel quando illud natum est habere, nullo modo insit, etc.

Declaratis igitur, quę sunt relatiue, & contrarie opposita; accedit Aristoteles ad ea, quæ sunt priuatiue, & contradictorie opposita: Priuatiue opposita sunt quædam contraria, quę fiunt circa idem subiectum, & non solũ circa idem sed etiam circa eandem partẽ subiecti, vt visus, & cęcitas non solum circa animal, sed circa partem animalis, scilicet, circa oculum fiunt hæ oppositiones. sic surditas, & auditus circa aures, & similia, quę ex Aristotele possunt sic definiri, s. quod priuatiue opposita sunt, quę habent fieri circa idem subiectum ordine irregressibili, & tempore a natura determinato. ponitur hęc particula ordine irregressibili, ad differentiam illorum, quæ opponuntur contrarie in quibus fit regressio ab vna oppositione ad alterã. quoniam in contrarijs, vbi alterum non necessario inest ex natura, inuenitur vicissitudinaria successio: vt ab albedine, ad nigredinem, & econtra ex nigredine ad albedinem: Sic a calore in frigus, & a frigore ad calorem. Sed in priuatiue oppositis ab habitu quidem potest veniri in priuationem, vt ab auditui ad surditatem, & visu ad cęcitatem, sed a priuatione in habitum (iuxta sententiam Aristotelis, quod est intelligendum secundum virtutem naturæ) nunquam potest fieri regressio. Sed virtute illius, qui dominus est naturę hoc impossibile non est. pro quo notandum est: quod sunt quædam priuatiue opposita quę sunt alterius naturę, in quibus secundum naturam fit regressus, ac transitus, vt lumen, & tenebrę sunt opposita priuatiue, & tamen ex lumine fit lux, idest succedit lux, quę etiam sunt circa idem subiectum, scilicet, circa aerem. item de scientia ex ignorantia, de motu ex quiete, vt ex mouente fit quies, & ex quiescente fit motus. dixi tẽpore determinato quoniam catulus ante nonum diem, qui non videt tamen non dicitur cæcus. si vero post tempus determinatum non videt tunc cęcus factus est. sic de puero qui nondum habet dentes infra annũ non dicitur edentulus, tamen si post tempus determinatum hoc accidit, tunc dicitur edentulus. sed dicet aliquis quod contradictoria maxime distant, quam contraria, ergo contraria non dicuntur maxime distare. Secundo sic, rationale, & irrationale sunt opposita priuatiue, & tamen non habent fieri circa idem subiectum, ergo. Ad primum dicitur, quod licet contradictoria maximè distant simpliciter, non tamen distantia, quę est sub eodem genere: cum contradictoria, non reponãtur sub eodem genere, contraria vero

sic. Ad secundum dicitur, quòd licet rationale, & irrationale, secundum modos significandi, quibus cognoscuntur à nobis, scilicet vnum per negationē alterius, sint priuatiue opposita aliquo modo, tamen secundum id quod sunt, nō sunt priuatiue opposita, sed magis habent rationem cōtrariorum: vel opponūtur priuatiue in genere, scilicet, animalis, quamuis nō opponantur priuatiue in specie, & in numero. ad textum accedatur; dicit igitur Philosoph. quòd priuatio & habitus dicuntur circa idem aliquid, vt puta, visio & cęcitas dicuntur ambo circa oculū. & hæc est quarta definitio, vniuersaliter, idest simpliciter in quo subiecto est habitus, in ipso quoq; nata sunt ambo fieri, scilicet habitus, & priuatio. deinde subde subdit, quòd tūc dicimus vnūquodque de numero susceptibilium, priuari habitu quādo nullo modo, habet id quod natum est habere in tempore in quo ipsa habere natum est, vt puta, nō dicimus illum esse edētulum, eo quod non habeat dentes, & cęcum eo quod non habeat visum; sed dicimus non habere dentes quando natum est habere, vt puer circa annum; tunc quia natus est habere dentes, & tamen non habet, dicetur edentulus. sic de visu, vt catuli qui vsque ad nonum diem non vident: tamen si transacto tempore, in quo nati sunt habere visum, & non habēt, tūc dicuntur cęci: sed si non habent ante tempus, nō dicuntur, neque edentula, neque cęca. deinde ostendit quod differunt in his concreta ab abstractis, ut cęcitas, & visus nō sunt idem quod cæcum esse, & visum habere, cū d. quod priuari & habere habitum, nō sunt ipsa priuatio & habitus, quæ est secunda conclusio huius capitis. quemadmodū albedo, vt supra diximus, non est albū. habitus enim visus est, & priuatio est cecitas; sed habere visum nō est visus, & habere cęcitatem non est cęcitas ipsa. q. d. quamuis ista non sint idem, tamen opponūtur simili modo: quod priuatio est, vt quędam cæcitas, & visio, vt habitus: & ratio est, quia cęcum de homine prædicatur, sed cęcitas non prædicatur de homine. igitur priuari esse cęcum non est ipsa priuatio, idest non est igitur idem priuatum esse, & priuatio: itidem habitum habere, & habitus: quoniam si idem esset cęcitas, & cęcum esse: vtraque. s. cæcitas, & cęcum esse, prædicarentur de eodem: sed non prædicantur de eodem: ergo, quoniam cęcum homo est, cęcitas aūt nullo modo dicitur homo: & per consequēs nō sunt vnum & idē cęcitas & cęcum esse, quare neque & priuatum esse, & priuatio. Eodemque modo visum habere, & visus, non sunt vnum & idem. ponit deinde conuenientiam inter priuationem & habitum, & sua concreta. d. quod ista videntur opponi, scilicet habere habitum, & priuari, quemadmodum opponitur, priuatio, & habitus: propterea quod idem est modus oppositionis, idest opponuntur eodem modo, sicut enim cęcitas visui opponitur: sic cęcum esse, & habere visum opponuntur. Deinde determinat de contradictione: quæ possunt sic definiri quod cōtradictorie opposita sunt, inter quæ non est dare medium. Sunt huiusmodi vt Plato sedet, Plato nō sedet: inter autem has propositiones nō est dare medium, supple, ueritatis, & falsitatis. & harum duarum semper vna est vera, & altera falsa; quicquid enim sub Sole assignaueris, vel sedebit, vel non sedebit, vel est homo, vel non homo, vel lapis, uel non lapis, & in reliquis ita. Dicit ergo. (& est tertia conclusio,) quod affirmatio & negatio non sunt idē quod res quæ sunt sub affirmatione, & negatione: quia affirmatio est oratio affirmatiua, & negatio est oratio negatiua. sed quæ sub affirmatione sunt, uel sub negatione, non orationes sunt, sed res:

quoniam

quoniam esse, aut non esse rei, non est oratio. quod enim Plato sedeat est qd esse, sed affirmatio, est oratio affirmatiua, & negatio, negatiua. dicũtur igitur hæ duę propositiones opposita ad inuicem, tanquam affirmatio, & negatio, s. dicendo Plato sedet, & Plato non sedet; quoniã in his sermonibus, modus oppositionis, idem est: sicut enim affirmatio opponitur ad negationem, scilicet quod sedet opponitur ei, quod non sedet, sic res quæ sub vtroq; est, idest præ dicatur, opponitur; scilicet, aliquẽ sedere, ad non sedere. Vbi notandum est, quòd duplex est priuatio, (vt pertinet ad secundam partem contextus,) scilicet, perfecta priuatio, & imperfecta. Priuatio perfecta est illa quæ negat omnino habitum, & principia propinqua habitus: relinquitq; solum remota principia; vt cęcitas respectu visus, q̃ negat visum, & in his non fit regressio. Alia est priuatio imperfecta quæ habitum tantum negat, & relinquit principia habitus; tam propinqua, quàm remota: vt quies respectu mot9, & in hac priuatione potest fieri regressus, in habitum, & econuerso: post quietem potest fieri motus, & de his data est definitio.

Quod autem priuatio, & habitus non sic opponantur, vt ad aliquid, manifestum est; non enim dicitur idipsum quod est oppositorum, visus enim non est cęcitatis uisus, nec vllo alio modo ad ipsum dicitur. similiter autem neque cæcitas visionis cæcitas dicitur; sed priuatio quidem visionis dicitur, cęcitas verò visionis non dicitur, neque visus cęcitatis.

Ecce Aristoteles, supra de oppositionis speciebus secundum se, & absolute: nunc verò descendit ad easdem per comparationem, siue comparatiuè. Primo ergo comparat priuatiue opposita ad relatiue opposita: cum dicit, Quod autem priuatio &c. Secũdo comparat priuatiue opposita ad contrarie opposita. cum dicit, Quod autem neque vt contraria. Tertio comparat priuatiue opposita, ad cõtradictorie opposita cũ dicit, Quęcunque verò tanquam affirmatio & negatio, in non sequenti, sed in alio contextu. De prima oppositione inquit ipse, quod priuatiue opposita, idest priuatio, & habitus, non opponũtur, quemadmodum relatiua opponuntur. hoc autem probat duabus rationibus: prima ratio est, quia relatiue opposita ea ipsa quæ sunt oppositorũ dicuntur, idest in genitiuo, aut aliquo modo ad illa, idest, vel in aliquo alio casu. sed priuatiue opposita idipsum quod est, idest essentia, non est opposĩtorum. Propterea quod visus non dicitur cęcitatis uisus. neq; alio modo ad ipsum, idest neque in genitiuo, neq; in alio casu ad ipsum oppositum dicitur. Similiter neque cęcitas non dicitur visionis cęcitas, neq; visus dicitur cęcitatis visus. Secunda ratio est ista, quoniã omnia relatiua dicuntur ad conuertẽtia, vt seruus est domini seruus, & dominus est serui dominus: quare ergo si cęcitas esset eorum, idest de numero eorum quę sunt ad aliquid, vtique ad illud ad quod dicitur, idest ad oppositũ, conuerteretur. sed non conuertitur; quia non dicitur visus cęcitatis uisus. ergo priuatiue opposita, nõ aduersantur, vt relatiue opposita. Quintam ponit deinde conclusionem cum subdit, cõparando priuatiue opposita, ad contrarie opposita, dicẽs: quod ex his quæ dicuntur, manifestum est quod priuatiue opposita, non opponuntur vt contrarie opposita. Quoniã neque opponuntur, vt contraria immediata, vita

necesse est in quibus fieri nata sunt opposita, alterum illorum esse semper: vt supra diximus de sano & ęgro; qui vnus horum semper inest subiecto. Declarat deinde quę supra dixerat, dicens: eorū, supple, contrariorum immediatorum erat, vt alterum quorū, necessario inesset semper susceptibili, idest subiecto, vt in languore, & sanitate: quoniā semper animal necesse est, vt alterum horum habeat, vel vt sit sanum, vel ægrū: sic de numero eadē erat ratio, scilicet, quod semper numerus, vel par, vel impar dicatur, inter enim hæc non datur medium, quod non vnum duorum sit. sed quorum datur aliquid medium, dico quod circa illos non semper necesse est, vt alterum duorum semper sit; immo aliquando nullus eorum reperitur in subiecto, vt de albedine, & nigredine patet, quæ duo accidentia habent medium nempe rubrum, viridū, croceatum, & similia, & hoc est quod subdit, dicens: quod non est necesse, ut omne susceptibile, idest subiectū, vel sit candidum, vel quod sit nigrum: neque quod susceptibile, vel subiectum sit semper, vel calidum, vel frigidum: quia nil prohibet, vt sit de numero eorum quæ media contraria sunt. idest, quod susceptibile, potest esse rubrum, viridum, & quod corpus sit tepidū quę contraria sunt media. Insuper & de horum numero dabatur aliquod mediū, quorum non erat semper necesse, vt alterum illorum inesset subiecto: præter in illis subiectis in quibus vnum horū inest naturaliter, hoc est, insitum est à natura, vt igni calidum esse est à natura, & niui candidum. hæc inquam non possunt à subiecto separari. In talibus autem necesse alterum esse determinate, neque contingit ibi vtrumuis, i. neque adest vicissitudo, quoniam impossibile est, vt ignis sit frigidus: similiter quod nix sit nigra: quare ex his quæ dicta sunt manifestum est, quòd non est necessarium omni susceptibili, vel subiecto, alterum ipsorum inesse, sed solis, quibus natura unum inest: & his, supple, subiectis siue susceptibilibus vnum determinate contingit inesse, & non vtrumuis. Declarat demum de priuatione cū sequitur, quod in priuatione, & in habitu, neutrum eorum est verum: quoniam non semper necesse est, vt susceptibili insit alterum oppositorum. Nanque quod nondum natum est habere visum, nō propter hoc dicitur cęcum, neque dicitur, non habens visum. igitur hæc priuatiua opposita nō erunt, vt ea contraria, in quibus nō datur medium. sed neque sunt vt ea, supple, cōtraria, de quibus datur aliquod medium. de quibus oppositis aliquando inest omni susceptibili alterum eorum inesse: quando verò ad habendam uisionem natus est, & nō habet, vel habet, tunc dicitur cęcus, vel habens visum. & cum non habet ante tempus, non dicitur habere aliquid eorum oppositorum, i. priuationem, vel habitū determinate, sed vtrūque potest habere, diciturq; susceptibile illorum: quoniam non est necessarium, vt habeat visum, neque vt sit cęcum, sed vtrumuis contingit suscipere. vnde manifestum est, quod ea quæ opponuntur secundū priuationem, & secundum habitū, nō opponuntur secundum prædictos modos, quibus modis, contraria opponūtur; non autem sic priuatiue opposita, sed alio modo.

Amplius, in contrarijs quidem cum sit susceptibile; ad inuicem mutationem fieri possibile est, nisi alicui vnum natura inest, vt igni calidum, &c.

Aliam differentiam inter contrarie opposita, & priuatiue, ponit Aristoteles. Dicit igitur, Amplius in cōtrarijs cum sit aliquid susceptibile contrariū: possibi-

possibile est fieri mutationem ad inuicem, i. amplius, in contrarijs fit mutua transmutatio, & non in priuatiue opposita; nisi tamen alterum illorum insit à natura, vt igni esse calidum. nanq; sanum susceptibile, potest esse, deinde non sanum; similiter candidum potest fieri nigrum, & econtra, & prauus fit studiosus, hoc enim possibile: quoniã si aliquis sit prauus, & deducetur ad meliores exercitationes, & doctrinas, (q. uis non multum in principio proficiat vt melior sit,) tamen si saltem modicũ, vel semel in principio, deinde paulatim incrementum suscipiat, manifestũ est, quòd ad perfectionem mutabitur, aut multum incrementum scientiæ sumet, quod est oppositum priuationi. semper enim fit ad virtutẽ magis mobilis, sumat quodcunque incrementũ paucum à principio, i. quamuis non multum, tamen est incrementum: verisimile tamẽ est illum sumere ad plenius incrementum, in multo tempore; & hoc dum semper fit; restituetur tandem in contrarium habitum; quod est habitus contrarius priuationi. nisi forte prohibeatur ab aliqua instabilitate temporis, nãque si ægrotauerit, & moriatur, profecto non sumet perfectionem. venit ad comparatum dicẽs, sed ĩ priuatione, & habitu impossibile est, vt fiat ad inuicem mutatio: quoniã etsi fiat mutatio ex habitu in priuationẽ; tamen ex priuatione in habitum nõ fit mutatio, quoniam impossibile est. nãq; aliquis factus cęcus rursus non uidit: (nisi hoc supra naturaliter fiat) neque cum quis factus est caluus, rursus euadit comatus: neque cum fuerit edentulus, dentes iterum ei oriuntur. ergo fit mutatio ex habitu in priuationem, in priuatiue opposita, sed non ex priuatione in habitum. Hic solet dubitari, quod materia prima antequam aliquã formã suscipiat, illa forma priuatur: deinde recipit eam: igitur cõclusio Aristot. est falsa, propterea quod fieri potest regressio à priuatione ad habitũ. Pro qua dubitatione sciendum est, q priuatio pro nunc dupliciter capitur, scilicet, large & stricte, large loquendo, priuatio accipitur pro omni carentia formæ a subiecto, quando subiectũ natum est habere formam illam. stricte verò pro carẽtia formæ natæ inesse subiecto semel tantum; quæ forma amplius non est recuperabilis: primo ergo modo materia prima dicitur priuari forma cum non habeat illã: quando nata materia est habere eam, vt loquitur in Phisicis Aristot. sed secundo modo accepta loquitur in præsenti. & sic possumus respondere etiam quod à priuatione lucis ad lumen, est possibilis mutatio, a priuatione tamen stricte non potest fieri mutatio.

Quæcunque verò tanquam affirmatio, & negatio opponũt, palam est quod nullo prædictorum modo opponuntur, in solis enim his necessariũ est semper, hoc quidem eorum verum, illud autem falsum esse; neque enim in contrariis necessarium est semper alterum verum esse, alterum, autem falsum; neque in ijs, quæ ad aliquid sunt, neque in habitu, & priuatione, &c.

Comparat Philosophus cõtradictorie opposita ad alia opposita in præsenti contextu: est autem sexta, & vltima, ista, conclusio: supra enim diximus quod contradictorie opposita sunt inter quæ non est dare medium, vt sedere, non sedere: procedit ergo hoc modo primum. dicens, quod quæcunque opponũtur tanquam affirmatio, & negatio

gatio: non opponuntur nullo horum modorum, qui supradicti sunt: & hoc manifestum est: quoniam in his solis, quæ contradictorie opponuntur semper vna pars est vera, & altera falsa: sed in ijs, quæ contrarie opponuntur hoc nō est necesse, scilicet, vt vna pars sit vera, & altera falsa. similiter neque in ijs quæ sunt ad aliquid, neque quæ secundum priuationem, & habitum hoc reperitur, vt in contradictorie oppositis, vt sanitas, & languor sunt quidem contraria, & neutrum horū duorum, neque verum est, neque falsum, similiter duplum, & dimidium cōtraria sunt relatiue, & neutrum horū est verum, vel falsum. sed & etiam neque ea quę secundum priuationem, & habitum, quæ contraria sunt neutrum est verum, vel falsum. sicut visio, & cęcitas. rationem subdit cum dicit, & omnino omnia quæ secundum nullam cō plexionem dicuntur, nihil neque verū est, neque falsum, & hæc omnia quæ dicta sunt secūdum nullam complexionem dicuntur: nam duplum, dimidiū, visio, cęcitas, sanitas, languor, & similia per se sumpta, scilicet, sola dictione, neque verum, neque falsum dicunt. sed affirmatio, & negatio, quæ præsupponunt orationem affirmant, vel negant, vt Plato sedet, & Plato nō sedet. subdit deinde instando, veruntamen si contraria, & alia opposita secundum complexionem dicantur, hoc uidebitur, & ijs tale, supple, verū vel falsum, esse, i. vnū erit uerū, & alterū falsū hoc modo, dico socratem esse sanum tunc contrarium est ei, cum dicitur Socratē languere. non tamen necessarium est in ijs alterum semper esse verum, & alterum falsum; sed vtrunque potest esse falsum: erit verum cum Socrates est, scilicet, vna pars vera, & altera pars falsa: erit vero falsum si Socrates non sit, & ambo falsa reperientur: quoniam cum animal non existit neque sanum est, neque ægrum. Similiter si Socrates non erit, ambo erunt falsa, & eodem modo se habet in oppositis priuatiue, secundum habitum, & priuationem, scilicet, si non sit oculus nec priuatus lumine, nec lucem habere dicetur. nec si dicatur illum per se verum, vel falsum dicitur. cum autē sit, supple, subiectum; non semper alterum quidem verum erit, alterum autem falsum: quoniam Socratem habere visum, opponitur ei, quod dicit Socratem cęcum esse; sicut opponitur priuatio, & habitus. cum autem sit Socrates, non est tamen necessarium, vt alterum illorum sit verum, & alterum falsum: quoniam si nondum tempus determinatum adest habere visum non dicitur neque cęcus neque visum habere: igitur erunt ambo falsa. eadem erit ratio si Socrates non erit existens, quia si non est in mūdo neque dicetur cæcum esse, neque visum habere. Sed in affirmatione, & negatione, siue non sit, siue sit, hoc quidē falsum erit, illud vero verum sedet, verum, & non sedet falsum: siue econtra accipitur. nanque Socratem non sanū, cum ipse sit, manifestum est, quod vnū eorum erit verum, & alterum falsum: si vero non sit similiter se habebit. quoniam hæc propositio Socrates sedet, semper erit contraria ei, quod Socrates non sedet, vel Socratem sanum esse, ei, quod dicit Socratem ægrum esse. concludit deinde dicens, quare in his solis, supple, quæ contradictorie opponuntur, erit semper alterum duorum oppositorum verum, & alterum falsum: & sic de omnibus, quæcunque secundum affirmationem, & negationem dicentur. Primo notandum est secundum Burleum, quod contradictoria sunt duplicia, quædam complexa, & quædam incomplexa, & hic Aristot. loquitur de contradictorijs complexis non autem incomplexis, & verum est de contradictorijs complexis, quod dicit,

cit hic Philos. sed de contradictorijs incomplexis non est verum: quia neutrum contradictoriorum incomplexorum est verum, vel falsum. Secundo notandum secundum eundem, quod Philosophus non loquitur hic de contrarijs incomplexis: quod neutrum contrariorum incomplexorum est verum, vel falsum. Si autem dicat aliquis quare non assignet Aristot. differentiam inter relatiue opposita, & contrarie opposita, cum inter omnia alia assignet. ad hoc facile est responsum, quia in principio capituli, hæc manifesta est, scilicet, quod quæ sunt ad aliquid, aliorum esse dicuntur, contraria vero non aliorum esse dicuntur. Secundo potest dubitari, quod hæc vox curro, calefio, & similia dicunt verum, vel falsum, & tamē hæc vox est incomplexa: ad hoc respōdetur, quod hę voces sunt orationes implicite, & complexa implicita. igitur si ponatur hæc vox curro, vt hæc vox Deus incomplexe neq; verum, neque falsum dicit. Si vero vt dicunt ego curro, ego calefio, tunc dicunt quid complexū. tamen vt melius dicam, nulla vox potest dici vera, vel falsa nisi sit complexa explicite, vel implicite: vox autem quæ est incomplexa implicite, & explicite licet possit, vel verum, vel falsum significare, non tamen est vera, vel falsa.

Contrarium autem bono quidem ex necessitate malum est. hoc autem per singulorum inductionem palam est, vt sanitati, languor, & iustitiæ iniustitia, & fortitudini timiditas, similiter autem, & in alijs, &c.

Ponit sex proprietates, seu communitates in præsentia Aristoteles ipsius oppositi. quarum prima est, quod bono, est contrarium malum. Secunda malo aliquando bonum contrarium est. Tertia est, quod non est necesse, si vnum contrariorum actu sit, alterum actu esse. Quarta proprietas est, quod impossibile est contraria simul eidem inesse. Quinta est, quod contraria habent fieri circa idem genere, vel specie. Sexta & ultima, quod cōtraria aut sunt sub eodem genere propinquo, aut in contrarijs generibus, aut sunt contraria genera, quæ tamen reducuntur ad quinq;, quoniam primæ duę in unū reducuntur. dicit ergo primum, quod est necesse, ut malum contrarietur bono, & hoc est manifestum per inductionem in singulis rebus, quę malæ, & bonæ sunt. primū patet in hoc exēplo, quod sanitas est quid bonum, ut diximus quoque in Rhetorica, & lāguor est quid malum, quod contrariatur sanitati. similiter iustitia est bonum, & habet per oppositum iniustitiā, quod contrariatur illi, & fortitudini est cōtrarium timiditas. igitur inductiue patet in omnibus. Secundam proprietatem ponit ibi cum dicit, quod malo aliquando contrariatur bonum, & aliquando malum, quod malū malo contrarietur patet, egestas, seu defectus, est malum, similiter superabundantia, & tamen superabundantia quæ, quid malum est contrariatur defectui, quod malum similiter est. aliquando quoq; mediocritas, quæ bona est, est contraria contrariorum malorum. sed hæc fit firma regula, ut subdit ipse, quod in pluribus malum bono cōtrariatur. igitur, (& notate) malum malo contrariatur, sed non bonum, bono. potest hic dubitari, quod non uidetur uerum bono malum contrariari, & malo, propterea quod unum contrarium est tantum uni ex 10. Metaph. ergo: ad hoc faciliter respondetur, quod uni uno modo sumpto contrariatur tantum unū: sed uni sumpto multis modis plura possunt contrariari. igitur malum communiter sumptum habet bonum per contra

Tertia prop.

contrarium. si uero pro speciale malũ etiam malum habet. Tertiam subdit deinde communitatem cum dicit, qđ non est necessarium si sit unum cõtrariorum, quod necesse sit, ut & reliquũ reperiatur: adde tamẽ tu cum illa particula actu, scilicet, si unum est actu, quod & alterum sit. quoniam omnibus sanis adest sanitas, non tamen est ægritudo actu. Similiter oibus albis, erit albedo, nigredo uero non erit. sed contra in primo cœli, dicit enim ibi, quod si est unum contrariorum in natura, & reliquum esse oportet. ergo. ad quod potest responderi non esse uerum de existentia actu, sed de actu, & potentia intelligitur. ita si subiectum habet unũ contrariorum, habet & alterum in potentia. quarta autem communitas oppositionis est, quod est impossibile, ut cõtraria sint simul eidem, supple, subiecto, ut si quod Socratem sanum esse, est contrarium ei, quod est Socratem languere, simul hæc duo eidem subiecto, non utique continget esse, alterum contrariorum, si reliquum est, & econtra si unum, non reliquum. Quintam proprietatem ponit, cum subdit: quod manifestum est, contraria nata sunt fieri circa idem susceptibile idem specie, aut circa idem genere: circa idem specie, ut iustitia, & iniustitia circa animam hominis. languor, & sanitas circa idem genere nata sunt fieri, vt circa animal quod est genus. Albedo uero, & nigredo circa corpus simpliciter nata sunt fieri: pro quo notandum est secundum Burleum, quod contraria secundum species, possunt fieri, uel nata sunt fieri circa idem genere, & circa idem specie; sed non circa idem numero, nisi successiue, & non simul. Vltima proprietas est, quod contraria necessarie sunt, uel in eodem genere, aut in contrarijs generibus. in eodem genere sunt, ut album, & nigrum, scilicet, in genere coloris. in diuersis generibus, ut iustitia, & iniustitia: iustitia. n. est sub genere uirtutis, iniustitia uero sub genere uitij: bonum uero, & malũ nõ sunt in aliquo genere, sed ipsa sunt genera existentia. ne igitur fragmenta pereant: habuistis quatuor species oppositionis unumquodque illorum declarationẽ, s. sc͞dm relationẽ sc͞dm contrarietatẽ, sc͞dm habitũ, & priuationem, & secundum contradictionem. habuistis quoque sex proprietates siue quinque. quarum prima, & secunda respiciunt ipsorum oppositionem. tertia essentiam in actu simpliciter. quarta respicit essentiam respectu eiusdem subiecti. quinta identitatem respectu generis. Sexta, & ultima respicit ipsorum conditionem respectu generis p̃dicanti, ut apud Gra. & hæc pro præsenti sufficiant.

Quarta prop.

Quinta prop.

CAP. II.

De Priore.

Prius autem alterum altero dicitur quadrupliciter. Primo quidem, & maxime proprie secundum tempus, secundum quod antiquius alterum altero & vetustius dicitur, &c.

Cvm fecerit Aristoteles mentionẽ in capite ad aliquid de prioritate, cum dicebat, unum relatiuum esse aliquando prius altero. idcirco in hoc capite quinque docet. Primum est quando unum dicitur prius altero tempore, eo quod sit uetustius. Secundum, illud dicitur prius altero, a quo non cõuertitur subsistendi cõsequentia, idest quando uno posito, ponitur quidem ipsum, sed ipso posito, alterum non ponitur ex necessitate, ut posito homine ponitur animal, sed posito animali ex

necessitate

necessitate non ponitur homo. Tertiũ significatum prioris, secundum ordinem est, scilicet quod habet primũ locum in ordine, vt prælatus. Quartum dicitur prius natura, via perfectionis, vt homo dicitur prior animalium cæterorum. Quinto dicitur prius natura via originis: quando scilicet sint duo, quæ etiam si in eodem sint tempore, vnum tamen est alterius causa, vt Sol est prior lumine: & res prior est sermone, vt autem melius memoriæ mãdentur, in his duobus versibus comprehenduntur.

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore,
Causam, causato, dicimus esse prius.

Dubitaret forte aliquis, quod in tempore nõ est prius, neq; posterius, propterea quòd de illo non habemus, nisi nunc, in quo non datur, neque prius, neque posterius, cum nunc sit indiuisibile. ergo. secundo potest quis dubitare, quod eorum quæ sunt simul, vnum non est prius altero, sed ea quæ cõuertuntur, secundum esse sunt simul; ergo vnum non est prius altero, vt in quinto dic. Tertio dubitabit aliquis quod species est perfectior genere, & tamẽ non est illo prior, cum principiatũ (vt species,) non præcedat principiũ, qđ est genus. Quarto dubitaret quis quod omne totum est prius suis partibus, ergo sillabe sũt priores litteris, & dictiones sunt priores sillabis. quod est incõueniens. Ad quæ argumenta breuiter respõdendum est, & primo ad primũ: quod licet de tempore, nisi nunc actu sit, & in facto esse, tamẽ secundum potentiam, & secundum successionẽ sunt plures partes temporis, vt futurum, & præteritum. Ad secundũ dicitur, quòd etsi ea quæ conuertuntur, secundũ existendi consequentiam sint simul tẽpore, non tamen sunt simul natura, nanq; si vnũ est causa alterius, est illo prius natura. Ad tertium dicitur, quòd species est prior genere perfectionis uia, non autem via generationis, & hæc secundum Ver. Ad quartum respõdetur, quòd omne totum est prius suis partibus per uiam resolutiuam, sed per viã cõpositiuam partes sunt priore suo toto. Dicit igitur Philosophus, quòd vnũ dicitur prius altero quadrupliciter. Et primo dicitur prius aliquid esse tẽpore, & hoc dicit maxime proprie prius: quoniam uere prius est esse secundum tempus: id enim quod est vetustius, & antiquius, vel senius, dicitur esse prius tempore: nanque quatenus plus tẽpus habet, dicitur secũdum hoc vetustius, & antiquius. Secundo autem dicitur alterum altero prius, natura: eo quod nõ conuertitur subsistendi consequentia. vt vnum est prius duobus: quoniã existentibus duobus, necesse est, vt vnum sit, sed non dicitur secundum subsistendi cõsequentiam, vt vnũ est ergo duo: sed duo bene, ergo vnum. igitur ab vno non conuertitur subsistendi consequentia. & prius illud videtur esse à quo non conuertitur cõsequentia subsistendi, sed vnum est huiusmodi, ergo prius, duo. Tertio dicitur aliquid prius secundum ordinem: hoc autem probat inductione dicens, quemadmodũ & in disciplinis, siue scientijs, & in orationibus: nam in scientijs demonstratiuis, supple, principia, & definitiones sunt prius secundum ordinem, & quędam secũdum eundem sunt posterius: vt in Geometria prius sunt principia, vel elementa ordine, ijs quæ describuntur, idest demonstrantur, quæ sunt conclusiones. & etiam in Grammatica, elemẽta, idest litteræ sunt prius syllabis, & syllabę dictionibus, similiter in orationibus rethoricis exordiũ prius est narratione, ordine. Amplius & hic est quartus modus, (quod melius & honorabilius dicitur, prius natura perfectione: quoniam consueuerunt dicere multi nobiliores, & apud se gratissimos illos priores noiare: sed ille mo-

dus prioris est alienissimus: & hoc, forsitan, quia uniuersaliter sumptus non ponit simpliciter prius, sed solum dicitur prius quo ad homines, eo quod approbât id esse tale, scilicet, prius. Deinde concludit, quod isti sunt modi prioris qui dicti sunt; aliũ tamen modum præter hos ponit cum subdit, dicens: Quod videtur esse alius modus prioris præter hos qui dicti sunt: & est quando aliqua secundum existẽdi consequentiam conuertuntur: & vnum est causa alterius, sed, & illud quod dicitur esse causa, dicitur esse prius natura liter, seu natura. Quod vero quædam sunt huiusmodi manifestũ est; scilicet, quod est causa alterius, dicatur prius natura: sunt autem illa quæ de se conuertuntur. vtputa, hanc propositionẽ hominem esse, & hãc orationem significantem hominem esse, conuertuntur secundum essendi consequentiam; res vera prius est oratione vera, nanq; hominem esse est res, quod hæc sit propositio, est oratio vera. Dicit igitur. nam si homo est, idest, si res est, & vera oratio est, qua dicimus, quod homo est, & conuertitur, supple, cum oratione, & si vera est oratio, qua dicim⁹, quod homo est, i. considerata, vt oratio vera, est homo. igitur oratio vera, nequaquã, causa est, vt sit, sed res est causa potius, quod oratio dicatur vera, vel falsa res. ergo dicitur prius quia causa. vltimo epilogat cum dicit, quod secundum hos quinque modos, prius alterum altero dicitur, siue dici potest. Vbi notãdum est, quòd tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis & reliquũ: sed quinque sunt modi prioris, igitur quinque posterioris, scilicet, posterius tempore: posterius natura, posterius ordine, posterius perfectione, & posterius causa. At dicet aliquis quod in Metaph. multo plures modos demonstrat, nempe prius secundum motum, secundum locum, secũdum cognitionem, & similia, ergo diminutus. Ad qđ respondendum est, distinguere Aristotelem ibi prius, quatenus est differentia entis, idcirco multis modis oportet, vt consideretur. hic verò considera tur principaliter quaten⁹ est passio eorum quæ sunt in generibus prędicamẽ torum, & ut a ratione considerantur, sat igitur est, vt ad propositum facit illos enumerasse. Item notandum est, quod primus modus valet ad cognoscendũ ordinem inter substantiam, & accidẽs: eo quod substantia est prior accidentibus communibus. Secũdus modus valet ad cognoscendum ordinem inter superiora, & inferiora, quia non cõuertitur existendi consequentia à superioribus ad inferiora. Tertius modus valet ad cognoscendum modũ inter differentias, & eius species; quoniam differentię sunt de compositione speciei, & quia simpliciores sunt, ideo & priores: quintus modus valet ad cognoscẽdum ordinem inter subiectum & passionem eius: eo quod subiectum & passio conuertuntur, secundum essendi consequentiam, & subiectum est causa passionis, per consequens prius dicitur.

CAPVT III.

De Simul.

Simul autem dicuntur simpliciter quidem, & proprijssime, quorum generatio in eodem est tempore; neutrũ enim eorum, neque prius, neque posterius est. Simul autem secundum tempus hæc dicuntur. Natura verò simul sunt quæcunq, conuertuntur, &c.

Supra

Supra de poſt prædicaméto prioris egit Philoſophus; in præſenti cõtextu agit de ſimul; in quo dat triplicem eſſe ſimul. Primum ſimul ſignificatum eſt, quòd illa dicuntur eſſe ſimul tempore, quæ eodem tempore oriuntur: ut duo infantes, in eodẽ tempore, vel momento nati, dicuntur nati ſimul; ſimiliter angeli qui creati fuere ſimul non autem vnus poſt alium. Secundum ſignificatum eſt, quod illa dicuntur eſſe ſimul natura, quæ inter ſe conuertunt, ſed vnum nõ eſt cauſa alterius, vt ſunt relatiua, vt duplum & dimidium, ſtatim enim quod dicitur dimidium, illico, & duplum eſt. & ſi dominus eſt, & ſeruus eſt, nec vnũ eſt alterius cauſa. non enim eſt cauſa ſeruus quod ſit dominus, neq; dominus quod ſit ſeruus. Tertium ſignificatum eſt, quòd mẽbra diuidentia ſua genera dicuntur ſimul, vt in prædicamento ſubſtantiæ homo, & brutum diuidũt hoc genus animal. iſte autem modus in omnibus prędicamentis reperit. in prædicamento quantitatis hæc duo continuum, & diſcretum, diuidunt hoc genus quantitas, idcirco dicuntur eſſe ſimul. in prædicamento relationis: & qualitatis, in quo quatuor ſpecies qualitatis dicuntur eſſe ſimul. in prædicaměto actionis, mutatio ad ſubſtantiam, ad quantitatem, ad qualitatem, ad vbi, diuidunt hoc genus, actio: quare ſunt hoc modo ſimul. hæ tres proprietates in his tribus verſibus continentur.

Tempore dico ſimul quorum generatio nunc eſt,
Quæ conuertuntur, dicimus eſſe ſimul.
Suntq; ſimul ſpecies generi vnum condiuidentes,

Vnde notandum eſt, quod primus modus valet ad cognoſcendum ordinem inter ſubſtantias, & accidentia quędã. & etiam ad cognoſcendum ordinẽ inter ſubiectum, & propriam paſſionẽ. Secundus modus relatiuis ſeruit, quia conuertuntur ſecundum eſſendi cõſequentiam: & vnum non eſt cauſa alterius. Tertius modus in omnibus prædicamentis reperitur, & generaliter in omni genere generaliſſimo, & etiam ſubalterno. Dicit ergo Philoſophus, ꝙ ſimpliciter & proprie illa dicuntur ſimul, ſupple, primo modo, quorum generatio eſt in eodem tempore: quoniã talium, neutrum eſt prius, altero, ſed ſimul eſſe dicuntur. vt ſi duo nati ſunt in eodem momento, aut idem egerunt ſimul aliquid. hæc dicuntur eſſe ſimul ſecundum tempus. ponit deinde ſecũdum modum, cum ſubdit dicens: natura vero ſimul ſunt, quæcunque quę cõuertuntur ſecundum eius, quod eſt eſſe conſequentiam, id eſt, ſecũdum eandem eſſentiã, vt ſi vnũ eſt, & alterum; ſed nequaquam vnum eſt cauſa quod alterũ ſit. vt puta in duplo, & dimidio, hæc enim ad ſeinuicem conuertuntur: vt cum dimidium ſit, & duplum eſt, & econuerſo, duplum eſt, & dimidiũ eſt: & neutrum eſt alterius cauſa, vt ſit: ſed ambo ſunt ſimul natura. Ponit deinde tertium modum cum dicit, dicũtur autem ſimul natura, quæ ex diuerſo, ſiue oppoſito diuidunt idem genus. vt homo, & equus diuidunt hoc genus animal, & per diuiſionem hanc dicuntur ſimul natura. Et hoc ſecundum eandẽ diuiſionem, hoc modo ſunt greſſibile, volatile, & aquatile, quæ diuidunt genus animalis ex oppoſito, ſiue diuerſo: idcirco ſunt ſimul: hæc enim ad diuerſa diuiduntur, etſi ex eodem genere ſint. animal enim manifeſtum eſt, ꝙ diuiditur in hæc, ſcilicet, in animal volatile, aquatile, & greſſibile, & nihil horũ alterũ dicitur prius altero, neq; poſterius eo. ſed dicũtur eſſe ſimul natura hæc. addit deinde, quod vnũquodque horum poteſt diuidi in ſpecies, & illa per quæ diuiduntur, etiam dicũtur eſſe ſimul natura, vt volatile ſi iterum diuidatur, & aquatile, ſimiliter & greſſibile. igitur erunt hæc ſimul natura, ſi ex eodem genere ſecundum eandem

diuisionem diuiduntur. Remouet dein de dubitationem, ne quis crederet genus esse simul cũ diuidẽtibus, dicens, quod genera semper sunt priora ipsis speciebus, quę quidem species ipsa genera diuidunt. neque conuertuntur, secundum eius, quod est esse consequentiam, idest, neque conuertuntur secundum eandem essentiam: vt puta si dico aquatile est, dico etiã quod animal est, sed non contra, puta si animal est & aquatile est, nequaquam. igitur simul natura dicuntur illa, quæ conuertũtur secundum eandem essentiam. sed vnũ non est causa, vt alterum sit: nam valet est aquatile ergo animal, sed nõ, est animal ergo aquatile ea quoque erunt simul natura, quæ sua genera diuidunt ex opposito ad inuicem. Epilogat vltimo dicens, quod simpliciter loquendo illa simul sunt, quorum generatio est simul tempore, vel momento. sunt & alij modi simul enumerati a Philosopho in Metaphys. sed pro nunc hęc sufficiunt. Dubitabit autem aliquis quia tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis dicitur & reliquum, sed quinque sunt modi prioris, ergo quinque modis debet dici simul, quoniam sunt opposita. nanque simul dicit negationem prioris, & posterioris. Secũdo sic dubitabit, causa est ad cuius esse sequitur aliud, sed ad esse vnius relatiui, sequitur aliud, igitur, idest, sequitur esse alterius. Ad primum sic respondendum breuiter est, quod negatur antecedens, sed prius opponitur posteriori, opponitur ad simul priuatiue. idcirco tot modis dicitur oppositorũ quot modis dicitur, & reliquum, sed quinq; modis dicitur prius, igitur quinq; modis dicitur posterius. Ad secundum sic respondendum est, quod licet ad esse vnius relatiui sequatur per illationem esse alterius relatiui, tamen hoc non sequitur causaliter, & secundum naturam, quemadmodum effectus sequitur suam causam, quo modo dicitur sequi naturaliter, & hæc satis sufficiant pro præsenti, ad motum accedendum est.

CAPVT IIII.

De Motu.

Motus autẽ species sunt sex: generatio, corruptio, augumẽtum, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio. Alij itaque motus palam est, quod ab inuicem diuersi sunt; non enim est generatio, corruptio, neque augumentum diminutio, neq; secundum locum mutatio; simpliciter aũt & alij, &c.

EGit Philosophus de modis oppositionis, prioris, & simul, quæ quidẽ cognitio illorum valet ad cognoscendum incomplexa dicibilia quantũ ad suum esse; in præsentia vero agit de motu, qui valet ad cognoscendum illa quantum ad fieri. Motus autem sex habet species quæ quidem, omnes in his tribus versibus continentur.


Auget, diminuit, corrumpit, & generatur;
Alterat, & mutat, sic per loca multa vagatur.
Istis sex modis dicitur esse motus.

Generatio est de non esse ad esse progressio, verbi gratia, cum fit mutatio de non esse ignis, ad eius esse, per subiecti mutationem, vt patet in lignis. econtra, corruptio est de esse ad nõ esse progressio, vt cum lignum corrumpitur in aliquam aliam materiam, vel in aliquod aliud subiectum. augumentatio est motus de minori quantitate, ad maiorem quantitatem per additamentum alicuius partis. Diminutio vero est, præexistentis quantitatis minoratio,

ratio, vel sic dicatur quod augumentũ est, maioramentum præexistẽtis quantitatis. Diminutio verò est minoramentum præexistentis quantitatis: quoniã quantitas non potest fieri minor, nisi per remotionem alicuius partis eius. Alteratio vero est mutatio de contraria qualitate in contrariam, vel in mediam qualitatem. Motus vero est mutatio de vno loco in alium locum. Intelligo enim per motum, loci mutatione m. qui quidem motus in sex species diuiditur, scilicet, in motum sursum, deorsum, ante, retro, dextrum, & sinistrum. Notandum autem est, quod motus dupliciter capi potest, vno modo vt consideratur secundum esse reale, videlicet, secundum quod est passio rerum naturalium, isto modo captus nõ pertinet ad Logicum, vt de illo mẽtionem faciat. Alio modo capitur, vt est quoddam transcendens habens diuersos modos sub se, & reducibilia ad diuersa prædicamenta, & sic sumptus est de cõsideratione logici negotij: Dubitaret autem aliquis contra definitionem motus, quod cęlum mouetur motu locali, tamen non de vno loco in alium, sed semper in eodẽ loco manet, ergo, &c. Secũdo mutatio de vno albo, ad minus album est alteratio, & tamen ibi non est alteratio in aliam qualitatem. Ad primum breuiter respõdẽdum est: quod dupliciter cęlum moueri capi potest aut quod moueatur secũdum se totum de vno loco in alium, & sic non est uerum: aut quod moueatur secundum suas partes, & sic est verũ: ista nanq; pars, quę est in nostro zenith prius erat in nostro oriente, deinde ad occidentem descendet. Ad secundum dicitur, quòd licet album & minus album non contrarientur secundum esse qualitatis, quia sunt eiusdẽ speciei, tamen contrariãtur secundũ esse perfectum, & minus perfectum, quod sufficit ad alterationem. Ad textum ergo accedamus. Et primũ dico, quod istud caput cõtinet enumerationem specierum motus, quæ sex sunt. & vnum dubium. Deinde quomodo inter se differunt. Dicit ergo primum quod species motus sunt sex, scilicet generatio, corruptio, augumentum diminutio, & alteratio, & secundum locum mutatio. Alij motus, idest isti motus aliter nominati, manifestum est, quod ab inuicem realiter sunt diuersi: non enim generatio est corruptio nec diminutio augumentatio. neque secundum locũ mutatio. ponit deinde dubium cum dicit, quod de alteratione est dubitatio: quoniam id quod alteratur, videtur alterari secundum alias permutationes: ratio potest esse, quia qđ alteratur, dũ alteratur sæpe etiam augetur, quod esset per aliquam harum motionum supradictarum: sed hoc non est verum: & soluit cum dicit, quia si idem esset alteratio cum alijs motibus, vel cũ aliquo horum, tunc sequeretur ex necessitate quod statim posita alteratione poneretur aliquis illorũ motuum: sed hoc non est verum ergo; & hoc est quod dicit, quia accidit nos alterari secundũ penè omnes passiones, aut complures, & tamen non sumus communicantes, neque participantes harum nulla motionum: quia non est necessarium augerit quod mouetur per passionem, i. per alterationem, neque diminui: nanque si mutatur de calido in frigidum, non dicitur augeri, neque diminui. Similiter de alijs dicendum est: igitur alteratio erit alia, a cęteris mutationib⁹: qm̃ si esset eadem, supple, mutatio, idest cũ alijs motibus, oporteret quod id, quod alteratur, statim & augeri, vel minui, aut habere aliquam aliarum motionũ, sed hoc non est necesse, ergo &c. Simili modo dicẽdum foret, quod id quod augetur, aut mouetur aliqua alia motione, alterari oportere: sed hoc nõ est necesse: igitur, nanque sunt quædam

quæ

quæ augumentantur, & tamen non alterantur, vt quadratum, posito gnomone, creuit, sed non alteratur, quia eadem figura remanet, vt patet in hac Figura.



Accipiatur enim A. B. C. D. H. O. pro Gnomone, & addatur figurę quadrati. P. K. N. O. manifestũ est, quod ista additio mutatur, seu augumentatur, sed non alteratur, quia remanet eadem figura quadrangularis: habens quatuor latera æqualia, nempe A.N.D.C. & sic est eadem ratio in hniusmodi. Quare ergo quod alij motus sunt ab inuicem diuersi. Nũc determinat de contrarietate motuum, cum dicit quod motui simpliciter, idest vniuersaliter, cõtrarium est quies: hoc est quies est contraria motui: hic vero quæ per singula sunt & singula, idest, & singulę alię species sunt proprijs speciebus cõtrariæ. & corruptio, est cõtrarium generationi; diminutio uero contrarium augumentationi, & quies est contrarium secundum locum mutationi: maximè autem videtur esse opposita mutatio ad locum contrarium: vt puta, ea quæ superius est, contrarium ei quæ inferius est; & ei quæ superius est, ei quæ inferius. reliquo vero, supple, motui, vel alterationi, non videtur forte facile assignare contrarium: quoniam non uidetur esse ei quid contrarium: nisi dicat quis, quod quies secundum illam qualitatem, opponitur motui alterationis secundum qualitatem; quemadmodũ dicebatur etiam de motione, siue motu locali, esse contrarium quietem secũdum locum: sic in præsenti, eo quod

alte-

alteratio est motus secundum qualitatem, & opponitur sibi quies in cōtrariam qualitatem, aut mutatio qualitatis in contrarium, vt album fieri, idest, dealbatio, opponitur ad id, quod est nigrum fieri, idest, denigratio, quæ quidē denigratio est ad contrariam partem, quod enim alteratur, est cum fit mutatio qualis, i. qualitatis ad cōtrariā qualitatē: dubitaret aūt aliqs qđ generatio & corruptio nō sunt mot⁹, vt ꝓbat Aristoteles quinto Physicorum ergo. Secūdo dubitaret aliquis, quod priuatio est motus, & tamen non ponitur in nullo horum modorum ergo. Ad primum sic respondendum est, quod generatio ut distinguitur contra mutationem, nō sint motus, similiter, & corruptio: sed si vt in tertio Physicorum accipiuntur, illo modo sunt motus. Ad secundum dicitur, quod motus potest dupliciter accipi, scilicet, pro omni mutatione, siue subiectum requirat siue nō: & isto modo priuatio est motus. alio modo sumitur pro mutatione, quæ subiectū requirit, & isto modo priuatio non est motus, & hæc de motu satis pro nunc.

CAP. V.

De Habere.

Habere secūdum plures modos dicitur, aut enim, vt habitum, & dispositionem, &c.

CVm inter prędicamenta collocauerit Aristoteles ipsum habere, quod sub se habet multa significata, idcirco nunc ponit octo modos ipsius. pro quo notandum est, quod habere dupliciter capi potest, scilicet, generaliter, & specialiter. Generaliter capitur, vt se extendit ad omnes suos modos & reducti ue sic ponitur in diuersis prædicamentis: hoc nanque modo ponitur, vt post prædicamentum. Alio modo capitur specialiter, scilicet, pro tertio modo habere, quæ circa corpus sunt adiacentia, vt vestimentum, & sic est vnum prędicamentum ab alijs distinctum. Notandum iterum est, quod octo modis dicitur habere, qui quidem modi in his versibus continentur.

Affectum, quantum, vestitum, dic velut aurum,
Membrum, contentum, possessio, dic mulierum.

Per affectum intelligitur qualitatem habere; per quantum quantitatem: per vestitum, ea quæ sunt circa corpus adiacentia. per membrum intelligitur habere partem, per aurum intelligitur habere in parte, vt anulum in digito. per contentum, vt locus, vt amphora vinum. per possessionem, vt habere illam. per mulierum intelligitur vir habere vxorem, & econtra vxorem habere virum. hæc autem quæ sequuntur, sunt verba Aristotelis dicentis, quod habere dicitur secundum plures modos, & primus modus est, vt habere aliquem habitum, vt habere logicam, habere Aritmeticam, Astrologiam, & habere vitium carnis, ad modum habitus, &c. vel dispositionem, vt has easdem habere sed non tam firmiter, vt ad dispositionem pertinet. Secundus est modus, quod aliquis dicitur habere quantum, idest, quantitatem puta magnitudinem bicubitalem, tricubitalem, & similia. tertius modus est, habere ea quæ sunt circa corpus, vt habere pileum, vestimentum, tunicam, & huiusmodi. quartus modus est habere, vt in parte, idest, vt in manu habere annulum, & in auribus similiter. aut habere partem, & iste est quintus modus, idest, habere manum, pedem, vel brachium, & huiusmodi. sextus modus est vt in vase, vt modius dicitur habere grana milij, tritici, & amphora dicitur habere vinum, vel aquam, aut oleum; quoniam hæc omnia dicuntur habere,

vt

vt in vase. septimus modus est, vt habere possessionem: ut habere agrũ, habere domum. octauus modus dicitur vir habere vxorem: & vxor dicitur habere virum: sed iste vltimus modus est alienissimus, & extraneus, quia dicendo quod vir habeat vxorem, & ecõtra, nil aliud est nisi, quod vir, & mulier simul cohabitant. deinde subdit, quod & alij modi apparebunt de habere, sed isti, qui dicti sunt, magis in vsu sunt, & ab omnibus vsitati. Notandum autem est secundum Burleum, quod præter prædictos modos sunt, & alij multi habendi modi, quia dicimus, quod omnis effectus habet causam, & omnis scientia habet subiectum circa quod est, & species habet propriam passionem, si est in prædicamento substãtiæ. & quod omnis species habet genus, & omnis species habet definitionem, & quod genus habet species, & differentias. sed isti modi, sunt alij, a quolibet prędicto. Dubitaret forte aliquis, quod omne, quod diuiditur dicitur totum vnum, sed habere non est vnum totum, ergo minor est per se manifesta. secundo quod idem non potest esse prædicamẽtum, & post prædicamentum. sed habere est prædicamentum. ergo. Ad primã rationem sic breuiter respondendum est, quod licet habere non sit aliquod unum totum secundum rem tamen secundum vocem est aliquod vnum totum, idcirco, diuisione vocis, potest diuidi per suas significationes. Ad secundum dicitur, quod idem cum consideratur diuersimode potest reperiri pluribus in locis. ideo si capitur, habere æquiuoce potest esse prædicamentum, & post prædicamentum; si uero vniuoce tunc est solum prędicamentum, & hæc sunt quæ uolui de prædicamentorum libro. si diminutus fui, intentio nostra est explanare, ac dilucidare textum, pro ijs qui nequeunt ob obscuritatem Philosophi illum intelligere. Si aurum igitur, & uita non deficient ad reliqua cursum faciemus, Deo Opt. Max. præstãte, qui semp sit benedictus.

Finis. Explicit expositio super librũ Prædicamentorum.

PERIHERMENIAS ARISTOTELIS LIBRI PRIMI.

EXPOSITIO.

Per D. Ioannem Baptiſtam Rubei.

De Signis. Cap. I.

PRIMVM oportet ponere quid ſit nomen, & quid verbum: poſtea quid eſt negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio.

Miro ordine Ariſtoteles in hoc opere procedit. Quia igitur logicus debet conſiderare voces ſimplices de quibus ſupra loquuti ſumus, quatenus aſſociantur orationibus: idcirco nunc Ariſtoteles, vult agere de illis, quæ ſimplices orationes vocãtur, quæ quidẽ orationes partes ſillogiſmi ſunt, & quia voces ſimplices non ſignificant negationem, neque affirmationem, fuit igitur neceſſe, vt de orationibus enunciatiuis, quæ vel affirmant, vel negant, ageret. nanque dicendo equus, homo, ſcãnum, & ſimilia, neque negant, neq; affirmant, ſi vero dicimus homo currit, ſcamnum eſt ſubſtantia: tunc affirmamus vel negamus. Tractabit ergo liber iſte de orationibus compoſitis principaliter, præcipueque de illis quæ affirmant, vel negant, quæ quidem orationes enunciatiuę nominantur. Inſcribitur enim iſte liber in contextu Græco Perihermenias, hoc eſt de interpretatione, quæ idem eſſe videtur cũ enunciatione, qua noſtræ mentis conceptum verum, vel falſum exprimimus ſiue interpretamur. Incipit autem à determinatione nominis, & verbi potius per accidens, quam aliter, vel forte propter meliorem cognitionẽ enunciationum, quandoquidem ex verbis, & nominibus, vt partibus præcipui, componitur enunciatiua oratio: deſumpta enim eſt inſcriptio à re conſiderata. Subiectum autem huius libr eſt oratio enuntiatiua, vt ſignificatiuai

O veri,

diuisio.

veri, vel falsi, quod est dicere, ut futura pars sillogismi. Diuiditur iste liber in tres partes prima pars est proemium: duæ alię partes sunt duo libri. dicit igitur Philosophus in hoc proęmio, quod ante alias considerationes primum oportet constituere seu ponere quid sit nomen, & quid sit verbum. postea oportet ponere quid sit affirmatio, & quid sit negatio, & quid etiam sit enũtiatio, & quid oratio. primo ergo notandum est, quod iste liber, solet secari in duas partes, & quod prior octo capita continet. primum caput tres habet positiones, & vnum correlarium. Item notandum est, quod nomen, secũdum Burleũ dupliciter accipi potest, s. communiter pro qualibet uoce significatiua ad placitum, & sic est commune cuilibet parti orationis: Alio modo stricte accipitur secundum quod distinguitur contra alias partes orationis: Dubitaret autem aliquis, cur. de simplicibus agit, cum in libro prędicamẽtorũ mẽtionẽ de hisce fecerit, quæque necessitas postulet, vt iterum de illis agatur. Secundo potest quis dubitare, quare prætermissis alijs orationis partibus, solum de nomine, & verbo mentionem fecerit. tertio dubitaret aliquis cum diuidatur enuntiatio in cathegoricam, & hippotheticã, quare de istis non promisit se dictursũ, sicut promisit se dicturum de affirmatione, & negatione. Ad primam dubitationem respondendum est secundũ Præclarissimum Thom. quod simpliciũ dictionum potest esse triplex consideratio. Vna quidem secũdum quod absolutè significat simplices intellectus & sic eorum consideratio pertinet ad librum prędicamentorum. Alio modo secundum rationem, prout sunt partes enunciationis, & sic determinatur de eis in hoc libro, & ideo traduntur sub ratione nominis, & verbi: de quorum ratione est, ut significent aliquid cum tempore, vel sine tempore, & alia huiusmodi, quæ pertinent ad rationem dictionum secundum quod constituunt enunciationem. tertio considerantur secundum quod ex eis constituitur ordo sillogisticus, & sic determinatur de eis sub ratione terminorum in libris priorum. Ad secundam idem respõdet duplici solutione prima est hæc, quia de simplici oratione determinare intẽdit Philosophus, sufficit, ut solas partes enuntiationis pertractet ex quibus ex necessitate simplex oratio constat. Potest autem ex solo nomine, & verbo simplex enuntiatio fieri. nõ autem ex alijs orationis partibus absque his: idcirco fuit sufficiens de his duabus determinare. secunda solutio est hæc, vel quia sola nomina, & verba sunt partes principales orationis. sub nominibus enim comprehenduntur pronomina: quæ licet non nominant naturam: personam tamen determinant: & ideo loco nominis ponuntur. Sub verbo vero participium comprehẽditur, quod consignificat tempus, quamuis & cum nomine conuenientiam habeat. Alia vero sunt magis colligationes partiũ orationis significantes habitudinem vnius ad aliam, quã orationis partes. Ad tertiam dubitationem sic respondendum est, quod enuntiatio hypothetica conflatur ex pluribus cathegoricis: nec significat aliquid simpliciter; sed ex suppositione, vt si sortes currit, sortes mouetur. ideo vel reducitur ad cathegoricam de qua in præsenti agitur, vel nõ agitur de hypothetica. quoniam non significat absolutam, & simplicem veritatẽ: enuntiatio autem de qua intendit, hæc est illa, quæ significat absolutam, & simplicem veritatẽ. ideo determinare hic de hypotetica prætermisit Aristoteles.

de simp. dict.

Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum, quæ sunt in anima

passio-

passionum, notæ: & ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce. Et quemadmodum nec literæ omnes eędem, sic nec voces eædem. Quarum tamen hæc primum notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt, & quarum hæ similitudines, res etiam eædem. De his vero dictum est in ijs, quæ sunt dę anima, alterius enim hæc sunt negotij.

Finito proęmio, accedit Philosoph⁹ ad tractatum, & quoniam ea quæ se dicturum promiserat sunt voces significatiuę, vel complexe, vel incomplexe: idcirco de vocum significatione, deinde de vocibus de quibus promiserat, mentionem facit. pro quo notandum est, quod vocum aliæ sunt significatiuę, & aliæ non significatiuę. Vox significatiua est illa quę repręsentat aliquid auditui nostro, vt hęc vox homo, equ⁹, vel latratio canis, aut infirmorum gemitus, qui dolorem denotat: vox non significatiua est illa, quæ non repręsentat quicquam auditui nostro, vt hæc vox buf, baf, & similia. item notandũ est, quod vocum significatiuarum quędam significant ad placitum, & quædam naturaliter. vox igitur significatiua ad placitum, est illa quæ ad voluntatem primi imponentis aliquid repræsentat, vt homo hominẽ repręsentat. & equus equum: vox significatiua naturaliter est illa, quæ apud omnes homines, tã apud Barbaros, & Hebręos, quam Italos, & Francos idem significat, vt latratus canum, & mugitus bouum, gemitusque infirmorum, apud omnes idem significant: & dicuntur voces significatiuæ naturaliter. Item notandum est quod uocum significatiuarum ad placitum, quædam sunt voces complexe, ut homo est substãtia. quędam vero uoces incomplexe, ut sunt nomen, & uerbum. Item notandum est quod vox significatiua idem est, quod uox cathegorematica: sed hoc est gręcum illud uero latinum, quæ etiam sic potest definiri, quod vox significatiua est quæ aliquid, vel, aliqua significat: aliquid vt homo, leo, lapis; aliqua vero ut homines, leones, lapides, & quæcunque plura significantes. Item notandum, quod sunt quędam quæ nec significatiue, neque non significatiue dicuntur, sed consignificatiue appellãtur, vt hæc coniunctio, &: Vox quidem est, quæ nec aliquid, nec aliqua significat: tamen quia locum habet in orationibus, vt connectit duas dictiones ad inuicem, homo & leo, dicitur consignificatiua, quod est dicere simul significatiua. Sic aliqua aduerbia, vt haud, nequaquam, non; & coniunctiones, ut uel, aut, ue, ne, uel; & propositiones ut a, ab, in; & interiectiones, ut heu, hei, ah, proh; hæc omnia dicuntur consignificatiua: reliquæ uero orationis partes, ut nomen, verbum, participium, & pronomen, dicuntur uoces significatiue. dicit igitur Aristot. ea idest, nomina, & uerba quæ sunt in voce, idest in verbis; sunt notæ, uel signa, earum passionum quæ sunt in anima, idest, signa sunt quæ sensibus internis, & externis potentijs concipimus, & ea quæ scribũtur: sunt, supple, signa eorum quę sunt in uoce. ubi notandum quod triplex potest esse uox significatiua, mentalis, scilicet, scripta; & uocalis, mẽtalis est illa quæ mente concipitur, uox significatiua scripta est, quæ scribitur. uocalis uero est, quæ ore profertur, ut hæc dictio homo, ut concipio mente, dicitur mentalis, ut scribitur dicit scripta, ut profero dicitur uocalis. subdit deinde, & quemadmodum nec literæ in re non sunt eædem omnibus gentibus:

sic etiam nec uoces earundem rerum sunt eędem apud omnes:nam quod nos dicimus, equus, non sic dicitur apud Græcos, neque Barbaros, sic nec sunt eædem,sed sunt ad placitum primi imponentis, & quia hoc planum est idcirco reticuit. igitur sicut literæ non sint à natura,sed a nostra institutione; pari ratione nec uoces sunt eædem apud omnes, sed a nostra sunt institutione. quod autem ex hoc quod literæ non sunt omnibus eædem,accipiatur quod non sunt a natura: probat ex opposito cũm dicit: quod passiones, siue conceptiones animæ, quarum uoces primitus signa sunt,idest hęc quæ animo cōcipimus, ea sunt communia omnibus gentibus, quasi dicat, quod res,& passiones sunt eędem apud omnes,sed uoces & literę nō sunt eędem,& res quoque hę quarum sunt,supple,passiones, sunt similitudines.est igitur hęc conuenientia inter passiones animę, & res ad extra, scilicet, quia sicut res ad extra sunt eędem apud omnes,sic passiones animę seu conceptus, qui sunt naturales similitudines rerum,sunt eędē apud omnes. sed de his,supple,passionibus animę dictum est in libris de anima, idcirco oportet ut omittantur,eo quod sunt alterius negotij, nempe agere de illis pertinet ad Philosophum naturalem non autem ad logicum.igitur quæ pluries repetita placebũt, dico qđ hęc res homo, si consideratur, nō quatenus est dictio ex talibus literis conflata,neque quatenus est uox apud latinos significans id quod significat;sed quatenus est res, seu subiectum quod est,apud omnes idem est; similiter passiones quę sunt similitudines harum rerum sunt eędem apud omnes.ubi notandum est, quod quia uox per auditũ percipitur,magis imponitur ad significandum conceptus, & passiones animę,quam obiecta aliorum sensuum ab auditu, & ratio est, quia uoces sunt in potestate nostra,& cum uolumus illas formare possumus,& uariare secundũ multas differentias, non autem possumus ad placitum nostrũ obiecta aliorum sensuum, utputa colores,& sapores,&cęt. ideo uox magis conueniens est ad significandum animę cōceptus, & passiones, vt inquit Ver. Est quoque secundum eundem notandum, quod uox significatiua naturaliter, & uox significatiua ad placitum quadrupliciter differunt. primo in prolatione; quoniam uox significatiua naturaliter non perfecte formatur, neque profertur propter impetum passionis, quę impedit hominem ad debite proferendum, sed uox significatiua ad placitũ, est debite prolata, ac formata: secundo differunt ex parte significationis, quia significatiua naturaliter apud omnes idem repręsentat,alia uero nō,sed tantum apud illos,qui cognoscũt eius impositionem. tertio differunt ex parte significati,quia significatiua naturaliter significat affectiones, & appetitus passiones, alia uero significat conceptum intellectus. Quarto ex parte causę suę ordinationis ad significandum,quia significatiua naturaliter ordinatur ad significandum ab instinctu naturę, alia vero secundum imponentis placitum.Differunt autem placitũ, & uoluntas, quia uoluntas est potentia uolitiua, uel actus eius,qui incipit ab intra, & terminatur ad extra, scilicet,in bonum:sed placitum,incipit ab extra, & terminatur ad intra. incipit a re cognita, & terminatur ad uoluntatem.& quia uox significatiua ad placitum imponitur ad significandum rē, quę concipitur ab anima,& illa cognitio primo uenit ab extra, ideo magis proprie dicitur significare ad placitũ, quam ad uoluntatem.

Est autem quemadmodum in anima, aliquādo quidem intellectus,

tellectus, sine vero, vel falso, aliquãdo autem cum iam necesse est horum alterum inesse; sic ẽt in voce, circa compositionem enim, & diuisionem est verum, & falsum. Nomina igitur ipsa, & verba consimilia sunt ei, qui sine compositione, & diuisione est, intellectui, vt homo, vel album, quando non aliquid additur; neque enim falsum, neque verum adhuc est. Signum autem huius est. hircoceruus enim aliquid significat; sed nõdum verum aliquid, vel falsum, nisi esse, vel non esse addatur, vel simpliciter, vel secundum tempus.

Diuersitatem in significando in præsenti cõtextu ostendit Aristoteles, (& est quarta positio,) scilicet, inter voces quæ ad placitum significant, vt sunt nomen, verbum, & enuntiatio: diuersitas autem est hęc quod aliqua vox est significatiua ad placitum, & est significatiua veri, & falsi; & aliqua est vox significatiua, & non est, neque veri, neque falsi. Sed aduertendum, quod primum tractat, quod aliqua vox significatiua ad placitum, est significatiua veri, vel falsi. Deinde contrariam partẽ, demonstrat. Item notandum est, quòd duplex est operatio intellectus: (nota quod ꝑ intellectum, intelligo cõceptum,) vna operatio intellectus, seu cõceptus, cõsistit in apprehẽsione simplici rei: alia verò operatio intellectus consistit in compositione, & diuisione. Vbi notandum est, quod per compositionem intelligere debemus orationem affirmatiuã, vt Plato legit: per diuisionem verò debemus intelligere negatiuam, vt Plato non legit: eo quod diuidit Platonem ab hoc verbo legit. vnde sequitur id quod dicit Aristoteles quod intellectus quandoque est sine vero & falso: & aliquando est necessario cum altero istorum: deinde dicit quod veritas, & falsitas est in compositione, & diuisione; quasi dicat, qđ simplex intellectus, idest conceptus est sine vero, & falso. Item notandum est, quòd voces vt iam diximus sunt signa conceptuum animæ: & quia signa debent esse vniformia cum signatis, necesse est ex diuersitate circa conceptus animæ, cõtingere diuersitatem in voce; idcirco dicit Philosophus in pręsentia, quod quemadmodum in anima, idest in mente est aliquando intellectus, idest conceptus sine vero, vel falso (vt in hac dictione, leo,) tamen aliquando est necesse, vt habeat alterum horum, idest, vel veritatẽ, vel falsitatem, vt in orationibus patet, quæ alterum horum semper demonstrant: sed quoniam voces etiam significatiuæ, ad exprimendas passiones, seu conceptiones intellectus formantur: idcirco subdit quod sic etiam est in voce: scilicet, quod voces significatiuæ quædam sunt sine vero, & falso & quædam quæ alterum habent, siue verum, siue falsum fit. hanc differentiã manifestat. Deinde cum subdit (quantum ad id quod de intellectu dicitur) dicens: quod veritas intellectus, idest cõceptus, & falsitas, circa compositionem est, idest cõponẽdo voces simplices simul, vt Plato, & scribit, facit hãc orationem Plato scribit; & circa diuisionem; vbi notandũm est, vt etiam dixi, quod per compositionem affirmatiuam orationem intelligit; & per diuisionem, negatiuam. Manifestat deinde assignatam differentiam circa voces: probatq́, eam signo. dicit igitur: nomina & verba, supple, quæ sunt sine compositione, & diuisione, similia sunt ei

intel-

intellectui, ideſt conceptui qui ſine cõpoſitione,& diuiſione eſt. ita vt non ſignificent,neque verum,neque falſum; vt homo,vel album,quando enim non additur quicquam hiſce dictionibus; neque verum,neque falſum denotant. probat hoc,ſigno,dicens:Signum autẽ huius eſt, quod ſolum nomen & verbũ non aliquid verum,vel falſum, ſignificant.quamuis nomen ſit compoſitũ,ut hirco ceruus;licet enim hoc nomen ſit compoſitum,tamen neque verum,neque falſum ſignificat; licet per ſe ſignificet aliquid;& niſi addatur ei eſſe, vel non eſſe,ideſt aliud verbum, vt hirco ceruus eſt, vel hircoceruus non eſt:vel niſi addatur ſimpliciter, ideſt, niſi addatur ei tempus præſens, vel ſecũdum tempus,ideſt,vel niſi addatur tẽpus futurum,vel præteritum: vt hircoceruus fuit,vel erit;neque verum falſum ſignificabit. Vbi notandum eſt,iuxta dictũ hoc, quod id quod non eſt actu,non habet quatenus tale quod ſit ſimpliciter; ſed ſecundum quid tantum. Sed quod eſt actu dicitur eſſe ſimpliciter:quoniã ergo eſſe in tempore præſenti dicitur eſſe actu: idcirco appellauit tempus præſens eſſe ſimpliciter: id vero quod eſt futurum, vel præteritũ appellauit tempus non ſimpliciter, ſed ſecundũ tempus:dubitaret forte aliquis,an falſitas, & veritas ſolum ſit in compoſitione,vel diuiſione: & reſpondetur qđ non: quia dicitur aurum verum, & falſum: ergo in ſimplicibus eſt etiam veritas & falſitas. Ad hoc argumentum breuiter reſpondendum eſt, iuxta cõmunem opinionem, quod veritas in aliquo dupliciter inuenitur. Vno modo ſicut in eo quod eſt verum ſecũdo modo ſicut in dicente, vel cognoſcente:ſi accipiatur veritas primo modo tam in incomplexis, quàm in cõplexis eſt veritas. quare ſicut dicit Diuus Thomas, res veræ vel falſæ per comparationem ad intellectum noſtrum non eſſentialiter, vel formaliter; ſed effectiue, inquantum, ſcilicet natæ ſunt facere de ſe veram uel falſam extimationem: & ſecundum hoc dicitur verum, vel falſum aurum: ſed ſi capiatur veritas & falſitas ſecundo modo ſicut in dicente uel cognoſcente nõ inuenitur verum uel falſum,niſi per cõpoſitionẽ,uel diuiſionem: nanq; componendo & diuidendo intellectus de conformitate rerum iudicat. & de hac loquitur hic Philoſophus.

De Nomine. Cap. II.

Nomen igitur eſt vox ſignatiua,ſecundum placitum, ſine tempore,cuius nulla pars ſignificatiua eſt ſeparata,in nomine enim quod eſt æquiferus,ferus nihil per ſe ſignãt, quemadmodum in oratione, quæ eſt equus ferus. At verò non quẽadmodum in ſimplicibus nominibus, ſic ſe habet in compoſitis. In illis enim nullo modo pars ſignificatiua eſt, in his autem vult quidem,ſed nullius eſt ſeparata; vt in eo quod eſt equiferus hoc quod eſt ferus nihil ſignificat per ſe.Secundum placitum verò, quoniã natura nominum nullum eſt,ſed quando fit nota; quoniam deſignant & illiterati ſoni, vt ferarum; quorum nullum nomen eſt.

Intẽtio Ariſtotelis in hoc capite eſt demonſtrare principia orationis enuntiatiuæ, ſimiliter in ſequenti; ſcilicet, de nomine, & uerbo, quę ſunt principia

pia propositionis. quatuor autem continet hoc caput, scilicet, definitionem nominis, declarationem, deque nomine infinito, & de casu nominis. Definitio est ista, quod nomen est uox significatiua, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata. ponitur uox, quia est tanquã genus: significatiua, ad differẽtiam uocis non significatiuæ, ut buf. posuit secundum placitum, ad differentiam uocis significãtis naturaliter: ut heu, quę particula denotat dolorem apud omnes. posuit particulam illam, sine tempore, ad differentiã, uerbi, quæ est uox significatiua cum tempore: cuius nulla pars separata est significatiua, ad differentiam orationis: cui⁹ omnes partes separatæ aliquid significant, ut in hac oratione homo est animal: nanque hæ tres particulæ ad inuicem separatæ aliquid significant: sed in hac dictione homo, ho nihil significat, similiter neque mo. Notatione dignum est, secũdum Gra. quod aliud est significare tẽpus sicut rem quandam; aliud habitudinem temporis mensurantis: & aliud est significare cum tempore. Nam res potest significare rem quæ est tempus tanquam, & res alias: quo modo tempus significãt hæc nomina, dies, hebdomada, mensis, annus & similia: significare uero habitudinem temporis mensurãtis significat aduerbium: ut hodie, heri, cras, & cęt. sed significare cum tempore est significare actionem, uel passionem: ut facio, fio, & huiusmodi. Patet igitur, quod licet nomen significet rem quæ tempus denotat, tamẽ nõ inconueniẽter dici significare sine tẽpore: at diceret aliqs quare prius egit de nomine quam de uerbo? ad hoc respondetur quia in oratione, siue enunciatione nomen est subiectum: & uerbum est in illa prædicatum: & quia subiectum est, ut materiale, & prędicatũ ut formale, & quia a formalib⁹, materialia præsupponuntur, idcirco prius de nomine quam de uerbo ordo ut ageret, postulabat; sed uidetur nõ recte dixisse Philosophus in definitione qđ nomen est uox, quod uidetur esse idem cum sono, quia uox est sonus. Ad quod dicendum, quod hæc non conuertunt; licet.n. uox sit sonus, nõ tamẽ sonus est uox: quoniam sonus est ille qui generatur ex percussione duorum corporũ sintq; quomodocũque inanimata: licet aliquis possit dicere quod in fractione papiri, uel panni fit sonus, & tamen nõ generatur ex percussione duorum corporum inanimatorum; dico quod licet ibi non sit formaliter mutua percussio corporum formaliter, tamen adest ibi æquiualenter quantum ad suum effectum, qui est subita, uel uiolenta fractio aeris, quæ potest fieri per subitam subtractionem partiũ talis corporis. est tamẽ hoc præter nostrum negotiũ; idcirco ad propositum nostrum redeamus. Declarat ergo dictam definitionem cum subdit dicens: Quod in hoc nomine equiferus, ferus nihil per se, supple, sumptus, significat, quamuis sit nomẽ compositum; quia si deberet significare aliquid hoc præcipue esset in nominibus compositis: ideo subdit quod nil significat quemadmodum significaret si esset oratio, equus ferus. Vbi notandum est, quod partes nominis dupliciter cõsiderari possunt; uno modo absolute, & p se, alio modo quatenus sunt partes, uel quatenus reduplicãtur. Primo modo sumptę aliquid significant eo quod habẽt esse actu. Secundo modo uero nihil significãt: quoniam pars quatenus est pars nõ habet esse actu; sed tantum in potentia: dat differentiam inter nomina simplicia, & nomina composita, dicens, quod nõ sic se habet in simplicibus quemadmodũ in compositis. in illis enim supple simplicibus nullo modo pars est significatiua, idest aliquid significat, ut in

hac

hac dictione, mater, ma, nihil per se significat: in his uero, idest in compositis pars uult quidem, idest significare, uel apparet qđ aliquid significet, sed secundũ ueritatem (quatenus pars est) nullius, supple, rei est significatiua, uel significat aliquid, separatim sumpta: vt in eo nomine quod est, idest dicitur equiferus, ferus quaten' est pars dictionis nil significat. Declarat deinde tertiam particulam quia omnis uox significatiua, aut est naturaliter, aut secundum placitum, dicens: Secundum placitum verò, supple, dictum est: quoniam natura nominum nullum est, idest, qa natura nõ imposuit nomina rebus, sed à primis instituentibus fuerunt nomina imposita, quod est dicere secundum placitum; sed quando fit nota, supple, a natura, vel quando instituitur, tunc significat aliquid, sed naturaliter: quẽadmodum, & illiterati, qui sonum faciunt, vt omnia bruta, puta latratus canum, mugitus bouum, rugitus leonũ, sibilus serpentum, & huiusmodi, quæ voces naturaliter aliquid designãt, vel famem, vel iram, vel sitim, quæ tamen voces nomine carent. Vbi notandum est Aristotelẽ, non dixisse quod illi soni non habeant nomina, quia habẽt, vt latratus canum, & rugitus leonum &c. Sed dixit quod ille voces, seu soni, non sunt nomina, & hoc est manifestum per se.

Non homo verò non est nomen; at verò, nec positum nomen est, quo illud oportet appellare; neque enim oratio, neque negatio est, sed sit nomen infinitum; quoniã similiter in quolibet est, & quod est, & qđ non est. Philonis autem, aut Philoni, & quæcunq; talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis. ratio autem ipsorum est, in alijs quidem eadem; differũt autem, quoniam cum est, vel fuit, uel erit, neq; verum, neque falsum, est nomen verò semper, vt Philonis est, vel non est; nondum enim, neque verum dicit, neque falsum.

Quædam ab ipsa ratione nominis in præsenti contextu, remouet Aristoteles: & primum nomina infinita, secũdo casus nominum: deinde comparat casus nominum ad nomen supra definitum: demum quandam differentiam ponit. Primum igitur dicit, quod non homo non est nomen, similiter non equus, & similia: quoniã non est illi impositum nomẽ proprium, quo talia nominentur: neque enim supple est oratio affirmatiua, neq; negatio, idest, neque oratio negatiua. quasi dicat, quod non, additum homini non est nomẽ, nisi indefinitum. Vbi notat quidam, quod nomen infinitum negatur esse nomen, quia nomen significat naturam determinatam, vt lapidem scamnum, aut ꝑsonam aliquam determinatam, vt Platonem, & alia singularia: sed nomẽ infinitum; puta non homo nullum horũ significat. imponitur enim à negatione hominis. quare conuenit, tam enti, quàm non enti. vnde chimera (vt Logici accipiunt) quæ est non ens potest dici non homo, similiter lapis nõ homo, & non equus dicuntur igitur hæc nomina infinita: quia in quolibet est similiter, idest, æque, & quod est, & qđ non est, idest affirmatiue, & negatiue, vt equus est nõ homo, & equus non est nõ homo. igitur tã affirmationi, quàm negationi competit, tanquam enti, quam non enti. secludit deinde casus nominum cum dicit Philonis autem qui est cas' genitiui, & Philoni datiui, & quæ-

cunque

cunque talia sunt, scilicet, & accusatiui, & ablatiui, non sunt nomina, sed appellantur casus nominum. Vbi notandum est, secundum Gr. quod nominatiuus dicitur proprie nomen, eo quod in ipso fit impositio: idcirco vocatur rectus, quia immediatè ordinatur a mente & conceptu interiori. Obliqui verò dicuntur casus, quia à nominatiuo cadunt. comparat casus, deinde ad definitum nomen supra accedit, cum subdit dicens: quod ratio ipsorum, idest significatus ipsorum est idem in recto casu, & in obliquo, vel dicatur quod definitio illorum est eadem. Ponit differentiam deinde dicens, differunt autem, quoniam casus nominum adiũctus cũ est, idest cum (intellige obliquum casum) tempore præsenti, dicendo Philonis est, vel fuit, idest si adiunctus sit cũ tempore præterito dicendo Philonis fuit, vel in quocunque alio casu, (recto excepto) vel erit, idest, vel casus obliquus si addatur tempori futuro dicẽdo Philonis erit, tunc neque falsum significabit. Nomen uero semper, quasi dicat, sed nomen semper aliquid significabit, vt dicendo Cato est, vel fuit, vel erit denotat essentiam Catonis. Sed si dicas Philonis, vel Catonis est, nondũ neque verum, neq; falsum assignabis. Vsus enim fuit Aristoteles hoc verbo, est, quoniam quædam verba reperiuntur, quæ verũ significant cum obliquis: vt sunt infinita, vt me docere oportet, idest, vt ego doceã sensus est. & impersonalia, ut me pœnitet, vbi patet, quod actus verbi cadit super obliquum. qđ etiam sensus est pęnitentia me habet. Item notandum est, quòd sicut obliqua & infinita non ꝓprie sunt nomina, sed large: sic large competit eis definitio nominis: nanque nomen infinitum remouet potius significationem, quã ponat: similiter obliquus casus nihil significat, nisi quatenus a recto deriuatur. Dubitaret autem aliquis contra definitionem nominis quod respublica est nomen, & tamen partes separatæ aliquid significant. ergo. secundo sic nomen infinitum ingreditur propositionem, quoniam potest esse subiectum enuntiationis. igitur, vt dicendo nõ equus currit, similiter Petri interest. Ad primam rationem sic respondendum est, quod si considerentur illæ partes, vt partes sunt, quæ quidem imponuntur nomini non ad significandum, sed vt significent suum conceptum toto nomine, quod etiam patet supra in notando, solutio. Ad secundam dicitur, quod si nomen infinitum consideratur ut tale, sic non ingreditur propositionem, nec potest esse subiectum enũtiationis, sed si consideratur, (uirtute nostri intellectus,) quatenus ordinatur, siue determinatur ad aliquod subiectũ finitum, ut nõ leo currit, pro omni parte alia ab ipso leone, tunc fit subiectũ enunciationis, intelligẽdo per nõ leonem, equum, uel hominẽ. sed tunc non est infinitum nomen, sed pro nomine finito capitur. Ad aliud quod dicitur Petri interest, dicendum est, quod obliquus non est subiectum, sed nominatiuum debemus intelligere, nostro intellectu: ut manifestũ est in resolutione: de nomine, ad uerbum accedatur, & hæc sint dicta, ut resoluẽdo dicimus aliquid ad Platonem interest.

De Verbo. Cap. III.

Verbum autẽ est, quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota. Dico autem, quod consignificat tempus: vt valetudo quidem nomen est; valet vero verbum; consignifi-

cant enim nunc esse; & semper eorum quę de altero dicuntur, nota est, vt eorum, quæ de subiecto, vel in subiecto sunt. Non valet aũt, & non laborat non verbũ dico; consignificat enim tempus, & semp de aliquo est. Differentiæ autem huic nomẽ positum non est, sed infinitum verbum sit; quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est.

Declarato nomine accedit Aristoteles ad declarationem verbi: hoc autẽ est tertium caput huius primi libri, in quo quinque facit. Primum definit verbum ipsum. Secundo idem declarat. Tertio agit de verbo infinito. Quarto de casu verbi. Quinto & vltimo, de verbo secũdum se dicto. primum ergo dicit in definitione, quod verbum est id quod consignificat tempus cuius nulla pars separata aliquid significat, & est nota semper eorum quę de altero prędicantur. Pro hac autem definitione notãdum est, quòd ibi sunt hæ tres particulę; prima quod verbum consignificat tempus, ad differentiam nominis quod non significat tempus: cuius partes nihil extra significant, ad differentiam partium orationũ, & semper eorum, quæ de altero prædicantur, est nota: ad differentiam nõ solum nominis, sed etiam participij; quod consignificat tempus: nam nomen & participiũ possunt poni, tam a parte prædicati, quàm a parte subiecti, sed verbũ semper a parte prædicati ponitur. Vbi notandum est, quòd licet cursus, & similia verba videantur, significare tempus, non dicuntur tamen huiusmodi; & etiam notandum est, quia licet multa sint verba, vt lego, doceo, amo, curro, &c. tamen solum verbum substantiuum, quod essentiam significat, logico seruit. Dicet autem aliquis quare Philosophus non posuit in hac definitione hanc particulam, verum: sicut in definitione nominis? ad hoc breuiter respondendum, quia fecit breuitatis causa, & id quod cõmune est, tam verbo, quàm nomini, tacuit, quasi superfluum in replicatione. Si dicat quod debebat omittere illam etiam particulã cuius nulla pars, dico quod duplex potest esse oratio alia ex nominibus, & alia ex verbis. igitur ad differentiã particulæ orationis in nomine quæ aliqd significat, vt Plato Philosophus albus. in verbo vero ad differentiã partis orationis ex verbis, vt mouere est calefacere: docere est discere. Declarat definitionem cum subdit dicens; dico autem quod consignificat tempus, ad differentiam nominis: nam valetudo est nomen; & non significat tempus, sed valet, est verbum, & significat tempus: consignificat enim nũc esse, idest significat ac denotat tẽpus præsens, & semper verbũ est nota eorum quę de altero prædicantur, idest nota compositionis, vel componit prædicatum, subiecto, vel dicatur quod verbum est nota eorum quæ prædicantur de subiecto, idest dicuntur de illo: quantum ad prædicata essentialia: vt homo est animal; vel sunt in subiecto, vt homo est albus, quantum ad prædicata accidẽtalia qđ est esse in subiecto. quia igitur verbum semper ponitur a parte prædicati, idcirco dicitur nota semper eorum, quæ de altero prædicãtur; siue compositio. Secludit deinde quædam ex numero verborum, & sunt verba infinita cum subdit, dicens: quod non valet, & non laborat, & huiusmodi alia nõ sunt verba, licet tamen non sint verba: cõsignificant tempus; semper de aliquo prędicantur sicut verbum: idest de subiecto. Differentiæ autem huic, quod non est

ver-

verbum, non est impositum proprium nomen, sed infinitum verbum sit, idest appellantur infinita verba: quia similiter in quolibet est, vel quod est, vel qđ non est, vt supra de nomine dictum est. scilicet quod tam enti, quàm non enti competit infinitum nomen, seu verbũ. Vbi notandum est, quod verbum infinitum conuenit cum verbo negato, (secundum Io. And.) in eo quod vnũquodque negat formaliter aliquod agere, vel pati. Sed differt in hoc, quia verbũ infinitum habet vim tantum vnius dictionis, & verbũ negatum habet vim orationis saltem imperfectę. Item notandum est, quod aliud est significare tempus, & aliud consignificare tẽpus. significare enim tempus est importare tempus, vt quandã rem in se, vt dies tempus, sed consignificare tempus, est significare rem, vt tempore mensuratam. Dubitaret autẽ aliquis quòd creare est verbum, & tamen non significat cum tempore, quia non significat fluxum, & fieri, sed actionem quæ fit in indiuisibili: igitur malè ponitur cum tempore. Ad hoc respondendum, secũdum Ver. quod creare nõ significat fluxum realem, qui mensuretur tempore, sed significat per modum fluxus, & fieri: ideo significat sub modo temporis, & hoc sufficit.

Similiter autem & valebit, & valebat non verbum est, sed casus verbi. Differunt autem à verbo, quod hoc, quidem præsens consignificat tempus, illa verò id quod circumcirca est. Ipsa igitur secundum se dicta verba nomina sũt, & significãt aliquid; constituit enim qui dicit, intellectum, & qui audit, quiescit; sed si est, vel non est, nondũ significat; neque enim signum est rei esse, vel non esse, neque si ipsum ens dixeris nudum; ipsum enim nihil est, con significat autem compositionẽ quandam, quam sine composi tis non est intelligere.

Secludit a verbis in præsenti cõtextu Aristoteles, casus verborum; deinde ostendit conuenientiam verborum cũ nominibus. Vbi notandum primo est, quod uerba imperatiuĩ, subiunctiui, optatiui modi, non dicuntur verba, sed casus verbi: sic uerba præteriti temporis, & futuri. Sed uerba indicatiui modi temporis præsentis non dicũtur casus uerbi, sed uerba, sint cuiuscunque personæ, aut numeri. Secundo notandum, secundum Thom. quod cum declinatio, siue coniugatio uerbi narietur per modos, tempora, numeros, & personas: uariatio quæ fit secundum numeros, & personas, nõ constituit casum uerbi: quia talis uariatio non est ex parte actionis, sed ex parte subiecti: sed uariatio quæ est secundum modos & tempora, respicit ipsam actionem, & ideo utrunque constituit casus uerbi. Dicit igitur Philosophus, quod similiter & ualebit quod est tempus futurum, & ualebat quod est præteritũ non sunt uerba, sed dicuntur ac appellantur casus uerbi. quasi dicat, quia solum præsens dicitur uerbum: ideo sub dit, quod qui est uere uerbum consignificat tempus præsens, sed hæc differunt a tempore præsenti. illa uero, supple, alia tempora significant id quod circumcirca est, idest tempus præsens, & futurum, quæ circumstant tempus præsens. Ostendit deinde conuenientiam uerborũ cum nominibus dicens: quod ipsa uerba secundũ se dicta sunt nomina, quod est dicere sunt simpli-

ces dictiones, quæ prolatæ solæ sunt, nominibus similia; significant enim aliquid conceptum in intellectu: quia qui dicit supple uerbum, siue profert, constituit intellectum in audiente, & qui audit quiescit a suspẽsione animi. Secundo sunt sicut nomina simplicia, quia quamuis aliquid significent, tamen si est, uel non est, idest si affirmant, uel negant, nondum significat: quemadmodum nec nomina, nisi addatur ei aliquid, neque enim, supple, uerbum, sicut, neque nomen est signum esse rei; aut non esse: hoc est affirmationis est signum, neque negationis: quoniam affirmatio, & negatio, ex compositione fit. & quia substantiuum uerbum deberet magis significare esse, idcirco, neq; ens si nudum illud dixeris aliquid significabit, secundum se, & sine aliquo adiuncto: ipsum enim, supple, ens nihil est, idest, neque affirmatio, neq; negatio, eo quod non significat rem esse, uel non esse: tamen cõsignificat quandam cõpositionem quam sine composi tis, idest, extremis, non est, idest, non contingit intelligere. Notandum autem est, quod copula uerbalis, quæ est ista dictio, est, quandoque dicitur secũdum adiacens, & quandoque tertium adiacens. Declaro exemplo in hac propositione hõ est, est propositio de scđo adiacente: quę propositio quãuis subiectum apparet, tamen prædicatum consistit in illo verbo est, vel es, vel sum, quasi ostendat essentiam esse in te; vel in illo. igitur istæ propositiones quæ prædicato carent, dicuntur de secundo adiacente, eo quòd in verbo consistit, & vim habet prædicati. Propositio vero de tertio adiacente est illa in qua prædicatum non cõsistit in verbo, sed consistit in illa qualitate, vt dicendo homo est albus, prædicatum consistit in albedine, quæ albedo vi verbi coniungitur cum illa dictione homo. Similiter erit hæc propositio de tertio adiacente quamuis non videatur, homo currit, eo quòd tantum valet quantum est dicere resoluẽdo, homo est currens igitur illæ erunt de secundo adiacente quæ neque qualitatem aliquam neque vbi resolui possunt, non habebunt, quę vero habebunt aliquam qualitatẽ, vel aliquod verbum in quo possunt resolui, prædicata illa erunt de tertio adiacẽte. At diceret aliquis, quod ista propositio est vera Adam fuit, & Antichristus erit, & tamen prædicantur ibi verba obliqua. ergo, &c. Ad quod breuiter respondendum est, quod verba pręterita, & futura indicatiui modi nõ prædicantur vere de obliqno, sed solũ quatenus includunt tempus præsens indicatiui, & non sunt verę nisi per reductionem ad præsens: vt ista propositio Adam fuit non est verę, nisi quia ista fuit vera Adam est. sic dicendum de illa, Antichristus erit.

De Oratione. Cap. IIII.

Oratio autem est uox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, sed non, ut affirmatio, uel negatio, &c.

Istud est caput quartum, in quo agit Aristoteles de oratione, & quia multæ sunt orationes nempe interrogatiuæ, vt apud Virgilium, imperatiuæ, deprӕcatiuæ, optatiuæ, & subiunctiuæ. ideo de vna est intentum.

Inter.

Heu q̃ nunc tellus, inquit, q̃ me æquora possunt
Accipere? aut q̃d iã misero mihi denique restat?

Imperat.

Ferte citi flamm.i, date tela, impellite remos.

Deprę

Parcite Dardanidæ de tot præcor hostibus vni.

Subiuncti. Oui.

Exulnet, & toto quærat in orbe fugam.

Sic de reliquis, sed omnes istæ omĩttantur,

tantur, quoniam de enunciatiua debet hic esse sermo. vbi notandum est quod duplex est oratio, scilicet, perfecta, & imperfecta: perfecta est illa, quæ animum auditoris quietat, ut homo est animal rationale; imperfecta verò est illa quæ non quietat auditoris animũ, vt homo bonus, & perfecta iterum diuiditur in illis quæ supra tactæ sunt. dicit igitur Philosophus, quod oratio est vox significatiua cuius aliquid, idest, aliqua partium separatum, idest, separata ab oratione, est significatiuum. i. significatiua, ut dictio; sed non ut affirmatio, uel negatio, quasi dicat, quod non significant aliquid illę partes separatæ, ita vt significent affirmationem, vel negationem. ubi notare possumus duplicem esse significationem: vna significatio, q̃ cõpetit dictioni, & alia q̃ cõpetit orõni q̃ cõpetit orõni significat verum, vel falsum, quæ vero competit dictioni significat tantum aliquid, sed non affirmat, neque negat. exponit deinde dictam rationem siue definitionẽ cum dicit, dico autẽ, ut homo aliquid significat, sed non significat quod est, aut non est. i. sed non significat quid sit homo, & quid non sit, vt in hac oratione reperitur, homo est animal rationale. Si vero hæc addantur, s. dictioni, homo, tunc affirmabit, uel negabit. tamẽ ita ut non addatur una sillaba alterius nominis, quia tunc non significabit aliquid, ut in hac dictione sorex, rex per se nihil significat, in eo quod est sorex. idest, quatenus est pars huius dictionis sed solum dicitur vox, absque significatione vlla: licet possit habere aliquã significationem, aliter tamen sumptã. in duplicib. enim, supple, nominibus, idest, in nominibus compositis, pars significat quidem aliquid, sed nõ quatenus est pars, & secundum se, ut dictũ est supra in nominis declaratione. quare notandum est, quod non omnis additio facit orationem: ut in hac dictione homo, addendo dicens significabit verum uel falsum, sed de additione perfecta intelligendum est. ut homo docens doctus est. sed quoniam aliqui dixerunt orationem nõ significare secundum placitum, idcirco remouet errorem dicens: quod omnis oratio significatiua est secundum placitum sicut dictum est supra de nomine; non autẽ sicut instrumentum, scilicet, uirtutis naturalis, quia instrumenta virtutis interpretatiuæ sunt guttur, lingua, pulmo, quatuor dẽtes, &c. similia, quibus mediantibus formatur uox: sed oratio est effectus virtutis naturæ prolatus per dicta instrumenta. deinde quoniam intendit determinare de enuntiatione ipsa ideo subdit, quod non omnis oratio, est enunciatiua, sed solum in qua verum, vel falsum apparet, illa dicitur enunciatiua. nota acutissimam breuitatem Philosophi in his verbis, scilicet, quod non omnis oratio est enunciatiua; & quod oratio enunciatiua est illa in qua est verũ, vel falsum. subdit deinde separationem aliarum orationum dicens, quod, supple, verum & falsum non inest omnibus, supple, orationibus, ut deprecatio, idest, oratio deprecatiua est quidẽ oratio, sed non apparet ibi neque verum neque falsum. ostendit demum de qua est mentio in præsenti cum dicit, quod cæterę, supple, orationes relinquantur tanquam vanæ: quia considera tio de eis potius ad Rhetorem, & ad Poetam pertinent: sed enunciatiua, i. sed de enunciatiua oratione, ad pręsentem speculationem pertinet. Vbi notãdum est secundum Gra. quod, quia sciẽtia huius libri ordinatur ad scientiam posteriorum, quæ est de demonstratione, quæ generat scientiam veritatis. idcirco de enunciatiua solum agit, quæ est ueritatis significatiua.

Est autem vna prima oratio

enun-

enunciatiua affirmatio, deinde negatio, aliæ vero omnes coniunctione vna. Necesse est autem omnem enunciatiuam orationem, ex verbo esse, vel ex casu uerbi, &c.

Enũciationem supra definierat Philosophus, in præsenti vero contextu ponit diuisiones tres ipsius: quarũ prima est, quod, enunciatio quædam est una, & quædam est plures. Alia est diuisio, quod enunciationum alia est affirmatiua, & alia uegatiua, & quædam est vna simplex: quędam oratio coniunctione vna. d. ergo quod oratio enunciatiua vna est affirmatio, idest, enunciatiua affirmatiua: deinde negatio, idest, negatiua oratio. semper enim negatiuum posterius est affirmatiuo, & quædam aliæ sunt vna coniunctione, non autem simpliciter. manifestat deinde diuisiones cum subdit, dicens: quod necesse est, omnem orationem enunciatiuam constare ex verbo, aut ex casu verbi, quasi dicat, vel ex tempore præsenti, vel præterito, aut futuro. ratio autem huius est, quia licet ratio hominis. i. definitio, siue definitio alicuius alterius, sit oratio quædam, plurium nominum contentiua, vt dicendo in hac definitione hominis, animal rationale mortale, tamen non erit enunciatiua oratio, nisi addatur ei substantiuum verbum, est, vel fuit, vel erit: propterea quod enunciatio est verum, vel falsum significans. oportet igitur esse verbum in enunciatione: ut homo est animal rationale mortale. Potest quis dubitare quare facit Aristoteles mentionem de verbo, & non de nomine cum oratio constet ex nomine, & uerbo. Ad hoc respondetur, quoniam potest reperiri oratio siue nomine, sed non oratio sine uerbo, ut in hac propositione enunciatiua, currere est mouere. aut sic secundum Io. And. quia prædicatum est pars principalior in enunciatione, eo quòd est formale, & uerbum se tenet ex parte prędicati, cum sit nota, uel signum eorum, quę de altero prędicantur. idcirco facit mentionem potius de uerbo, quam de nomine, tanquam mentionem faciens de principaliori. deinde subdit de unitate, idest, quod definitio hominis, & alię faciunt unũ, non autem multa, & si sunt omnino unum, dicit esse alterius negocij; dicit igitur, quod unum quoddam est animal gressibile bipes, & non multa, quia enim sicut ex forma, & materia fit unum quoddam, ut inquit D. Thom. sic ex genere, & differentia ex quibus componitur definitio fit unum quoddam. quomodo autem fit hoc unum ad metaphisicum pertinet. subdit deinde quod nõ est, unum quoddam, eo quod partes eius proferuntur absque medio, idest absque coniunctione, ut patet animal gressibile bipes, uel quia sunt propinquę; propterea quod posset etiam proferri res, quæ non sunt vnum propinque; ut lapis ferrũ equus sed est purum, propter aliam causam, quę est alterius negocij sua consideratio, idest Metaphisici: eo quòd differentia, ut ibi patet, euenit generi per se non per accidens, tanquam ipsius generis determinatiua, per modum quo materia determinatur per formam, quia a materia, genus sumitur, & a forma sumitur differẽtia: exponit deinde primam diuisionem dicens, quod una oratio enunciatiua est illa quę unum significat, idest, quę significat tantum vnum prędicatum de uno subiecto, uel enunciatio simpliciter enim est, quę vna coniunctione est, non autem quia significet unum, vt homo est animal. plures uerò enunciatio est quæ significat plura, & non unum, siue coniunctè, siue in coniunctè. Vbi notandum est, quod enũciatio est plures, vel quia

plura

plura de pluribus prædicantur, ut in hoc exemplo, Plato Grammaticus albus, musicus, est logicus, Rhetoricus: vel quia unũ de pluribus prędicatur, ut Plato Grammaticus albus est homo, vel quia plura de uno coniunctè prędicantur, ut Plato est logicus musicus albus. correlarium concludit dicens quod nomẽ, & uerbum sunt sola dictio, & non enunciatio: quoniam nõ est dicere, (supple, sic proferentem nomen uel uerbum solum) sic aliquid significantem, idest enunciare aliquid. similiter qui profert uerbum, siue nomen sponte, siue interrogatus, nec verum, nec falsum enunciat. exponit deinde secũdam diuisionem cum subdit dicens, quod harum, supple, enunciationum, (in quibus unum dicitur de alio,) hęc quidem simplex dicitur enunciatio, quantum spectat ad affirmatiuã enunciationem: uel aliquid ab aliquo, supple, remouetur: quantum spectat ad enunciationem negatiuam. Sed hęc quę composita est ex his enunciationibus simplicibus, est iam sicut quædã oratio composita ex pluribus orationibus. Vbi notandum est quod sicuti di uiditur unum in simplex, & compositum in dictionibus, sic in enunciationibus quędã est una simplex, quando vnum de uno prædicatur, ut homo est animal, & quædam est una compositione, & coniunctione, ut cum plura subijciuntur, uel prędicantur, ut homo est animal gressibile bipes, quæ quidẽ plura tantum unum significant. exponit demum tertiam diuisionem dicẽs. quod simplex enunciatio est uox significatiua de eo quod est aliquid, quantũ ad affirmatiuam enunciationem: uel de eo quod non est, quantum ad negatiuam enunciationem. definitiuè dein de membra huius tertię diuisionis ma nifestat cum subdit: quod affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo, idest est enunciatio in qua aliquid affirmatiue prædicatur de aliquo, ut homo est animal. Negatio uero est enunciatio alicuius ab aliquo, idest enunciatio in qua aliquid remouetur ab aliquo, utputa subiectum a prædicato per negationem, ut homo non est lignum. Vbi notandum est quod affirmatio, & negatio dupliciter capi possunt. uno modo formaliter, & alio modo materialiter. Primo modo nempe formaliter, accipitur pro compositione affirmatiua p̃dicati cum subiecto: negatio uero pro compositione negatiua subiecti cum prędicato: & isto modo acceptę negatio, & affirmatio sunt differentiæ essentiales enunciationis. Secundo modo materialiter accipiuntur affirmatio ꝑ affirmatiua oratione, & negatio pro negatiua oratione: & hoc modo acceptę sunt species enunciationis, & sic capiuntur hoc in loco, a Philosopho. sed dubitaret aliquis contra hanc definitionem, quod hæc est negatiua homo non est animal, & tamen prædicatum non remouetur a subiecto cum sit impossibile, ut remoueatur animalitas ab homine, cum illam habeat. Ad qđ breuiter respondendum est, quod in ista propositione homo nõ est animal, licet prædicatum a subiecto non remoueatur secundum rem, tamen secundum modum enunciandi, scilicet, per negationem, remouetur, qua negatione ab ipso separari denotatur, & sic in definitione intelligitur.

Quoniam autem enunciare est, & quod est, nõ esse, & quod non est, nõ esse, & circa ea, quæ extra præsens, tempora sunt similiter, omne vtiq; contingit, quod quis affirmauerit; negare, & quod quis negauerit; affirmare. Quare manifestum est, quod omni affirmationi opposita est negatio,

negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio, & negatio opposita. Dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem æquiuocè, & quæcunque cętera talium contra Sophisticas determinauimus importunitates.

Supra diuisionem enunciationis po suerat, in præsenti uero contextu, ponit quatuor enunciandi modos. & primo ostendit quomodo enunciationes opponantur. dicit igitur quod, quia id quod est, potest dici quod non est, idest enunciari quod non sit, utputa si Plato currat, & dicatur quod non currat tunc erit primus modus: secundus modus est, quod potest dici quod non est esse: tertius modus enũciandi est quod potest dici quod est, esse; quartus & ultimus modus est, quod potest dici, qđ non est, non esse, & circa ea, quæ extra præsens, tempora sunt similiter, idest, similiter contingit dicere omnib. istis modis, in alijs temporibus, quæ sunt extra præsens tempus: uidelicet & in præterito, & in futuro, quia supra dixit enunciationem constare ex uerbo, vel ex casu uerbi; subdit dicens, contingit omne quod quis affirmauerit negare, quia ita est, ut diximus, & contingit omne quod quis negauerit affirmare. quare manifestum est, quod negatio est opposita omni affirmationi: & affirmatio est opposita omni negationi. huic autem eloquutioni nomen imponit cum subdit dicens, quod affirmatio cum opponitur negationi, & negatio affirmationi ita ut sint inter se oppositæ, appelletur hæc, cõtradictio, uel nominetur huiusmodi. unde dicit Ammonius quod in illis uerbis, & sit contradictio dat intelligere ipse imposuisse nomen contradictionis, huic, scilicet, affirmationi, & negationi. Diffinit deinde ipsam contradictionem, quæ est oppositio affirmationis, & negationis. Dicit igitur, dico autem opponi, per contradictionem, quod subintelligitur, eiusdem, supple, prædicati, de eodem, supple, subiecto, & supple dico opponi eiusdem prædicati, & subiecti; non æquiuoce, idest nõ solum secundum nomen, sed etiam eiusdem secundum rem. addit deinde & quæcũ que cętera talium, idest, & secundum alias cõditiones, oportet, ut sit eiusdẽ prædicati, & subiecti uniuoce, cõtra sophisticas importunitates, seu litigiosas determinauimus; scilicet in primo Elenchorum. Vnde notãdum est, secundum Gra. quod hic habentur tres conditiones quæ requiruntur ad uerã contradictionem: quarum una est idẽtitas prędicati: quia affirmatio & negatio de diuerso prędicato, sibi non contradicunt, sicut sunt Plato legit; Plato non amat. Secunda conditio est identitas subiecti, quia affirmatio & negatio de diuerso subiecto non faciunt contradictionem: ut Plato legit, & Socrates nõ legit. Tertia conditio est ideutitas non solum nominis, sed etiã rei. quare non est contradictio quando dicitur canis currit: canis nõ currit. si accipitur sub diuerso significato canis. primaq; conditio datur intelligi per hoc quod dicitur, eiusdem. Secunda uero datur intelligi per hoc quod dicitur; de eodẽ. Tertia datur intelligi per illud quod dicitur, nõ æquiuocè. Adest dubitatio secundum eundem circa textum, propterea quod non uidetur uerum quod id quod affirmatur, quod etiam possit negari, & econtra, quia uoces affirmatiue, uel negatiue sunt signa cõceptionum animæ. sed aliquid concipitur esse, quod non potest concipi non esse, ut patet de communibus principijs, ergo, &c. nam si quis corde concipit omne

ne totum maius esse sua parte, ita concipiet quod aliter concipere non potest, & per consequens non oppositū. non poterit igitur omne negari. Ad hoc dicendum, quod dupliciter intellectus concipere aliquid, contingit: vno modo contingit aliquid concipere sibi assentiendo, & hoc modo omne totum, concipit quod est maius sua parte. & quilibet hoc cōcipere potest: nec oppositum concipiet. Alio modo contingit aliquid concipere intellectus, sed non sibi assentiendo: sed cogitādo de ipso aliquo alio modo. Sicque non solum potest concipere, quod omne totum est maius sua parte. sed etiam quod omnis pars est maior suo toto. quoniam aliquis tunc potest cogitare de opposito. quanquam si non posset de opposito cogitari: non posset vlla ratio ad destructionem oppositi, cogitari. igitur manifestum, ac clarum est, quod simpliciter, & vniuersaliter omnia possunt voce non solum affirmari, sed etiam negari. item notandum secundum Burleum, quod non omnis affirmatio, & negatio eiusdem prædicati vniuoci, de eodem subiecto vniuoco opponuntur. sed requiritur necessario, quod pro eodem numero, seu ꝓ eodem omnino fiat affirmatio, & negatio: eiusdem prædicata de eodem subiecto: quoniam hæc duo non opponuntur animal est homo, pro Platone intelligendo. & hæc animal non est homo accipiendo pro Brunello. igitur oportet, ut de eodem subiecto, & de eodem prædicato fiat affirmatio, & negatio.

De Subiectis, & Prædicatis enunciationum de earum diuisione, & oppositione. Cap. V.

Quoniam autem sunt hæ quidem rerum vniuersales, illæ vero singulares: (Dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est; Singulare vero non, vt homo quidem vniuersalium est. Callias verò eorum quæ sunt singularia,) &c.

QVoniam de tribus propositionibus, seu de tribus modis propositionum debet agere Philosophus, nempe de propositione vniuersali, vt omnis homo est animal, quia est cum signo vniuersali, quod est omnis: & de propositione particulari, vt aliquis homo est iustus: & de propositione indifferenti, vt absque hisce signis, homo est albus: idcirco in præsenti contextu distinguit Aristoteles diuersas affirmationis & negationis oppositiones, vt quæ sit vera oppositio seu contradictio appareat. deinde ostendit quomodo opponantur enunciationes diuersimode secundum diuersitatem subiecti. agitque demum de indefinitarum oppositione. Quantum autem spectat ad primam partem īquit Philosophus. quod rerum quædam sunt vniuersalia, & quædam particularia, seu singularia. manifestat autem hęc membra per definitionem cum subdit dicens, dico autem illud, supple, dici vel esse vniuersale, quod aptum natum est prædicari de pluribꝰ, vt animal, de homine, leone, cane, & huiusmodi prædicatur. singulare vero est id, quod non est aptū natum prædicari de pluribus, sed de vno solo, vt Petrus. datq; & ipse exemplum. homo enim dicitur, vel prædicatur de pluribus, quia de Socrate, Platone, & Petro prædicatur. Callias vero, est de numero eorum quæ singularia, vel particularia dicuntur, & est vna oppositio. deinde subdit, necesse est quoque enunciare, quod inest aliquid, aut non, nempe aliquando alicui eorū


quæ vniuersalia sunt,& aliquãdo oportet enunciare alicui eorum,quæ singularia sunt,quasi dicat, quod aliquando enunciare debemus aliquid,idest,dicere sententiam affirmatiuam, vel negatiuam vniuersalem, vel singularem:vt homo est albus, vel homo nõ est albus quantum ad vniuersalem enunciationem,vel Plato est logicus, & Plato nõ est logicus quantum ad particularem oppositionem : vbi notandum est secũdum Gr.quod hic non describitur singulare taliter, quod intelligatur nomen alicuius singularis non posse pluribus conuenire: quia hoc est falsum cum plura singularia uno nomine vocentur, vt patet de hoc nomine Baptista. Sed describitur taliter,vt intelligatur quod ipsa res singularis nõ est pluribus communicabilis: quoniam res quæ est hic homo,non potest conuenire nisi huic homini. idcirco respondẽs Diuus Thomas ad hanc quæstionem, quòd plures possunt vocari hoc nomine Plato, vel Baptista, dicit quod Aristoteles, (& rectè) non diuisit nomina in vniuersale,& particulare, sed res diuisit. & ideo intelligendum est quod vniuersale non solum dicitur quando nomen potest de pluribus prædicari: sed etiam quando id quod significatur per nomen est natum in pluribus inueniri. hoc vero non contingit in nominibus,quia hoc nomen Baptista, vt inquit ipse,significat naturam humanam quæ est in hac materia, si vero imponatur alteri homini aliud significabit. deinde ostendit quomodo opponãtur dicens, quod si aliquis in vniuersali.i. de subiecto vniuersali, vniuersaliter enunciet, quod est, aut non est, tunc erunt enunciationes contrariæ, quasi dicat, si quis dicat sententiam vniuersalem, vt homo est rationalis, vniuersaliter,idest cum hoc signo,omnis,nullus, dicendo omnis homo est rationalis, vel nullus homo est rationalis, tũc dicentur hæ contrariæ, quia igitur cõtraria maximam distantiam requirunt ideo in enunciationibus illa est maxima distantia, quæ est inter vniuersalẽ affirmatiuam, & vniuersalem negatiuam: idcirco contrarie opponi dicuntur. deinde manifestat ipse exemplo dicens. Dico autem enunciare in vniuersali vniuersaliter, vt omnis homo est albus,nullus homo est albus,& hæc duo maxime distant inter se vniuersalis affirmatiua,& vniuersalis negatiua; vt patet ex primo Metaph. Notatione dignum est secundum Diuum Thomã, quod de vniuersali aliquid enunciatur quatuor modis. Primo modo potest vniuersale considerari quasi separatum à singularibus,siue per se subsistens,ut Plato posuit: siue secundum Auerrois sententiam secundum quod habet esse in intellectu. Secundo modo attribuitur vniuersali sic considerato,quod apprehenditur ab intellectu,vt vnum: tamen id quod ei attribuitur non pertinet ad actum intellectus; sed ad esse, quod habet natura apprehensa in rebus,quæ sunt extra animam:puta cum dicitur hominem esse dignissimum omnium creaturarum, quia conuenit naturæ humanæ, etiam secundum quod est in singularibus, quia de vnoquoq; homine hoc dici potest. Tertio modo attribuitur aliquid vniuersali prout est in singularibus, & hoc modo dupliciter quandoque ratione ipsius naturæ vniuersalis: puta cum attribuitur ei aliquid,quod ad essentiam eius pertinet,vt cum dicitur homo est animal, aut homo est risibilis. Quandoque attribuitur ei aliquid ratione singularis in quo inuenitur: vt cum attribuitur ei aliquid quod pertinet ad actionem indiuidui: vt cum dicitur homo ambulat: iungitur tunc officio particularis. De oppositione indefinitarum agit cũ subdit dicens:quando autem in vniuersalibus, idest de vniuersalibus subiectis,

ctis, sed non vniuersaliter sumptæ. i. absque signo vniuersali, vt homo est albus, & homo non est albus, tunc non sunt contrariæ, sed subcontrariæ, idest aliquo modo contrariæ sunt, sed non omnino: quæ autem significantur, supple, res, aliquando contrariæ sunt, in aliqua materia. hoc dico cũ non enunciantur vniuersaliter, idest cum signo, quæ tamen res vniuersales sunt: vt homo est albus, & homo non est albus. homo enim est vniuersale, tamen non vtitur enũciatione vniuersaliter, quia non additur signum vniuersale. Illud signum omnis non est vniuersale, idest non significat aliquam naturam vniuersalem: sed consignificat. quoniam illud quod additur ei sumitur vniuersaliter. Vbi notandum secundum Gr. quod indefinita affirmatiua, & indefinita negatiua dicuntur pro tanto subcõtrariæ quia continentur sub ipsis vniuersalibus: quæ sunt contrariæ. ratio autem est, quia indefinita affirmatiua sub vniuersali affirmatiua continetur, & indefinita negatiua, sub vniuersali negatiua continetur.

In eo verò quod prædicatur vniuersale, id quod est vniuersaliter prædicare, non est verũ; nulla enim affirmatio vera erit, in qua vniuersale sit prædicatũ, vniuersaliter prædicatur, vt est omnis homo omne animal. Opponi autem affirmationem, negationi, dico contradictoriè, quę vniuersaliter significat idẽ, quod non vniuersaliter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est. nullus homo albus est, aliquis homo albus est. Contrariè verò uniuersalem affirmatiuam, & uniuersalem negationem, ut omnis homo iustus est, nullus homo iustus est.

Remouet Aristoteles quoddam dubium in præsentia: quoniam dixit in præsenti diuersificantur inter se hæc, quod vniuersale sumitur vniuersaliter & non vniuersaliter. Deinde determinat de oppositione vniuersalium cum particularibus enunciationibus. Dicit ergo primũ, quod in eo quod aliquod vniuersale prædicatur, non est verum id prædicari, quod est vniuersale vniuersaliter, quasi dicat, in eo quod prædicatur aliquod vniuersale non est verum, quod vniuersale prædicatur vniuersaliter, uel sic dicatur (& melius) cum uniuersaliter enunciamus; est adijciendũ signum, omnis, subiecto, enũciationis vniuersalis. quare uerũ non est uniuersale uniuersaliter prędicari, vel esse prædicato adiunctum, sed subiecto: & ratio est, quia nulla affirmatio vera erit, in qua de vniuersali prædicatum vniuersaliter prædicetur: sicut nõ est verum, immo falsum dicere quod omnis homo est omne animal, quasi dicat, quod nulla affirmatio est vera de vniuersali prædicato: in qua ipsum prędicatum prædicatur vniuersaliter, id est cũ signo vniuersali, vt patet in ista propositione, quæ habet prædicatum cũ signo vniuersali: nempe omnis homo est omne animal. Deinde ad secundam transit positionem; vt primum dicebamus, dicens: quod affirmatio quæ significat uniuersaliter, idest propositio affirmatiua vniuersalis, opponitur ei contradictorie quę est negatiua non uniuersaliter: ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est. nullus homo albus est, aliquis homo albus est. Contrariæ autem sunt uniuersales affirmatiue, & uniuersales negatiue: ut

omnis homo est iustus, nullus homo est iustus. Notandū ergo est, quod tunc est contrarietas cum ambæ propositiones sunt uniuersales uniuersaliter, & una est affirmatiua, & alia negatiua. Subcontrariæ uerò sunt cum duæ propositiones particulares sunt una est affirmatiua altera negatiua. Exemplū primi, omnis homo est alb⁹, nullus homo est albus. Exemplum secundi aliquis homo est albus, aliquis homo nō est albus. Contradictoriç sunt quotiescunque inueniūtur duæ propositiones una uniuersalis affirmatiua, & alia particularis negatiua, uel una uniuersalis negatiua, alia uerò particularis affirmatiua. Exēplum primi omnis homo est iustus, quidam homo nō est iustus. Exemplum secundi, Nullus homo est iustus, aliquis homo est iustus. dantur & aliæ oppositiones quæ dicuntur subalternæ, quarum una propositio est uniuersalis affirmatiua, & alia particularis affirmatiua, uel una uniuersalis negatiua, & alia particularis negatiua. Exemplum primi omnis homo est iustus. aliquis homo est iustus. Exemplum secundi, nullus homo est iustus; aliquis homo non est iustus: hęc omnia patent in hac Figura.



Secundo notandum est, quòd lex harum oppositionum est, quod cōtrariæ nunquam possunt esse simul ueræ, sed possunt esse simul falsæ. Subcontrariç possunt esse simul ueræ, sed nunquā simul falsæ. Subalternæ si uniuersalis est uera, & particularis est uera. & ecōtra si est particularis falsa, & uniuersalis quoque. Contradictoriæ uerò nunquā possunt esse simul ueræ, uel simul falsæ; ut omnis homo est animal, aliquis homo non est animal. In secundo hæc uidebimus, sat est pro nunc.

De regulis oppositarum Enunciationum. Cap. VI.

Quocirca has quidē impossibile est simul esse veras; his verò oppositas contingit aliquando in eodem simul esse veras, vt non omnis homo albus est, & aliquis homo albus est. Quæcunq; igitur contradictiones vniuersalium sunt vniuersaliter, necesse est alteram esse veram, uel falsam; & quæcunque in singularibus sunt, vt est Socrates albus, non est Socrates albus. Quæcunque autem in vniuersalibus quidem, non vniuersaliter autem, non semꝑ hęc quidem vera est, illa verò falsa est; simul enim verum est dicere, quod est homo albus, & qđ non est homo albus, &c.

Ex dictis infert Aristoteles quatuor regulas. Prima est, quod duę orationes contrariæ non possunt esse simul uerę. Subcontrariæ uero possunt esse simul uerę. Tertia regula, quod contradictoriarum altera est uera, & altera est falsa. Quarta & ultima regula est, quod quę affirmationes, & negationes sunt uniuersalium non uniuersaliter, non semper earum una est uera, altera autem falsa. Istud igitur caput tres habet partes, prima continet has regulas; secunda, dubium & dilutionem; tertia, epilogum. Dicit igitur primum, quasi concludens circa dicta; quocirca has, supple, contrarias, quæ sunt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus, impossibile est simul esse ueras, idest, quod ambæ sint ueræ simul; sed si una est uera necesse est, ut altera sit falsa: & est prima regula. Secunda uero est, cū dicit, his uero oppositas, idest quę sūt oppositæ contrarijs, quæ uocantur subcontrarię, quandoque de eadem re sūt ueræ, ut quidam homo est albus, & nō omnis homo est alb⁹; quę sunt uniuersalibus affirmationi, & negationi eiusdem de eodem oppositæ. Tertia regula est, quod quæcunque sunt contradictoriæ oppositæ, idest uniuersales cum signo uniuersali, omnis, nullus, necesse est, cum opposita sunt his quæ nō uniuersaliter sunt uniuersales, alterā ueram esse, & alteram falsam, ut omnis homo est albus, homo est albus. idem est iudiciū de iis quæ factæ sunt in singularibus, ut Socrates est albus, & Socrates nō est albus. Quarta regula est, quod quę affirmationes, & negationes sunt uniuersalium non uniuersaliter, hoc est, absque signo uniuersali, non semper hæc quidē, idest una est uera, altera uero falsa: sed aliquando cōtingit, ut sint simul ueræ, ut hæ duæ sunt, homo est albus, non est homo albus, & hæ duæ quoque erūt ueræ, est hpmo pulcher, nō est homo pulcher: quoniā fieri potest, ut sit aliquis pulcher & aliquis turpis: at consequitur est hō pulcher igitur non est turpis. hæ duæ supradictæ etiā potest fieri, vt sint simul veræ, vt est homo albus, & non est homo albus. at consequitur, fit homo albus, igitur non est homo albus: quoniā si fit albus, nondum est albus. Contingit igitur ambas esse veras. deinde ponit dubitationem dicens, videbitur autem illicò esse inconueniens, has duas esse simul veras, est homo albus, & nō est homo albus; ob id, videlicet, quia hęc propositio, non est homo albus: ac perinde significare videtē, vt hæc alia, nullus homo est albus. sed est homo albus, & nullus homo est albus, impossibile est, vt sint simul veræ igitur: & hæ

duæ

duæ non erunt simul veræ, est homo albus, non est homo albus: Dilutio autē patet cum dicit non est idem, vel non idem significat ista propositio nullus homo est albus, atque significat ista, non est homo albus. igitur illæ duæ ex necessitate sunt simul, quia una significat remotionem vniuersalē, vt nullus homo est albus, alia significat remotionem indefinitam, vt non est homo albus: non sunt enim simul; quia nō oportet quod si hæc sit vera homo non est albus: quod statim sit & hæc, quod nullus homo est albus. Circa autem textū quædam sunt notāda & primum, secundum Ioā And quod subcontrariæ possunt intelligi dupliciter esse oppositæ contrarijs. vno modo comparādo particularem ad suam vniuersalem, vt omnis homo est albus, quidā homo est albus: hæc enim opponuntur sicut particulare & vniuersale, idest, secundum modum essendi. Alio modo comparando unam particularem ad vniuersalē contrariam suæ vniuersalis: sic autem opponuntur contradictoriæ, vt omnis homo est albus; aliquis homo non est albus: null⁹ homo est albus; aliquis homo est albus. Secundo notandum est, quod licet in nulla materia contraria possint esse vera simul; propterea quod circa idem contraria non compatiuntur. possunt tamen in contingenti materia cōtrariæ enunciationes simul esse falsæ, vt sunt simul falsæ hæ duæ enūciationes, omnis homo est albus, null⁹ homo est albus. ratio vero sumitur ex contrariorum conditione: quoniā non est necessarium, vt cuicunque nō inest vnum cōtrariorum: ei insit reliquum. quia igitur contraria nō possunt simul inesse eidē: & possunt eidem simul non inesse: conuenienter contrariæ enūciationes, non possunt simul esse veræ: sed bene falsæ, vel sic dicatur quod nunq̄ possunt esse simul veræ, quia idem affirmatur & negatur de eodē, s. subiecto. quod est impossibile. Sed dubitaret aliquis quod omnia cōtraria, sunt formæ actiuæ & passiuæ, sed propositiones nūquam actiuæ vel passiuæ sunt, eo quod non agunt neque patiuntur: igitur, nulla est contrarietas. Secundo sic omnis homo currit, & nullus hō currit possunt esse simul veræ, cum nsic quælibet harum sit in potentia ad veritatē consequendam. ergo, contra. Ad primam rationem breuiter respondendum est, quòd quamuis contraria incomplexa sint formæ actiuæ & passiuę: non tamē cōtraria complexa, vt de hisce agit in præsenti Aristoteles. Ad secundam verò rationem respondetur, quod hæc, simul veræ, dupliciter potest considerari, vel vt refertur ad possunt simul verificari; & erit sensus iste, quod simul habent potentiam, vt sint veræ: & hoc modo est vera. Alio modo refertur ad esse veræ, & sic est falsa: sensus huius erit iste, quod contrariæ possunt simul esse veræ, & erit hæc dictio simul in tēpore præsenti: igitur erit impossibile, vt apparet ex dictis.

Manifestum est autem, quod una negatio, unius affirmationis erit; hoc enim idem oportet negare negationem; quod affirmatio affirmauit, & ab eodem, uel ab aliquo singulariū, uel ab aliquo uniuersalium, ut uniuersaliter, uel ut nō uniuersaliter, &c.

Supra posuerat Philosophus diuersos modos oppositionum in orationibus, siue enunciationibus: nunc ostendit quod uni affirmationi una negatio opposita est: in præsenti contextu duo facit, primo, facit quod dictum est; deinde epilogat, in sequenti uero capitulo ostendit, quæ sit vna affirmatio, & q̄ vna negatio. Dicit igitur primum, manife-

nifestū esse, quod vna negatio est contraria uni affirmationi: (quia oportet illud idem negationem negare, quod affirmatio affirmat.) hoc idem patefacit ratione, & exemplo, dicēs: hoc idē, supple, prædicatum, & de eodem, supple, subiecto, oportet vt negatio neget, quod affirmauit affirmatio: si oppositionem inter se habere debeant. & hoc debet seruari (scilicet quod negatio neget, qđ affirmatio affirmauit,) siue fiant orationes, vel enunciationes de aliquo singularium, vel de aliquo vniuersalium, vt vniuersaliter, i. siue illud idem fit cum nota vniuersali, vel non ut vniuersaliter, i. non cū nota vniuersali. per exempla manifestat, cum subdit, dicens: Dico autem, vt est Socrates albus, Socrates non est albus, hoc est idem de eodem opponere, seu hæc est oppositio. Si autē aliud, supple, prædicatum est, vel aliquid de alio subiecto, non est opposita, i. non est oppositio, sed dicitur esse ab eo diuersum, q. d. si negatio negaret aliud de eodem, vel idem de alio, talis negatio opposita non esset illi affirmationi, sed diceret diuersa. Similiter huic affirmationi idem contingeret, quę affirmatio talis est, omnis homo albus est: opposita est illa quæ dicit, non omnis homo albus est. illi verò, supple, affirmationi quæ dicit, est homo albus, quæ est propositio indefinita; habet hanc pro sua opposita, nō est homo albus. epilogat deinde quæ supra dicta sunt, dicens: ꝙ igitur vna affirmatio, vni negationi opponitur, supple, manifestum est. & supple, quod enunciationum quædam sunt cōtradictoriæ, & quæ sunt hæ supple, contradictorię dictum est. Et dictū quoque est, quæ sint illæ quæ contrarię sunt. Declaratum etiam est, quod non omnis contradictio, seu oppositio, est vera, vel falsa: & quare nō est vera, vel falsa: declaratumq; est, quando est vera, & quando est falsa. Vbi notandum, pro nunc, vt etiam diximus quod in cōtradictione semper vna est vera, & altera falsa: sed in indefinitis possunt ambæ esse simul veræ: in contrarijs vero possunt esse simul falsæ saltem in parte, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus.

De Affirmatione, & negatione vna. Cap. VII.

Vna autem affirmatio, & negatio est, quæ vnum de vno significat, vel cum sit uniuersale vniuersaliter, vel non similiter; vt omnis homo albus est, non omnis homo albus est; est homo albus, non est homo albus; nullus homo albus est, aliquis homo albus est; si album unum significat. Si verò duobus unū nomen positum est, ex quibus non est unum; non est una affirmatio; neque una negatio, &c.

IN præsenti capitulo definitionem vnius affirmationis, & unius negationis, & unū correlariū ponit Arist. s. quæ sit una affirmatio, & quæ sit una negatio: sed ne uideat Aristotelē fuisse superuacaneum, eo quod supra ostēdit, quod enunciatio vna est illa quæ vnum de uno significat: (tamen subiunxit postea quod cōtingit enunciare de singulari quod est vere unum: & etiam de vniuersali, quæ sub se multa continet.) idcirco in præsenti intendit demonstrare iterum quid sit enunciatio vna: vel quæ sit affirmatio, & negatio vna: dicit ergo primum: quod vna affirmatio, & vna negatio, est illa quæ significat unum de vno, quasi dicat,

cat,& non vnum de pluribus,ut faciũt æquiuoca. siue vniuersale subiectum sumatur in enũciatione vniuersaliter, siue non sumatur vniuersaliter, similiter est:hoc est,idem erit iudicium.probat ac manifestat exemplis dicens, vt omnis homo albus est, homo non omnis, idest quidam homo albus est, quantum spectat ad uniuersalia vniuersaliter sumpta: & hæc dicitur esse vna contrarietas, non autem plures. est homo albus, non est homo albus, quantum spectat ad propositiones indefinitas. nullus homo albus est, aliqs homo albus est: quantum spectat ad cõtradictorias enunciationes, seu orationes. si tamen album unum significat. quoniam hæc conditio requiritur ad hoc, ut quælibet illarum enunciationum dicatur una. Vbi notatione dignum est, quod terminus vniuersalis non impedit ad hoc,ut aliquid dicatur vnum,licet sub se multa continet supposita ut facit iste terminus omnis homo, & nullus. sed impedit multitudo significatorum unitatem enunciationis, ut sunt termini æquiuoci. in quibus multa latent significata, ut canis. Sed homo,& album, nõ multitudinẽ significatorum,sed suppositorum multitudinem denotant. deinde declarat quæ non dicuntur unum. dicens. si duobus, idest, si duabus rebus vnum nomen positum est; ita ut duæ res vnũ nomen habeãt solum, ex illis non erit vnum,supple,subiectum;& per consequens non est una affirmatio, neq; una negatio,uerbi gratia,si quis ponat hoc nomen,tunica, & homini, & equo,ita quod & equus dicatur siue nominetur tunica, dicendo quod tunica est alba, non erit una affirmatio, neque vna negatio,dicendo,nõ est alba tunica;quoniam possunt intelligere tam de homine, quam de equo: nihil enim est hoc, supple, dicere, quam quod homo, & equus simul est albus,quæ quidem res, vna potest esse naturaliter nigra, & alia alba. igitur si hæ significãt multa, idest, si hæ dictiones multa habent, significata,per consequẽs erunt plures, supple, enunciationes, seu orationes, non autem una.manifestum igitur est, quod & prima, idest, tunica est alba, uel significat multa, ut hominem, & equum,uel nihil,quia si iungantur homo & equ⁹ fit nihil.Nihil enim est homo equus, ut ipse demonstrat dicens neque enim est aliquid homo equus, idest non faciunt vnum aliquid; quoniam ergo ipsa tunica significabit multa,non unam enunciationem significabit. Correlarium ponit dicens. quare nec in his, supple, ęquiuocis enunciationibus necesse est alteram partem esse ueram,& alteram esse falsam.propterea quod potest esse vtraque uera quemadmodum uerę sunt simul hæ duę orationes: homo est albus. equus non est albus; ita uerę possunt quoque esse hę,tunica est alba, & tunica nõ est alba, eo quòd, & hominem, & equum significat. Dubitabit forte aliquis, an enunciatio in qua subijcitur uniuersale uniuersaliter sumptum sit enunciatio una,& uidetur quod non, quia Plato currit, Cicero currit, fortes currit, & similia, non unam faciunt siue ponunt enunciationem,sed multas:& hæ omnes comprehenduntur in hac enunciatione omnis homo currit, in qua est vniuersale uniuersaliter sumptum. igitur,&c, Ad quod argumentum breuiter respondendum est secundũ Gra. quod ista enunciatio,omnis homo currit, licet multas enunciationes cõprẽhendat particulares: tamen quia subiecta earum sub vno vniuntur subiecto,non solum uocaliter, sed etiã realiter, scilicet, in natura hominis, non est enunciatio plures, sed una. Isdem dubitat utrum enunciatio in qua subijcitur uniuersale genus, sit enunciatio una: quia uniuersale in specie est uuũ,

ut

ut patet de homine; sed de animali nō sic est: namque genus non significat naturam unam; ut facit species. igitur enunciatio ubi subijcitur uniuersale genus non est una sed plures, eo quòd plura significat ut patet. Ad quod dicēdum, quod licet genus habeat ī re plurimas naturas: non tamen exprimit eas nomine suo, nisi sub vna ratione generali.

Quo pacto in futuris contingētibus contradictionis Regula veritatem habeat. Cap. VIII.

In ijs ergo, quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem, vel negationem veram esse, vel falsam: Et in vniuersalibus quidem, vt vniuersaliter, semper hanc quidem veram, illam verò falsam esse, & in ijs, quæ singularia sunt, quemadmodum dictum est. In vniuersalibus autem quæ non vniuersaliter dictæ sunt, non necesse est. dictum est autem, & de his. In singularibus verò, & futuris, non similiter. Nam si omnis affirmatio, & negatio uera, uel falsa est, & omne necesse est esse, uel non esse, &c.

Quoniam supra egit Philosophus de enunciationibus, quæ constituuntur in tempore præsenti, & in præterito, dicendo, necessarium esse alteram enunciationum, siue affirmatiua, siue negatiua sit, esse veram, uel falsam, præterquam in vniuersalibus absque nota, seu signo; nunc hanc eandem conclusionem elicit. deinde de futuris contingentibus aliam esse rationem significat. Pro quo notandum est, quod contingens dicitur tripliciter, quia est contingens vt in pluribus, vt canescere in senectute hominem. est etiam cōtingens ad vtrumlibet: sicut Platonē currere, & est contingens in paucioribus, sicut quod fodiens agrum, thesaurum inueniat: & hoc a casu, & a fortuna euenit: ut patet secundo Phisicorū. de contingente ut in pluribus non mētionem fecit Aristoteles, quia tale contingens non tollit quin possimus dicere determinate alteram partem esse veram: alteram falsam; qm̄ medicus cū dicit ille sanabitur verū dicit: licet possit sanitas impediri ab aliquo alio accidente. de contingente autem in paucioribus egit, cum de ijs, quæ a casu eueniunt, dicendo esse de numero eorum, quæ paucioribus contingunt. Secundo notandum quod id dicitur alicui contingenter euenire, quod potest etiam aliter se habere, cū non habeat repugnantiam permanentem, seu naturalem, uerbi gratia; albedo in homine, seu nigredo, potest adesse, & abesse successiue secundum aptitudinem. Tertio notandum, quod materia propositionum seu enunciationum triplex est scilicet naturalis, contingens, & remota. Naturalis est illa, in qua prædicatū est de essentia subiecti, aut proprium eius, ut omnis homo est animal, uel omnis homo est risibilis. hoc est proprium, illud uero naturale homini. Contingens materia est illa, in qua p̄dicatum potest adesse, & abesse, præter subiecti corruptionem, ut omnis homo est albus, omnis homo non est albus. Remota materia est illa, in qua subiectum, non conuenit cum prædicato: vt omnis homo est asinus, omne

lignum est lapis:his ergo stantibus inquit Philosophus proponēs dissimilitudinem,quod in his quæ sunt, idest de enunciationibus in tempore præsenti,ut omnis homo est albus, & quæ facta sunt,idest de propositionibus in tēpore præsenti,& præterito,necesse est, veram uel falsam esse orationem affirmatiuam,uel negatiuam,uerbi gratia, hæduæ propositiones sunt in tempore præsenti omnis homo est albus,nullus homo est albus, ex dictis igitur Philosophi necesse est harum duarum vnam esse ueram, & alteram falsam. hoc sit causa exempli. in tempore præterito eadem est ratio, & hęc uera sententia Aristot. in hoc loco. sed diuersimode secundum diuersam quantitatē enunciationis, quia qñ ī uniuersalibus uniuersaliter, idest de subiectis vniuersalibus aliqd uniuersaliter pręd icaī sem per necesse est hanc esse ueram, illam vero falsam,idest affirmatiuam, uel negatiuam, & similiter in his quæ sunt singularia,quemadmodum dictum est; videlicet quantum ad ea, quæ sunt de præsenti tempore, & quantum ad ea quæ facta sunt, de tempore præterito, necesse est unam esse ueram, alteram vero falsam. sed in his uniuersalibus, que non uniuersaliter dictę sunt, quæ non sumuntur uniuersaliter, hoc est, cum signo, seu nota uniuersali: nō est necesse alteram esse ueram,alteram esse falsam:dictum enim est, & de his, s. quod potest esse simul utraque uera. sed in singularibus, & in futuris non eodem modo se habet. Quare circa hoc notandum est ut Gr. notat, quod in terminis vniuersalibus sumptis uniuersaliter, in quacunque materia orationes fiant,seu enunciationes, siue in naturali,siue in remota, siue in contingente,siue de preterito,siue de futuro, siue de præsenti, altera pars enunciationis est uera, & altera determinatè falsa. quoniam in materia naturali affirmatiua est uera, & negatiua est falsa. In materia autem remota, econtra se habet,affirmatiua est falsa, & negatiua est uera. In materia uero contingente, particularis est uera: uniuersalis vero falsa est, ita ut quomodocunque tempore fiant istę enunciationes semper vna pars est vera, & altera falsa.probat deinde hanc dissimilitudinē, ducendo ad quædam inconuenientia, vsque in finem, hoc pacto, scilicet, si omnis affirmatio, uel negatio,uera est vel falsa in futuris contingentibus, & singularibus, quemadmodum in alijs euenit,ut supra dictum est; necesse est omnia euenire ex necessitate: sed consequens est falsum: ergo & antecedēs, & hoc est quod dicit, si omnis affirmatio aut negatio, supple, est uera determinate,& determinate falsa; sic in singularibus futuris, ut in alijs, sequitur quod & omne necesse est esse, uel non esse, & per consequens nihil erit contingens, ut si dicatur Socrates erit albus,uel Socrates non erit albus. patefacit hanc rationem, quæ ducit ad inconueniens cum subdit dicens si hic dicat esse futurum aliquid: alter uero non futurum, idest, neget hoc ipsum non esse futurum,verbi gratia,vnus dicat Plato erit albus, alter autem econtra non erit albus: manifestum est, necessarium esse, alterum ipsorum dicere uerum,si omnis affirmatio,uel negatio,uera est, uel falsa, quia in talibus obiectionibus non sunt simul uerę:sed tantum alterum ipsorum: namque si est uerum dicere,quod album,supple, erit,uel dicere non album: necesse est, quod sit album, uel quod non sit albū, & si est album, uel non album, uerum erat affirmare, uel negare, & si non est album, falsum dicit, qui affirmat,& si falsum dicit non est. quare necesse est semper determinatè affirmationem, vel negationem uerā esse, uel falsam. Ex quo concludit, dicens nihil igitur

neque

neque est, neque fit, nec à fortuna, supple, fit aliquid, nec vtrumlibet contingit, idest nec aliquid est contingens, vel potest esse, vel non esse, sed omnia ex necessitate, & non vtrumlibet contingit, idest non est contingens: quoniam necesse est esse, quod qui dicit verus est, idest, qui affirmat, aut qui negat secundum positionem istam, vt quidã volebant: namque si alter non esset verus determinatè similiter, tunc vel fieret, vel non fieret: neque esset determinatum alterum istorum: propterea qđ, id quod est ad vtrumlibet, non est magis sic, quam sic, quasi dicat, non se habet magis circa esse, quam circa non esse: nec se habebit. hic autem est aduertendum Aristotelẽ loquutum fuisse, & loqui in alijs contextibus secundum mentem aliquorum.

Amplius autem, si est album nunc; verum erat dicere prius, quod erit album, quare semper fuit verum dicere quodlibet eorum, quæ facta sunt, quod est, vel erit. Si autem semper verum fuit dicere quod est, vel erit; non potest hoc non esse, vel non futurum esse, quod autem non potest non fieri, impossibile est non fieri, & quod impossibile est non fieri necesse est fieri: omnia igitur quæ futura sunt, necesse est fieri. Nihil igitur vtrumlibet contingit, neque a fortuna erit; nam, si a fortuna; non ex necessitate, &c.

Ponit secundam rationem ad idem ostendendum in præsenti cõtextu, quæ quasi in idem reddit: deinde vnã obiectionem, duabus rationibus probat id qđ dicit. Dicit igitur: Amplius, supple, si in oĩbus orationibus est altera determinatè vera; tunc si est albũ nũc, scilicet, quod non erat; verum erat dicere determinatè antequam esset, qđ album erit. idcirco quia non est magis ratio de tempore præterito, & propinquo quam remoto, subdit dicens: semper de quolibet eorum, quæ facta sunt antequam essent; verum erat dicere, quod erit, & si semper fuit verum dicere quod est, vel erit, non potest hoc nõ esse, scilicet præsens; vel non futurum esse. namque id quod non potest non fieri, impossibile est non fieri: & illud quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. ergo omnia quæ futura sunt, necesse est fieri, & per consequens, nihil est ad vtrumlibet, neq; à casu: quia illud quod est a casu, non cuenit ex necessitate. vbi notandum quod licet Aristoteles nitẽ probare hanc falsam cõsequentiam, scilicet, omnia fieri, vel esse ex necessitate: tamen hoc facit, vt manifestius ostendat falsum. ponit deinde dubitationem cum subdit dicẽs: at vero sicut, supple, non est verum dicere, quod in talibus sit uerum determinate alterum oppositorum: sic nec contingit dicere, quoniam est, neque non est; ita quod neutrum sit verum, aut falsum, utputa non est uerum dicere de aliquo quod nec erit, nec nõ erit: ita ut quod tam qui affirmat, quam qui negat falsum dicat. probat autem hoc duabus rationibus: & prima est hæc, primum enim cum affirmatio sit falsa; & negatio quoque falsa erit, & cum hæc. s. negatio falsa sit, contingit affirmationem esse falsam, & non ueram, quæ quidem consequentia est inconueniens, quæ ex illa positione sequitur. igitur ipsa est impossibilis. circa hoc autem notandum est, scilicet, rationem esse hanc. affirmatio & negatio: verum & falsum diuidunt, ut patet ex definitione & falsi: quoniam uerum

est: uel non esse quod non est: falsum autem non esse, quod est, uel esse quod non est: affirmatio, & negatio hoc modo diuidunt uerum, & falsum, scilicet, quod si affirmatio est vera, negatio est falsa: uel econtra, si negatio est uera, affirmatio est falsa, sed secundum dictam positionem, tollitur hoc, ergo impossibilis est. Secundam rationem ponit cum subdit dicens, & ad hæc, si est verum dicere, quod aliquid est simul album, & magnum; oportet in re esse vtrunque, & si est verum dicere, quod erit cras: quod sit quoque cras oportet. igitur si dicta positio est vera, verũ erit dicere de quolibet futuro quod neque erit, neque non erit. hoc ergo stante tollitur contingens, eo quod tale cõtingens potest fieri, & non fieri. Sed tã fieri quam nõ fieri dicta positio tollit, quia si non est uerum dicere quod nauale bellum erit: neque quod non erit, oportebit ipsum nec fieri, nec non fieri. neque per consequens erit contingens ad utrumlibet, quod est falsum. necesse igitur est dicere, quod in singularibus, & futuris, non desit omnino veritas, ad vtranq; partem, supple, oppositorum, & hoc est quod dicit, oportet enim neque fieri bellum nauale, neque non fieri.

Quæ ergo contingũt inconuenientia hęc sunt, & huiusmodi alia, siquidem omnis affirmationis, & negationis, aut in uniuersalibus dictis, ut uniuersaliter, uel in ijs, quæ sunt singularia, necesse est oppositarũ, hãc quidem uerã esse illam uero falsam. Nihil autem utrumlibet contingit esse in ijs, quæ fiunt, sed omnia esse, & fieri ex necessitate. Quare neque consultare oportebit, neq; negotiari, &c.

Dubitationem obiectionis ponit Philosophus: nempe declarans inconuenientia, quæ deduxit impossibilia esse. deinde probat illa sequi: & etiam licet nullus prædixisset. Primum igitur hoc est, quod nititur diluere dicens, quod hæc sunt inconuenientia, & alia huiusmodi, si omnis affirmationis, & negationis oppositarum enunciationum, dicatur hanc determinatè ueram esse, illam uero falsam esse, quæ contingunt, idest, sequuntur, quasi dicat, si omnis affirmationis, & negationis oppositarum orationum necesse est hanc esse ueram, illam uero falsam determinatè, ut in uniuersalibus uniuersaliter dictis, sic & in his quæ singularia sunt, scilicet, enunciationibus, idest, ita in singularibus enunciationibus, sicut in his quæ sunt vniuersalia vniuersaliter dicta, idest subiecta, si igitur inquã ita est ut ponebat illa positio, & opinio, hæc sunt inconueniéntia, quæ sequuntur, vel contingunt: scilicet, quæ dicta sunt, & huiusmodi alia quæ dicũtur. sequitur deinde, quia nihil contingit esse ad utrumlibet in ijs, quæ fiunt: sed omnia oportere esse, aut nõ esse, ex necessitate, quod supra ostensum est, demonstrat inconuenientia cum subdit, quod si hoc est, non oportebit consultare, ecce primum inconueniens, neque negotiari, puta si hoc facimus erit hoc, si uero non hoc facimus, non erit hoc, quod est secundum inconueniens. ubi notandum est, ut etiam in rhetoricis adnotauimus, quod de rebus quę fiunt ex necessitate non est cõsultandum, ut de sempiternis, uel an Deus pluet nec ne: Sed solum de contingentibus, quæ possunt esse, & non esse est consultatio, utputa de aggregatione nummorum, quod finis est negotiationis, quod si omnia eueniunt ex necessi-

necessitate, ut ponebat illa positio, frustra fit consultatio, & negociatio: neq; diceremus si hoc fit, erit hoc, et si non, non erit hoc; sed euenirent omnia ex necessitate: probat deinde sequi prædicta inconuenientia dicēs, quod nihil prohibet hunc quidem dicere, uel aliquē, in annum decies millesimum, esse futurum: hunc uero non, sed negare nō esse futurum. Quare si semper in omnibus orationibus est altera pars uera determinatè: ex necessitate etiam erit, aut fiet, quodlibet eorum, quod tunc per tempus illud ante erat uerum dicere: & per consequens siue ipso negotiamur, siue consiliamur de ipso, aut non, eueniet id quod euenire debet. Frustra ergo cōsultatio. Hic autē erit notatione dignum, quod si aliquis dicat aliquid esse futurum, & tamen potest id non euenire, & ponatur quod nō eueniat: hoc posito, dico quod oportet illum falsum dixisse. Si uero ponatur non falsum se dixisse; sed determinatè uerum, oportet euenire, quod dixit futurum esse. Manifestat deinde hoc inconueniens sequi, licet etiam non ponatur, qđ aliquis prædicat futura euenire ante tempus: cum subdit dicens. at uero nihil hoc differt, idest nihil differt ad propositum, si aliquis dixerit affirmationem, aut negationem, vel non dixerit, antequam res fiant, & ratio est. quoniam patet quod res sic se habent: siue aliquis affirmauerit aliqd esse futurum; ille uero negauerit esse futurum, ut in millesimum annum magis, quam in quantolibet alio tempore quasi dicat, quia non differt quod prius fuerit affirmatum, uel negatum in tempore remoto, quam ī propinquo. ideo subdit quare, si supple, ueritas, & falsitas enūciationum, sic se habebat, ut alterum uerè diceretur, idest, ut altera pars enunciationum vera esset, necesse erat ut fieret, sequitur, & uniuersaliter unumquodque eorum quæ fiunt, ex necessitate fiant: nanque si quis dixit, quod aliquid erit uerè, non potest non fieri, i. oportet, ut sit, & illud quoque quod factum est, uerum erat dicere quod futurum erat. Vbi notandum est hanc sententiam esse stoicorū, quia putabant hanc legem, s. contradictionis, alteram propositionum ueram esse, & alteram falsam, esse quoque determinatè, & infallibiliter, & omnia euenire ex necessitate. Aristoteles autem per totum hoc caput ostendit non semper esse uerum. rationes ille quæ ponuntur in principio sunt. s. si omnis affirmatio uel negatio est uera, uel falsa, omne quod affirmatur, uel negatur, est, uel non est ex necessitate; sed primum est, ergo & secundum. alia ratio: sicut res se habent de tpe p̄senti sic de futuro sed ī tpe p̄senti res sunt, uel nō sunt ex necessitate: igitur ī futuro quoque. Ad hoc rñsū in fine ab Aristotele ponit, uel qa oīa hæc tollerētur. s. negociatio, consultatio, casus, & fortuna si oīa ex necessitate euenirent: quia autē Aristoteles probauit illam consequētiam. s. quod si in futuris contingentibus & particularibus, affirmatio, & negatio est determinatè uera, uel falsa: sequitur omnia euenire ex necessitate. idcirco nunc probat illud consequens falsum esse, & exemplo & ratione. primum ratione cum subdit, dicens, quod sint hæc impossibilia patet, quia nos per id quod agimus liberè aliquid, uel consiliamur, uidemur esse principium aliquod futurorum. si uero omnia fierent ex necessitate, propter nostrum consilium non essemus principium futurorum. Sed impossibile est; ergo. non ex necessitate omnia eueniunt. circa hoc notandum est, quod homo suo cōsilio determinat aliquid agere: & id quod agere determinat habet Dominium circa illud, quia est sua actio, & qui habet dominium suæ actionis potest agere, & non agere. ergo aut oportet

tet dicere quod non omnia fiant ex necessitate, aut oportet dicere, quod homo non sit liber, nec quod suarũ actionum habeat dominium. quod non solum contra Aristotelis est sentẽtiam, sed etiam contra fidem negare liberũ arbitrium homini. Subdit deinde, quia si omnia essent ex necessitate: ergo in his, quæ non semper actu sunt, sed in potentia: ut sunt multę res naturales: non contingeret esse uel nõ esse: quoniam semper essent; uel semper non essent. ideo est, quod omnino, idest universaliter est uerum quod in ijs, quæ non semper actu sunt: est possibile non esse, & esse; ut sunt illa in quib. utrunque contingit, & esse. s. & non esse, & per consequens fieri, & non fieri. nanque quod potest fieri, & non fieri, non est necessarium sed contingens. est igitur impossibile, quod omnia fiant ex necessitate; hoc idem per exẽpla sensibilia probat cum dicit: & multa nobis sunt manifesta, quę sic se habent, utputa est possibile, quod hæc vestis prius incidatur, & tamen non inciditur sed prius exteretur. i. vetustate consumetur: & hæ duæ propositiones ambę possunt esse verę: quoniam si exteritur nõ inciditur, quod etiam possibile est. nãque non posset exteri nisi prius posset incidi. si igitur possibile est hanc tunicam incidi, & exteri: ergo manifestum est, quod non omnia ex necessitate fiũt. Similiter est de alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur: quæ quidem generationes possunt fieri, & non fieri: vel sunt, vel non sunt ex contingenti. ergo de futuris contingentibus non est determinata ueritas.

Sed alia quidem utrumlibet contingit, & nihil magis affirmatio, quam negatio et it uera, uel falsa, alia uero magis quidẽ, & ut in pluribus alterum, nihilomin⁹ cõtingit fieri, & alterũ, altero uero minime, &c.

Tres diuisiones in præsenti contextu ponit Aristoteles: prima autem diuisio ibi incipit. secunda cum dicit. igitur. tertia, sed & in contradictione. deinde ponit unam conclusionem ibi: Quare cum similiter. dicit igitur primum sed ea quæ non fiunt ex necessitate deducuntur. quoniam quædam ad vtrumlibet fiunt, in quibus non magis affirmatio, vel negatio, ut uera sit euenire solet. hoc est, non magis est affirmatio uera, quam negatio. alia uero in quibus alterum, affirmatio, uel negatio, ut plurimum, uel magis euenire solet, sed & contingit fieri alterũ, quod rarum est, & alterum quod plerũque tunc identidem fieri minime contingit, ponit deinde secundam diuisionẽ 2. cum subdit dicens, quod ex prædictis, hęc sunt inconuenientia. ergo oportet scire, quod omne quod est, quando est; necesse est esse, & omne quod non est, quando non est, necesse est non esse. sed non oportet dicere, quod illud qđ est, necesse est esse. nec illud quod nõ est, necesse est quod non sit simpliciter sed secundum quid est verum. propterea quod non est idem, omne quod est, quando est, necesse est esse, & esse simpliciter ex necessitate: simili modo dicendum est: de eo quod non est, quando non est: quia non est idem, omne quod non est, quando non est: necesse est non esse: & non esse simpliciter, & ex necessitate. Vbi notandũ est, secundum Io. And. quòd istæ propositiones omne quod est, & omne quod non est: dupliciter intelliguntur, scilicet in sensu diuiso, & in sensu composito. veræ sunt in sensu cõposito: quod notatur per illud quando est, & quãdo non est; falsæ verò sunt in sensu diuiso:

quo-

quoniam contingens nunquam est cõtingens, nisi quando est. Contingentia enim, quemadmodum & necessitas nõ est passio nõ entis, sed passio entis. Declaro exemplo si ego contingenter doceo, dum doceo, contingenter doceo: & per cõsequens, pro illo instanti quo doceo possum non docere. & hoc est in sensu diuiso: sic de non esse & esse intelligendum: quia si contingenter sum dũ sum, possum non esse in sensu diuiso: quod est dicere habeo possibilitatẽ ad non essendum. Tertiam ponit deinde diuisionem, quæ est ista, cum subdit, dicens: quod in contradictione eadẽ est ratio: quoniam sicut ibi illud quod simpliciter non est necessarium; sed fit necessarium ex suppositione, vel aliquo adiuncto: ita hic cum disiunctione. propterea quod oportet omnem rem, vel esse, uel nõ esse, & de quolibet futuro. est necessario verum, sub disiunctione ipsum futurum esse, vel non esse: illicò exponit, dicens: non tamen diuidendo vnum ab alio, est verum dicere alterũ necessario determinate. Sub enim disiunctione est verum, quod necesse est futurum esse, vel nõ futurum esse cras nauale bellum: sed non est necesse cras futurum esse nauale bellum determinate: vel non est necesse ipsum nauale bellum determinate non esse: sed sub disiunctione verum est dicere quod necesse est ipsum futurum esse, vel nõ esse, quasi dicat Aristoteles, quod accipiẽdo diuisim neutrum est necessariũ determinate, vt patet in exemplo: sed cũ disiunctione, idest, cum hac particula, vel, dicẽdo, vel futurum est nauale bellum, vel non futurum est, uerũ erit hoc dicere. Notatione hic dignũ est, secundum Io. And. quòd ista propositio omne quod est &c. & est quod non est &c. tenet etiam per illud principium, vbi dicit Aristoteles in primo Posteriorũ de quolibet est affirmare, vel negare. de nullo autem similiter; licet enim nõ de omnibus altera pars sit determinate vera, aut falsa: tamen si consideratur cum disiunctione, vel, tunc verum est dicere de quolibet est affirmatio, vel negatio, & sic erit vera propositio.

Quare cum similiter orationes veræ sint, quemadmodum & res; manifestũ est, quod quæcunque sic se habent, vt sint vtrumlibet contingit, & contraria suscipiant; necesse est similiter se habere, & contradictionem, quod contingit in ijs, quæ non semper sunt, vel non semper non sunt; horum enim necesse est alteram partem cõtradictionis veram esse, vel falsam; non tamen hanc uel illam, sed utrumlibet contingit; & magis quidem ueram alteram, non tamen iam ueram, uel falsam, &c.

Ponit vt dicebamus in hoc vltimo contextu Aristoteles conclusionem: nempè quod orationes, siue enũciationes sic se habent circa veritatem, & circa falsitatem, quemadmodum & res. Concludit demum intentum suum, dicit igitur, quia orationes sunt veræ similiter, quemadmodum & res: manifestum est, quod quæcunque supple, enũciationes ita se habent, vt ad vtrunque possit contingere contrarium ipsorũ. scilicet, vel veras, vel falsas esse: necesse est se habere similiter ad contradictionem; sicut dictum de rebus est: scilicet quod diuisim non sit & determinate vera, sed cum disiunctione, vel vna, vel altera vera est. quod quidem in his contingit quæ non semper sunt: & in his quæ non semper non sunt: propterea quod in talibus de futuro necesse est alteram partem contradictionis

esse

esse veram, & alteram esse falsam sub disiunctione: non tamen hoc determinate, vel illud; sed ad vtrumlibet indeterminate, vel magis alteram verã (quantum ad contingens, vt in pluribus:) non tamen iam veram, vel falsam determinate: sed hæc, vel illa sub disiũctione: vtputa hominem canescere in senectute magis est verum quam non canescere: non tamen est ita necessario verum quod determinate canescat in senectute. Concludit demum, dicens: quod manifestum est, non esse necesse, omnes affirmationes, vel negationes oppositarum enunciationum, esse hãc quidem veram, & illam falsam determinate: quia non sic se habet in his quę sunt, hoc est, in orationibus de tempore præsenti; sicut in his quæ non sunt, i. de tempore futuro, quę tamen esse, vel non esse possibilia sunt. Notandũ igitur est, quod ad rationes Stoicorum supra tactas, sunt hæ solutiones: quantũ autẽ spectat ad primam, dicitur quod cõtradictionis partes sunt veræ, vel falsæ, sed nõ determinate magis vna pars quam altera est. Ad secundam rationẽ dicitur, quod aliud est loqui de tempore pręsenti, & aliud est loqui de tẽpore futuro. Præterea propositiones de tempore præsenti sunt quidem necessarię, sed secundum quid, non autem simpliciter. Secundo notãdũ, quod ex his quæ dicta sunt tria fundamenta eliciuntur. Primum fundamẽtum est, quod tam in nobis, quàm in rebus ipsis, reperitur principium, vnde possunt euenire multa contingenter: in nobis uoluntas; in rebus vero ipsa materia. Secũdum fundamentum est: quod duplex est necessitas, scilicet simplex, vt Deum esse: altera cum suppositione & secũdũ quid, vt comedere si uiuere uolumus. Tertiũ fundamentum est, contradictionis partes ex necessitate esse ueras, uel falsas, non tamen determinate hanc, uel illã partem; & ex his omnibus soluuntur illæ dubitationes: Potest autem dubitari hic, an aliquid sit a casu contingens in rebus, & uidetur quod non: quia prima causa habet præscientiam de omnibus quæcunq; futura sunt. Cum igitur præscientia sit infallibilis: oportet, ut eueniant quæ præsciuit infallibiliter: sed infallibile necessarium est: ergo necessario eueniunt quæ uentura sunt, & nõ contingenter, neque casu. Ad quod notandum est, secundum Gra. quod non obstante præscientia primæ causę, contingens & casuale reperitur in rebus. Ratio huius est: quia cum prima causa per scientiam suam, sit causa totius entis: differentiarum eius causam necesse est esse. Differentiæ autem entis sunt contingens & necessarium. igitur prima causa per suam scientiam non tollit a rebus cõtingentiam: sed in eis potius necessitatem causat, & contingentiam. Ad argumentum ergo dicendum est, secundum eũdem, quod prima causa præscit a suis causis euenire contingenter, effectus contingentes: & quia non solum est necessarium futurum euenire quod ipsa præsciuit: sed etiã est necessarium illo modo euenire, quo ipsa pręsciuit. idcirco necesse est dicere, qđ q̃ præscit esse uentura necessario: illa euenient necessario: & quę pręscit esse futura a suis causis cõtingenter, euenient illa infallibiliter contingẽter: ex hoc ergo non debemus concludere, quod omnia sint necessaria, uel infallibilia absolute, sed concludere debemus omnia esse infallibiliter, aut necessaria, aut contingentia. Multa quoq; alia possunt dici circa hoc caput, & præcipue de prædestinatione, sed quoniam esset præter negotium nostrum, ideo omittam illa: satis hæc sint pro præsenti libro.

FINIS LIBRI PRIMI.

ARISTOTELIS PERIHERMENIAS

LIBER SECVNDVS.

Cum Expositione Ioannis Baptistæ Rubei.

De enunciationibus infinitis. Caput I.

QVoniam autẽ est aliquid de aliquo affirmatio significans; hoc autem, vel nomen est, uel innoĩatum;vnum aũt oportet esse, & de vno id qđ est in affirmatione; nomen aũt dictum est, & innoĩatum prius;(non homo enim nomen quidem non dico, sed nomen infinitum. vnum enim significat aliquo modo infinitum nomen quemadmodum & non valet non verbum.)sed infinitum verbum. Erit igitur omnis affirmatio,& negatio, vel ex nomine,& verbo, vel ex infinito nomine, & verbo. Sine verbo autem nulla affirmatio, vel negatio, &c.

IN superiori libro determinauit Philosophus de enũciatione simpliciter considerata: In præsenti autem libro, intendit isdem de eadem determinare ac agere, quatenus addita est, seu adiuncta. Proponit in principio, quod omnis enunciatio constat ex nomine, & uerbo finito, uel infinito. Finitum nomen est, ut homo, animal, infinitum uero est, ut non homo, non animal: sic uerbum finitum est, ut ualet, doceo; infinitum uero, ut non ualet, non doceo, hic autem notandum est, quod propositiones fiunt aut ex nomine, & uerbo finito, aut infinito, aut ex altero termino finito, altero infinito, & ex utrisq; infinitis, ut in his lineis patet.

Ex nomine, & verbo finito sic.

Homo est.	Homo non est.
Ex nomine infinito sic.	
Non homo est.	Non homo non est.
Ex subiecto finito, & prædicato infinito sic.	
Homo non est iustus.	Homo non est non iustus.
Ex subiecto infinito, & prædicato finito sic.	
Non homo est iustus.	Non homo non est iustus.
Ex subiecto & prædicato infinitis sic.	
Non homo est non iustus.	Non homo non est nō iustus.

Potest etiam addi his supradictis nota uniuersalis, & nota particularis, uniuersalis,ut omnis,nullus particularis, ut aliquis: & singularis ut hic homo,in tempore pręsenti, præterito, & futuro.unde cōstituuntur hæ quatuor propositiones particulares affirmatiuę,ut aliquis homo est iustus.Aliquis non homo est iustus.Aliquis homo est non iustus. Aliquis non homo est non iust us. singulares uero hæ quatuor,ut: Socrates est iustus.Non Socrates est iustus.Socrates est non iustus.Non Socrates est non iustus.vniuersales indefinitę hę homo est iustus, & aliæ supradictæ. Vniuersales vero vniuersaliter. i. cum nota, seu signo uniuersali sunt hæ quatuor. Omnis homo est iustus. Omnis non homo est iustus. Omnis homo est non iustus. Omnis non homo est non iustus. sic erunt in alijs temporibus, Socrates erit iustus. Homo fuit iustus, &c. continet autem iste liber quatuor capita. Primum caput cōtinet duo dubia: & unam conclusionē, & septem regulas. in hoc primo contextu conclusionem,& unam regulam ponit. Primum ergo proponens rationes distinguendi enunciationes dicit: qnoniam autem omnis affirmatio est significans aliquid de aliquo, quasi dicat, sicut dictum est in primo libro. idcirco hoc de quo aliqd significatur est aut nomen,ut homo,equus, aut qd innominatum, ut nón homo. ita tamē quod non ambo simul: sed unum est prædicatum & hoc est,quod dicit,unū autem oportet esse, supple, prædicatum,in una affirmatione,& de uno,supple, subiecto tantum prædicatur in ea enunciatione, quasi dicat, oportet qđ propositio affirmatiua habeat vnum prædicatum, & vnum subiectum contentum, vt homo est animal,homo est subiectum,& animal prædicatum:homo est contētum, & animal cōtinens. Vbi notandum est, quia verbum nō est proprie eorū, quę de altero prædicantur:& quod dicitur in enunciatione de aliquo est prædicatum: idcirco est necessariū,quod istud prædicatum sit aliquod nomē, aut aliquid sumptum nominaliter.

minaliter. deinde subdit dicens, quod dictum supra est, quid sit nomen finitum, supple, in primo libro; & dictum quoque est, quid sit nomen innominatum: quoniam diximus non hominem, nomen non esse, sed infinitum nomen appellamus: quia licet significet vnũ, i. vnam naturam aliquo modo, tamẽ nõ significat vnam naturam determinatã, vt facit nomẽ finitum; quod vnum simpliciter significat. sic, non valet; non unum simpliciter determinat, ac significat: sed quid infinitum. Concludit deinde dicens, igitur erit duplex modus affirmationis: quoniam omnis affirmatio, vel erit ex nomine, & verbo. quod est vno modo dicere, vel ex nomine infinito & verbo. quod est secundo modo dicere. Vbi notandum est, Aristotelem mentionem facere solum de affirmatione, & non de negatione, quia affirmatio est nobilior, & perfectior species enunciationis: sed debet tamẽ intelligi, quod dictum est de affirmatione, etiam de negatione esse intelligendum. Est etiam notandum, quod appellat nomen infinitum innominabile, qa ante suum tempus nondum erat repertum nomen: non autem eo quod nomẽ non habeat. Sequitur deinde quod nulla affirmatio, vel negatio, sit præter verbum, supple, finitum: quoniam infinitũ non est verbum: nam fuit, vel erit, vel sit, & alia huiusmodi sunt verba ex his, idest de illis quæ dicta sunt; idest, casus verbi nominantur, non autem verba, alia tempora. ponit deinde primam regulam cum subdit dicens: quod prima affirmatio, & negatio est, vt ista propositio: est homo, non est homo; & appellatur propositio de secundo adiacẽte: quæ sit ista propositio, supra declaratũ fuit. Rursus prima affirmatio alio modo est non homo, non est non homo; & similiter in vniuersalibus vniuersaliter sumptis est omnis homo: non est omnis homo. Posterior, est omnis non homo, non est omnis non homo, & in extrinsecis temporibus, i. in futuro, & præterito eadem est ratio, vt supra dictum est. prima propositio est ex prædicato infinito, & ex vtraque parte infinitis est secunda propositio.

Quoniam autem est, tertiũ adiacens, prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones. Dico autem, vt est iustus homo, ipsum est, tertium dico adiacere nomen, vel verbum in affirmatione; quare ob id ipsum quatuor erunt illæ quarũ duæ quidem ad affirmationem, & negationem se habebunt secundum cõsequentiam, vt priuationes, duæ verò minimè. Dico autem quod est, aut iusto adiacebit, aut non iusto; quare etiam negatio, quatuor igitur erũt, &c.

Supra enunciationes, in quibus nomen finitum, vel infinitum ponitur ex parte subiecti distinxit Philosophus; In præsenti verò, distinguit illas orationes, in quibus nomen finitum, & infinitũ ponitur ex parte subiecti, & ex parte prædicati. Vbi notandũ est, quòd istud verbum, est, potest prædicari in enunciatione dupliciter: vno modo secundum se, vt in enũciationibus de secundo adiacẽte, vt homo est, vel tu es, ego sum: quoniam tunc non tria reperiuntur in oratione: sed duo tantũ, scilicet subiectum, & copula. Prædicatũ verò consistit, & habet vim in illo verbo, est. Quod denotat essentiã, vel existentiam esse in homine, uel in te, siue in me, &c. Alio modo sumitur non secundum se; sed alteri adiunctum, vt cum dicitur, homo est iustus. & est oratio de tertio adiacente, siue de tertio

adiuncto, quia additur prędicatum. qđ quidem prædicatum non amplius consistit in illo verbo, est, sed in iustitia. Sunt autem & aliæ enunciationes quæ de tertio adiacente sunt, licet non expresse in illis sit prædicatum. vt homo currit, homo docet, & similia: quæ tamen enunciationes per participiũ resoluuntur, & tunc apparet prædicatũ. dicendo, homo currit; homo est currẽs: homo docet, homo est docens. Propterea quod in illo verbo currit exprimitur prędicatum intrinsece, quamuis non extrinsece. Dicit igitur Philosophus: Quando autẽ est, prædicatur tertium adiacens: tunc dicuntur dupliciter oppositione, i. sunt duplo plures quam prius, scilicet quando prædicatur secundum se, & non adiũctum tertio. Exponit exemplo dicens, dico autem, vt est iustus homo, ipsum nomen, vel verbum, Est, adiacere in affirmatione ad hoc quod dicitur iustus. Vbi notandum est, quod iustus, licet in principio ponatur, nõ tamen est subiectum, sed est prędicatum. Est etiam notandũ, quod Aristoteles appellat, nomen, ipsum verbũ, eo quod large accepit, scilicet pro omni dictione significatiua, nõ autem stricte, pro verbo solum: & ideo quia non fuit contentus dicere est nomen, dixit etiam, vel verbũ. Ponit deinde numerum istarum oppositionum dicens: quare ob id ipsum, idest, quia hoc verbum, est, prædicatur tertiũ adiacens, quatuor erunt istæ enunciationes: quarum duę se habebunt ad affirmationem, & negationem, secundum consequentiam; sed aliæ duæ minime sic se habebũt, quasi dicat, quãdo istud verbum, est, prædicatur tertium adiacẽs, erũt duplo plures enunciationes. Est, dicitur tertium adiacens cum post ipsum sequitur aliud nomen, vel verbum loco nominis, vt supra diximus, vt homo est iustus: duæ ergo harũ quatuor sequuntur (quæ sunt negatiuæ) ad affirmatiuas, sed duæ affirmatiuæ non sequuntur ad negatiuas: quod autem fiant quatuor enunciationes declarat cum subdit, dico autem, quod Est, aut adiacebit iusto, idest prædicato finito, aut non iusto, idest prædicato infinito, vt hæ duę est homo iustus, est homo nõ iustus: & erunt duæ affirmatiuæ, quare etiam negatio, idest, & etiam duæ fient negationes: propterea quod, non: est, adiacebit aut finito prædicato, aut prædicato infinito, vt non homo est iustus, & non homo est non iustus. quare erunt quatuor enũciationes si fiat, est, de tertio adiacente. Declarat hæc in figura dicens: intelligimus ex his, quæ subscripta sunt. Et primo est affirmatio de prædicato finito sic.

Est iustus homo. D	Negatio huius ista est. D	Non est iustus homo. E
C Est non iustus homo.	Affirmatio de prædicato infinito sic. C C Negatio huius ista est.	.A. Non est non iustus homo.

In omnibus enim his, Est, prædicatur tertium adiacens, &, non est, quoque: nam, est, adiacet iusto, & non est, adiacet non iusto. ideo in hoc loco, Est, & non est, non prædicatur secundum se, sed quatenus alteri, adiacet, i. iusto, & non iusto quæ sunt prædicata: hæc igitur quemadmodum in resolutorijs, disposita ac ordinata sunt. Dispositio autem enunciationum indefinitarum, ut habetur ex primo Priorum sic est.

Simplex affirmatio.	Simplex negatio.
Homo iustus est.	Homo iustus non est.
Priuatoria negatio.	Priuatoria affirmatio.
Homo iustus non est.	Homo iniustus est.
Infinita negatio.	Infinita affirmatio.
Homo non iustus non est.	Homo non iustus est.

Dispositio vero earundem in terminis vniuersalibus vniuersaliter, ac in parte ea est.

Simplex affirmõ vniuersaliter.	Simplex negatio in parte.
Omnis homo iustus est.	Non omnis homo iustus est.
Priuatoria negatio in parte.	Priuatoria affirmatio vniuersaliter.
Non omnis homo iniustus est.	Omnis homo iniustus est.
Infinita negatio in parte.	Infinita affirmatio uniuersaliter.
Non oīs homo non iniustus est.	Omnis homo non iustus est.

Deinde subdit differẽtiam inter enunciationes illas indefinitas, & inter hæc uniuersaliter sumptas, dicens: sed non contingit angulares similiter esse veras. sicut in illis, idest, in indefinitis enunciationibus. ratio est hæc, quia indefinitæ possunt esse simul veræ, eo quod subiectum potest supponere ꝓ diuersis. declaro exemplo. homo est iustus, & homo est non iustus possunt esse simul veræ. Sed istæ uniuersales uniuersaliter, omnis homo est iustus, & omnis homo est non iustus, nõ possunt simul esse veræ quoniam sunt cõtrariæ, ut ipse insinuat cum dicit hæ igitur duæ sunt oppositæ. sed aliquando possunt esse veræ aliæ supradictæ, quod hæc duæ non sic se habent.

Aliæ autem duæ ad non homo, quasi ad subiectũ aliquod additum, ut est iustus non homo, non est iustus non homo, est

est iustus non homo, nō est nō iustus non homo, plures autē his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illa, ipsæ secundum se erunt, ut nomine utentes eo, quod est non homo. In quibuscunque autem. Est non conuenit, ut in eo, quod est sanum esse, & ambulare, in ijs idē facit sic positū, acsi, est, adderetur. ut san⁹ est omnis homo, non sanus est omnis homo, sanus est omnis non homo, non sanus est omnis non homo, nō sanus est omnis nō homo, non enim dicendum est, non omnis homo, sed, non negationē ad id qđ est est, homo, addendum est, omnis enim non uniuersale significat, sed quod uniuersaliter, manifestum est aūt, ex eo quod est, ualet homo, nō ualet homo, ualet non homo, non ualet nō homo, hæc enim ab illis differunt, eo quod uniuersaliter non sunt. Quare omnis, uel nullus nihil aliud consignificat, quam quod uniuersaliter de nomine, uel affirmationem, uel negationem, ergo, & reliqua eadem oportet opponi.

Accedit nunc Philosophus ad tertiam, & quartam regulam. tertia autē est huiusmodi, quod ipse distinguit enunciationes quæ habent nomen infinitum pro subiecto. quarta vero est, quod declarat illas orationes quæ habent uerba adiectiua, ut currere ambulare. dicit igitur ad primam, harum duarum; quod aliæ enunciationes habent aliquid additum, idest ex parte prædicati ad non homo quasi ad subiectum, vt non homo est iustus. ecce duæ de prædicato finito. item non homo est non iustus: non homo non est non iustus. ecce duæ de prædicato infinito. vbi notandum est, quod intelligere debes, fieri multiplicationē enunciationum similiter si nomen infinitū in subiecto sumptum vniuersaliter i. cum nota, uel signo vniuersali accipiatur. deinde addit: quod magis plures enunciationum oppositiones non erunt his quæ dictæ sunt, idest, quam quatuor. ubi notandum est quod Aristoteles dicit nomen infinitum debere subijci quasi subiectum, nō autem absolutè subiectū: propterea quod subiectum enunciationis proprie sumptū cum sit nomen debet aliquid determinatè significare. quod hoc nomen infinitum non facit. sed hæ (vt subdit,) supple, enunciationes de subiecto infinito, sunt extra illas, idest, distinctę ab illis, quæ sunt de subiecto finito, quasi dicat, non habent opositiones cū eis, nec etiam cum illis consequuntur. sed ipsę secundum se, idest inter se habēt, supple, oppositionem, & consequentiam, & erunt utentes, supple, in oppositione & consequentia, eo quòd est non homo, idest erunt utentes hoc nomine non homo quod quidem nomen est infinitum pro subiecto: nec clarius potest proferri. ad quartam deinde accedit regulam. cum dicit, quod in his, supple, enunciationibus, in quibus, est, non contingit, idest in quibus enunciationibus hoc verbum, Est, nō ponitur; sed verbum, supple, adiectiuum, ut in eo verbo, quod est sanum esse; nam si dico esse sanum non est idem quod dicere

cere sanum est: quia sanum esse infinitiuum est: & sanum est indicatiuum: ideo dicit, in eo uerbo quod est sanum esse, & ambulare: idem faciunt sic positа uerba, ac si adderetur ipsum, Est, id est, ac si prædicaretur, Est, indicatiuũ, quia eodem modo multiplicantur enũciationes, uniuersaliter sumptæ, ut manifestum est dicendo, omnis homo est sanus: omnis homo non est sanus: non omnis homo est sanus. omnis non homo, non est sanus. vbi notandum est, quod Aristoteles non posuit nisi duas enunciationes de subiecto finito, & duas de subiecto infinito, ut daret intelligere, quod cum prædicantur verba adiectiua, non multiplicantur enunciationes sicut multiplicantur, quãdo hoc verbum, Est, prædicatur tertium adiacens. sed tantum sicut cum, Est, prędicatur secundum se, quia uerbũ adiectiuum non infinitatur quemadmodũ facit substantiuum. remouet deinde dubium: quoniam posset quis dubitare an negatio infinitans possit addi ad signum sicut in enunciatione additur ad rationem. dicens non enim dicendum est, non omnis homo, supple, quando uolumus facere enunciationẽ de infinito: sed negatio infinitans est addenda ad id quod est, homo, idest ad nomen, quod probat. d. quoniam, negatio infinitãs remouet aliquid aut singulare, aut uniuersale: sed hæc nota, omnis, non est significans singulare: nec vniuersale: sed potius significat quoniam vniuersaliter sumitur id cui additur, & hoc manifestum est ex eo qđ quod est, ualet homo, non ualet homo, valet non homo, non ualet non homo: hæc enim dico ab illis diferre, idest, uniuersalibus, quia subiecta non sunt sumpta uniuersaliter, ut in illis enunciationibus est hoc signũ, omnis, quare patet, quod hæc nota, omnis, uel nullus nil aliud significat, nisi cui additur est sumptum uniuersaliter, idest affirmant uel negant uniuersaliter. igitur si non differunt nisi in non habere, & non habere signum uniuersale: sequitur quod cętera omnia pręter signum erunt eadem, idest cętera eadem oportet componi, scilicet, tam in uniuersalibus, quam in definitis, quasi dicat Aristoteles, quod in enunciationibus in quibus prædicantur verba adiectiua: oportet apponi quoque signum absq; eo quod addatur sibi negatio infinitãs: vt ad faciendum talem enunciationẽ: non solum verbo adiectiuo addatur signum, dicendo omnis valet, uel nullus currit; sed etiam nomen subiectum dicendo omnis homo ualet, uel nullus homo ualet. Notandum tamen est qđ notæ seu signa non possunt infinitari, & ratio est, quia nomẽ infinitum nihil determinatum ponit, & ut uniuersaliter dicam omnis dictio infinita vult esse huiusmodi, quod nihil determinatè ponat: propterea quod dictio infinita est idem quod dictio indeterminata. quare id quod ponit aliquid determinatè non debet dici dictio infinita. si vero dicitur aliquando non omnis, quod negatio prima sit tamen dat intelligere quidam non. Sic dicendum est de hoc signo, non nullus, idest non quidam; hæc enim æquipollent quidã non, & non omnis: non nullus, & non quidam.

Quoniam uerò contraria est negatio ei, quę est omne est animal iustum, illa quæ significat, quod nullum est animal iustũ, hæ quidem manifestum est, qđ nunquam erunt neque ueræ simul, neque in eodem, hæ uerò oppositæ erunt aliquando, ut non omne animal iustum est, & est aliquod animal iustum. Sequuntur

quuntur verò, & hę, eam quidẽ quæ est, omnis est homo nõ iustus, hæc, nullus homo est iust⁹, illam uerò, est non omnis homo non iustus, opposita, quod est aliquis homo iustus, necesse est enim aliquem esse. Manifestum est autem etiam, quod in singularibus si uerum est interrogatum negare, quod & affirmare uerum est, ut puta ne, Socrates sapiens est? nõ. Socrates igitur est nõ sapiens. In uniuersalibus uero non est uera, quæ similiter dicitur, uera autem negatio est, ut putasne, omnis homo sapiens est? non: omnis igitur homo non sapiens est, hoc enim falsum est, sed nõ igitur omnis homo sapiens est, uerum est. hæc enim opposita est, illa uerò contraria.

Ponit Aristoteles in præsenti contextu, quintam, & sextam regulam: prima autem regula huiusmodi est cum dicit: quoniam illa negatio, quæ signat nullum animal est iustum est cõtraria ei affirmationi, quæ est omne animal est iustum: manifestum est, quod hæ nunquam uere simul erunt: contraria mutuo se expellunt, neque in eodem, idest, neque de eodem ipso: sed oppositæ his duabus aliquando similiter uerę, scilicet duæ sub contrariæ, ut non omne animal est iustum: quæ quidem æquipollet isti quoddam animal non est iustum; & quoddam animal est iustum, & deinde subdit, quod ad illam, quæ est nullus homo est iustus. seu illa quæ est omnis homo est, non iustus, quæ affirmatiua est de prædicato infinito. Similiter affirmatiua de finito, interdum sequitur ad negatiuam de infinito. nanque illa quæ est: aliquis homo est iustus: sequitur oppositam affirmatiue de infinito, ut non omnis homo est non iustus. quare patet, quod si hæc est uera, scilicet, non omnis homo est non iustus: oportet hanc esse falsam, scilicet, omnis homo est non iustus, & si est falsa, necesse est esse aliquem iustum. Notanda hic duo sunt, secundũ Gra. primum quod Aristoteles dicit aliquando esse has simul ueras, non autem simpliciter: propterea quod particularis affirmatiua, & particularis negatiua de eodem subiecto non possunt simul uerificari in materia naturali, nec in materia remota: sed simul uerificantur in materia contingenti. Secũdo notatione dignum est, quod dixit contrarias nunquam esse ueras neque simul, neque in eodem ipso: ut per neque simul, quod non possint uerificari in eodem tempore: per, neque in eodem ipso, ut daret intelligere, non posse uerificari simul de eadem materia. sextam regulam ponit deinde cum subdit, dicens, manifestum est ex his etiam, supple, quæ dicenda sunt, quod in singularibus si verum est negare interrogatum prædicatum finitum: verum est affirmare prædicatum infinitum. Declarat deinde exemplo dicens, vt puta si ad hanc interrogationem Socrates est ne sapiens? verum est respondere quod non: verum est quoque tũc affirmatiuam de infinito inferre: dicendo sic, igitur Socrates est non sapiens. At in vniuersalibus, non est vera, supple, affirmatiua de infinito q̃ dicitur similiter sicut in singularibus. sed vera est negatio de finita; vt ad hãc interrogationem patet: & huiusmodi est putasne, omnis homo sapiens est? verum responsum dabimus quod nõ:

&

& falsum est inferre ex hoc, ergo omnis homo est non sapiens: quia falsum est. Sed inferre (ex hoc) quod non omnis homo est sapiẽs, est verum: quoniã ista est opposita cõtradictorie illi quæ dicit, omnis homo est sapiens. Illa verò opponitur contrarie, ergo quia de quolibet vera est affirmatio & negatio: dico quod si ista est falsa omnis homo est sapiens: oportet, vt hæc sit vera, non omnis homo est sapiẽs. at illa quæ dicit omnis homo est non sapiens tantum valet, ac si diceres nullus homo est sapiens. est contraria illius omnis homo est sapiens: ideo & si ista sit falsa; non tamen propterea illa est vera, quæ dicit omnis homo est non sapiens. propterea quod in materia contingente, falsa vtraque contrariarum propositionum est.

Quæ verò secundum infinita cõtraiacentes sunt nomina, & verba, vt in eo quod est non homo, vel non iustus, quasi negationes siue nomine, & verbo esse videbuntur. Sed non sunt; semper enim, vel veram, vel falsam esse necesse est negationẽ; qui uerò non homo dixit, nihil magis, quàm qui dicit homo, sed etiam minus verus, vel falsus fuit, nisi aliquod addatur. Significat autem, est omnis nõ hõ iustus, nulli illarum idem, nec huic opposita, quæ est, omnis non iustus non homo est, illi quæ est nullus est iustus non homo, idem significat. Transposita verò nomina, & verba idem significãt; vt est albus homo, & est homo albus; nam si hoc nõ est; eiusdem multæ erũt negationes, sed ostensum est, quod vna vnius est. Eius enim quæ est, est albus homo, negatio est, nõ est albus homo, eius autem quæ est. est homo albus, si non eadem est ei, quæ est, est albus homo; erit negatio, vel ea quæ est, nõ est homo albus, vel ea quæ est. nõ est homo albus. Sed altera quidem est negatio eius, quæ est, est non homo albus, altera uerò eius quæ est, est albus homo, quare erunt duæ vnius. Quod igitur transposito nomine, & verbo, &c.

Ponit dubium, simulq́; vltimam regulam in præsentia Aristoteles, quod quidem dubiũ de subiecto infinito est. Quoniam dixit supra, verba, & nomina infinita non esse propria nomina & verba: & quoniam posset credere quis quod essent enũciationes affirmatiuæ, vel negatiuę. idcirco ab intellectu hoc remouet cum dicit: quæ verò secundũ infinita contraiacentes sunt nomina, & verba, idest, propositiones, quę sunt ex nomine, & verbo infinito, vt in eo, idest, vt est in ea propositione, non est homo, vel in illa quæ dicit, non iustus, quasi videbuntur esse negationes, sine nomine, & verbo, idest sine aliquo alio nomine, & verbo adiuncto, sed hoc nõ est verũ: propterea quod negatio semper, vel veram, vel falsam denotat orationem: at qui dixit non homo, sine aliquo alio adiũcto, nihil magis, supple, dicit verum, quam falsum; immo minus dicit, quam ille qui ore protulit hanc dictionem, homo, per se sumptã:

igitur si non addatur ei aliquod aliud, patet quod neq; verum, neque falsum significabunt. est notatione dignum id quod dicit Boet. quod propter hoc Aristoteles, dixit minus dicere dicentem non hominem, quam qui dicit homo: eo quod homo significat aliquam rem determinatam: sed qui dicit nō homo, nullum intellectum, siue conceptum de aliqua re determinatum constituit. idcirco dicitur minus verus, & minus falsus. hoc est, minus verum, & minus falsum dicit, quam qui dicit homo. ponit deinde septimam, & vltimam regulam cum dicit: quod illa oratio quę dicit omnis non homo iustus, quæ est affirmatiua de subiecto infinito, significat idem, nulli illarum, scilicet, de subiecto finito: neque etiam huic opposita, idest, nec etiam eius negatio quæ dicit, non est omnis non homo iustus. significat idem alicui earum quæ sunt de subiecto finito. ratio huius est, quia subiectum non est idem in istis, & in illis. idcirco nec sequuntur, nec opponuntur inter se. Propterea quod consequentia & oppositio, supponunt identitatem subiecti, videntur q; esse circa idem. Demonstrat deinde quod enunciationes de subiecto infinito habent consequentiam inter se. cum dicit: ea vero, quæ est, non est omnis non homo iustus, idem significat ac illa quę dicit, nullus est iustus non homo: illa habet prædicatum infinitum; hæc verò finitū, quia ergo posset esse dubium in orationibus quæ transponuntur, vt est homo albus, & albus est homo, idcirco, dicit idem significare: cum subdit dicēs: nomina, vel verba transposita idem significant, vt dicendo homo est albus: uel e contra est albus homo: nam si hoc nō est, idest, quod dictum est si non est verum: tunc erūt multæ negationes eiusdem affirmationis: quod est cōtra id, qđ supra diximus nempe vnam affirmationem, vnam negationem habere: sed hoc est inconueniens ergo transposita idem significāt. probat hoc cum dicit: eius enim, supple, affirmationis, quæ ita se habet, est albꝰ homo, negatio huius affirmationis est illa quæ dicit, non est albus homo. Eius verò supple, affirmationis in transposito quæ est, est homo albus, si non habet hanc propositionem per suam negationem, est albus homo; ex necessitate habebit vnā harum duarum, vel eam quæ dicit non est nō homo albus, vel eam quæ est nō est homo albus. sed altera, ut puta hæc quæ est non est non homo albus: est negatio illius quæ est: est nō homo albus: erit ergo negatio eius quæ est: non est albus homo. & patet quoque quod negatio eius est ista: non est homo albus. Si igitur sunt diuersæ istæ duæ negationes: patet ac manifestum est, quod duę erunt negationes vnius affirmationis. sed hoc quoniam est inconueniens. manifestum igitur, quod est eadem affirmatio & negatio transposito nomine, uel transposito uerbo. Est autem notatione dignum, quòd trāspositio potest fieri dupliciter vno modo sic, quod ea quæ transponūtur in eodem remaneāt loco; nempe quod prædicatum remaneat prædicatum, & subiectum, subiectū. & isto modo capitur hic transpositio in hac enunciatione, est homo albus, est albus homo. quamuis enim homo ante & post illam dictionē, albus, ponitur: tamen semper remanet subiectum; & sic albus remanet prædicatū: sic intelligit quoq; Philosophus. Alio modo, esse potest transpositio cum nō remaneant in eadem parte orationis: vt puta cum subiectum mutatur, & fit prædicatum, & prędicatum fit subiectum, ut puta dicendo sic: omnis homo est animal. & omne animal est homo: hinc patet solutio tacitę q̄stionis, quę potest ob hoc quod dictum est, euenire.

De

De coniunctis, & diuisis enunciationibus. Cap. II.

At verò vnum de pluribus, vel plura de vno affirmare, vel negare, nisi sit vnum aliquid, quod ex pluribus significatur, non est affirmatio, neque negatio vna. Dico autem unum, nō si vnum nomen positum sit, nō sit autem unum aliquid ex illis; vt homo est fortasse, & animal, & bipes, mansuetum, sed ex his vnum fit. ex albo autem, & homine, & ipso ambulare non est vnum, &c.

Istud est secūdum caput huius secundi libri: quod quidem caput continet tres cōclusiones, duas quæstiones, & quatuor regulas: quoniam igitur supra egit quid orationi accidat: propter hoc quod additur ei aliquid tollens unitatem illius: idest, quia additur infinitas. nunc intendit determinare, quid ei accidat ob additionem aliquā subiecto, vel prædicato, quę tollit illius unitatem. Dicit igitur primo, adde tamen tu hæc, quamuis sit vna enunciatio in qua unum prędicatur de vno: tamē nō est affirmatio vna, vel vna negatio; affirmare vel negare plura de vno, vel vnum de pluribus, idest unum prædicatum de plurib. subiectis, vel plura prædicata de vno subiecto. Declarat quid intelligat cum subdit dicens: Dico autem vnum, non si positum est vnū nomen ad significandum plura: & ex illis non fit vnum, in re: propterea quod unitas hominis, & uocis, non faciunt unitatem enunciationis: sed solum unitas rei, facit unitatem enūciationis, vt homo forsan, & animal, & bipes, & mansuetum, sed ex his unum fit: quoniam hæc sunt plura nomina nominaliter, sed ex eis fit tamen vnum. Tota etiam definitio vnum per se significat. ideo dixit fortasse eo quod hæc nō est definitio homo animal bipes mansuetum. sed ex albo, & homine, & ambulare: non fit vnum re. quare nec si aliquis affirmet vnum aliquid de his: erit affirmatio vna: nec quoque si de uno affirmet erit una affirmatio, sed erit vna vox, quasi dicat, erit vna vocaliter si vocum nomen imponatur. Vbi notandū circa hoc est, quod inueniuntur aliquę propositiones, quarum termini quanquam diuisi, reddunt eas veras: & reddunt quoque coniuncti. vt homo est animal, homo est bipes: quare est homo animal bipes: in tribus autem temporibus non veræ fiunt. Et primo cum nugatio fit, vt Plato est homo, & Plato est bipes, igitur Plato est homo bipes. est nugatio quoniam nō ignoratur Platonem esse bipedem: fit etiam nugatio dicēdo. Plato est homo, & Plato est homo albus, ergo Plato est homo, homo albus. Secundo cum plura accidentia diuisim proferuntur, seu prędicantur, & coniunctim, non efficiunt uerā orationem, sic. Plato est albus, & Plato est musicus, igitur is est albus musicus. Tertio verò cum aliqua vox est ęquiuoca, ut bonum inest Platoni, & inest musico. igitur Plato est bon[us] musicus, quæ quidem conclusio est falsa. Concludit deinde quoddā corrolarium ex dictis, cum dicit, si ergo interrogatio dialectica est petitio unius responsionis; puta, vel propositionis, idest partis affirmatiuæ, uel alterius partis contradictionis, idest partis negatiuæ: propositio, supple, quæ interrogatur, siue interrogatio, est pars unius contradictionis, vt puta omnis mulier habet ne lac? nō est ista una interrogatio. ideo ad hæc non erit quoque una responsio, nec est

vna interrogatio si sit vna in utroque sensu. Si enim quæratur an Plato, & Socrates sint i theatro, & dato quod sint, dicendo sunt ne Plato & Sortes in tgeatro? nec est vna interrogatio, neq; danda est vna responsio. igitur interrogatio plures non est dialectica, de his autem dictũ est in Topicis. 1. in 2. Elench. Ostẽdit deinde quod interrogatio plures non est Dialectica, cum dicit: Simul autem, idest similiter manifestum est: quoniam nec hoc ipsum quid est, quod ad demonstrationem pertinet: Dialecticam esse interrogationem. propterea quod ipsa interrogatio Dialectica debet esse propositionis probabilis, ita vt quis possit eligere vtranque partem contradictionis si vult: quoniam interrogantem dialectice, oportet sumere vtranque contradictionis partẽ dicendo vtrum hoc sit homo, vel non. Dubitaret autem aliquis an hæc sit vera interrogatio. vtrum Plato sit homo albus musicus. & videtur quod nõ? propterea quod quæruntur plura de vno: & per consequens sunt plures. Ad qđ argumentum sic respondendum est; secundum Burle. quod ista plura, scilicet homo albus musicus possunt quęri de Platone tanquam diuersa prædicata: & sic est interrogatio plures æquiualens istis tribus interrogationibus, vtrum Plato est homo, vtrum Plato est albus, & vtrum Plato est musicus: isto nanq; modo, plures dantur interrogationes. Alio modo possunt quæri hæc tria tanquam vnum prædicatum, vel tanquam constituentia vnum prædicatum: & sic est interrogatio vna per accidens: propterea quod ex istis pluribus fit vnum per accidens; & danda est vna responsio, scilicet, altera pars cõtradictionis, quod Plato est homo albus musicus: vel quod Plato non est homo albus musicus. vtraque enim istarum est vna per accidens. Ad argumentum solutio patet: quia in ista interrogatione utrum Plato sit homo albus musicus secundũ quod faciũt vnum prædicatum per accidens de vno subiecto: idcirco interrogatio erit etiam vna per accidens.

Quando verò hæc quidem prædicantur composita, vt vnũ omne prædicatum fiat, eorum quæ extra prædicantur; alia verò non; quæ est differentia? De homine enim uerum est dicere, & extra animal, & extra bipes, & hæc vt vnum: & hominẽ, & album; & hæc vt vnum. Sed non si contrarius est, & bonus; etiã contrarius bonus. Si enim quando vtrunque verum, esse oportet & simul vtrũque, multa inconuenientia erunt, &c.

Quoniam supra dixit Philosophus affirmationem esse plures vbi plura subijciuntur, aut prædicantur: in pręsenti verò contextu ex quibus pluribus fit vnum, & ex quibus nõ ostendit. & tria facit, quia primo proponit, secũdo probat per rationem. Tertio veritatẽ manifestat: Primum igitur dicit, quoniam hæc quidem prædicãtur composita, vt vnum omne prædicatũ fiat, idest quoniam quædam sunt, quæ coniunctè prędicantur, quæ ex his inferuntur, quæ prædicantur diuisim, vt illa, quę sic se habent, vt ex ipsis vnum fieri possit extremum: alia verò non, idest, & quædã alia sunt, quæ prædicantur diuisim, & non coniunctim, quæ est differentia? supple inter hæc, & illa? de hoie enim verum est dicere, & extra animal, & extra bipes. idest, homo est separatim animal, & est separatim bipes: & hæc vt vnum, idest, & hæc, nempe, animal & bipes faciunt vnum, vt animal bipes, & hominem & album faciunt quid unũ: nempe

nempe homo albus: hæc duo nanque prædicata possunt coniūctim de homine dici, & hęc sunt ex quibus sequitur plures fieri vnum. Sed non sequitur si coriarius sit, & bonus, quod sit coriarius bonus: ecce patet in quibus non sequitur. Ex primis ergo prædicatis diuisis, sequitur etiam prędicatum coniunctum, sed ex secūdis prędicatis diuisis non sequitur prædicatum coniunctū. Ponit aliud exemplum cum subdit dicens: Si autem dicatur quod vtrunque potest semper dici coniunctim: si alterutrum dicatur diuisim; multa inconuenientia sequentur: propterea quod talis infinitas est fugienda, vel talis nugatio. dicere oportet quod nō semper ex diuisis quibuscunque inferatur coniunctum: quoniam de homine est verū dicere diuisim, & hominem, & album: & iterum est verum idem dicere diuisim: si tamen album simul & hominē contingat tūc eum esse: nanque si esset niger tunc non esset verum dicere, tamen dato quod esset: poterunt hęc ambo diuisim prædicari de eodem etiam tercentum, & in infinitum. Et rursus si musicus albus ambulās, hęc enim possunt diuisim, ergo & coniunctim dicere: quia si puta Socrates est musicus, albus, ambulans: sequitur quod Socrates est musicus albus ambulans simul coniunctim. Amplius si Socrates, dicat quis quod Socrates est, & Socrates homo: & Socrates, Socrates homo dicat: & si dicat homo, & bipes diuisim. igitur ex diuisis potest semper inferri cō iunctim dicendo, quod Socrates est Socrates homo bipes, dico tunc quod esset nugatio. Concludit deinde Aristoteles, quòd est manifestum plura sequi inconuenientia, si quis ponat simpliciter vel uniuersaliter fieri complexiones, idest cōiunctiones ex diuisis, idest fieri prædicatum coniunctum ex diuisis, Quemadmodum fit ponēdum nūc dicamus. Nota, quod tantum valet semel dicere de aliquo quod sit homo albus: quātum si trecentum proferatur, nisi quod plures dicendo fit nugatio, quod non fit si semel: idcircò non debent dici coniunctim toties quoties dicuntur diuisim, sed semel tantum. quæ sit veritas hæc est, corū quæ prædicantur, & subiectorum de quibus alia prędicantur; quæcunque prædicantur secundum accidens, uel de eodem subiecto; vel alterum de altero: hæc dico nō erunt vnum, quasi dicat, quod ex talibus, diuisim nō poterit inferri coniunctum. Declarat exemplo dicens: vt homo est albus, & musicus. sed idem non est dicere musicus albus: ita ut albedo ipsa super musicum cadat; eo quod falsa sunt, & eidem supple homini, accidentia vtraque sunt: idest, prædicata per accidens de eodem, supple, homine. Nec etiam, licet sit verum dicere quod sit album & musicum: tamē album musicum nō faciet quid vnum: propterea quod dicitur per accidens totum, albū musicum esse. idcirco non potest dici etiam simpliciter coriarius bonus qđ sit quis; licet dicatur de eo quod sit coriarius, & quod sit bonus, sed animal bipes potest coniunctim de homine dici, eo quod non dicuntur de homine, secundum accidens, sed per se dicūtur de ipso, quod est animal bipes. Addit deinde, quod non semper ea quæ prędicantur diuisim quemadmodū sunt prędicata per se, potest inferri coniunctū prædicatum ex diuisis: quoniam quæcunque insunt, idest in alio includunt, non possunt prædicari coniunctim cū illo. Non enim licet frequenter poni album in prædicato: igitur siue ea sint essentialia, siue sint accidentalia, diuisa non debent dici: si includuntur in illo: ut Socrates est homo, & est animal igitur Socrates est homo animal: sit nugatio in hoc: ideo non licet, & hoc est quod dicit, neq; homo, homo animal est, vel bipes homo; quia hæc includū-

tur

tur in homine. ex his igitur manifestũ est, duo esse necessaria ad hoc, ut ex diuisis coniunctum prædicatum fiat: primum est: quod prædicata illa per se vniantur ac copulentur, non autem per accidens: secundum est, quod unũ ipsorum non sit in altero, idest, quod vnum ipsorum non includatur in alio.

Verum est autem dicere de aliquo, & simpliciter ut aliquẽ hominem, hominẽ, aut aliquẽ album hominem, hominem album, non autem semper. Sed quando in adiecto quidem aliquid oppositorum insit, quod consequitur contradictio, non uerum sed falsum est, ut hominem mortuum, hominem dicere, quando autem non insit, uerum. Aut, quando insit quidẽ; semper non uerum est, quãdo uerò non insit, non semper uerum est: ut Homerus est aliquid, ut poeta, utrum igitur est an non; secundum accidens enim prædicatur, Est, de Homero, (quod enim est poeta) sed non secundum se prædicatur de Homero, ipsum, Est. Quare in quibuscunque prædicationibus neque contrarietas inest, si definitiones pro nominibus dicantur, & secundum se prædicetur, & non secundum accidens, in his, aliquid & simpliciter uerum erit dicere. Quod autem non est, quoniam opinabile est, non est uerum dicere esse aliquid. opinio enim eius est, non quid est, sed quod non est.

Declarat Aristoteles in hoc ultimo contextu huius capitis, quod diuisum quandoque potest inferi ex coniuncto: ita vt uerum sit de aliquo prius dicere coniunctim: & postea diuisim. & hoc est cum dicit. Verum est autem de aliquo dicere simpliciter. hoc est, aliquando si prædicatum coniunctum diuisim proferas verum: ut aliquem hominem, idest Plato est homo albus. igitur Plato est homo, & est albus. tamen hoc non semper contingit uerum. propterea quod quando inest aliqua repugnãtia, vel oppositio in uerbis prædicati, vt homo mortuus, hæc duo nanque nomina inter se repugnant, quia nullus est qui homo appelletur nisi sit viuus: quare sequitur quod non verum erit dicere Plato est homo mortuus igitur Plato est homo, quando autem non insit contradictio aut repugnantia, tunc verum occurrit dicere, diuisim coniunctum, aut quando insit quidem, sed tamen non semper insit, & uerum semper est, ut Homerus est aliquid, nempe Poeta. igitur est. nõ sequitur hoc. quia, esse, prædicatur de Homero secundum accidens. quoniã & poeta est. sed, Est, non prædicatur de illo secundum se. quoniam Homerus est, per accidens & ratione poetię, p̄dicatur istud verbum est. unde concludit, quod in quibuscunque prædicatis, ubi non est aliqua contrarietas in adiecto, & prædicantur secundum se, & non secundũ accidens, hoc est, non secũdum aliquid extraneum suæ propriæ definitionis, in his dico, quod similiter erit uerum dicere, supple, diuisim, prædicatum coniunctum. propterea quod exemplificans id quod non est: est opinabile,

&

& ideo non est uerum dicere ipsum dimisim.nanque opinio non est eius causa quod sit, sed magis causa est quod non sit,& ratio est in promptu, quia esse opinabile distrahit esse simpliciter: ut mortuum distrahit hominem simpliciter: quia non sequitur est homo mortuus. igitur homo est. sic non sequitur est opinabile,ergo est. patet igitur quod non possumus prædicari a cõpositis ad diuisa: si diuisa sunt accidentalia, vt Plato est bonus, & citaredus, ergo est bonus citharedus, non valet. sed si sunt essentialia tunc possunt prædicata prædicari a compositis ad diuisa,ut Socrates est animal, & rationale. ergo Socrates est rationale. vbi autem cadit contradictio non ualet, ut cadauer quod sit homo mortuus nequimus dicere: propterea quod in definitione hominis,& cadaueris contradictio cadit, & limitatur hæc regula puta cum dicimus Homerum esse poetam, ergo est Homerus: dicit quod tunc, illud, est,prædicatur secundum accidens. similiter si diceret quis quod non est,est opinabile, ergo quod non est, est. Respondet Aristoteles, quod hæc illatio non ualet,quoniam,est, prædicatur de non ente,non ratione entitatis,sed prędicatur de non ente, ratione opinionis.

De enunciationibus cum modo, & earum ad inuicem oppositionibus. Cap. III.

His uerò determinatis,considerandum est, quemadmodũ sese habent negationes, & affirmationes, ad se inuicem, quæ sunt de possibili esse,& non possibili, & de contingenti,& non contingenti, & de impossibili, & necessario; habent enim aliquas dubitationes, &c.

Istud est tertium caput: quod quidẽ caput habet decem conclusiones;dubitationem vnam,& correlarium vnum. accedit igitur ad propositiones nunc quæ vulgo modales appellantur. monetque hanc particulã,non,non ad verbum, quia tunc cõtingit simul eas esse veras,uerbi gratia omne quod est possibile ambulare: est possibile non ambulare.ergo,&c.sed ad modum propositionis: modus autem propositionis huius,est prædicatum,nihilque uariãs. vbi notandum est circa hanc particulam,non,poni dupliciter, circa uariationem: vno modo iungitur officio propositionis uniuersalis, s. cum subiecto adiungitur, ut non aliquis homo est animal.i.Omnis homo est animal.alio modo fungitur officio particularis propositionis. s. cum adiungitur ipsi verbo,ut aliquis homo non est planta. Secundo notandum est secundũ Hisp. quod propositio modalis est illa, quæ modificatur aliquo istorũ seu modorum.s possibile,impossibile,contingẽter,necessariò,uere & false,ut Platonẽ currere est possibile, uel contingens, & ita ut cum dicimus homo currit necessario,hic significatur,quod compositio cursus cum homine sit necessaria. cũ uero dicimus homo velociter currit,significatur, quod cursus hominis, sit uelox. & sic de alijs eadem ratio. Tertio notandum est, quod in modalibus propositionibus, uerbum debet subijci,& modus prædicari,& omnes propositiones, quæ non determinantur per istos sex modos, dicuntur de inesse propositiones: quod est dicere de simplici inherentia prædicati ad subiectum,& hic patet diuisio propositionum,s.aliæ esse modales, & aliæ de inesse.

inesse. Primum ergo proponens quandam dubitationem de oppositione modalium propositionum dicit. quod determinatis illis, scilicet, propositionibus de inesse perspiciendum est quomodo se habent propositiones affirmatiuæ, & negatiuæ ad se inuicem, quæ quidem propositiones sunt de possibili, & impossibili de contingenti, & necessario, & de non contingent i. hoc autem dixit, quia habent aliquas dubitationes. Sequitur deinde intentum cum dicit. nam si eorum, idest earum orationum quæ complectuntur, hoc est, constituuntur ex complexione subiecti ad prædicatum; illæ sunt oppositiones, uel contradictiones sibi inuicem oppositæ (intellige de propositionib. de inesse,) quæcunque opponuntur secundum esse, & non esse, ut (& probat exemplo,) eius, supple, affirmationis, quæ dicit hominem esse, negatio sua, est illa, quæ dicit non esse hominem, non autem ista, quæ dicit esse non hominem, idest. Est nõ homo, & eius quæ est, supple, affirmationis, Homo est albus, ea est opposita quę dicit, homo nõ est albus, non autem illa quæ dicit esse non album hominem. quod quidem probatur. si de omni est affirmatio, aut negatio, idest, si omnis propositio est aut affirmatiua, aut negatiua, & ista particula, non, possit addi termino alba, & fit propositio negatiua: contradictorię essent simul falsę, ut lignum est homo albus, & lignum est non homo albus, qđ est falsum; si illa esset negatio eius, lignum est non homo albus. Sed negatio debet poni ad uerbum, & erit uera vt lignum non est homo albus; quod si hoc modo est, quando, Est, prædicatur, idem erit in quibuscunque nõ additur esse. i. aliud uerbum loco esse, ut affirmatiua quę est, ambulat homo, negatio erit non ambulat homo, non autem illa quæ dicit ambulat non homo. ratio autem dicti, quia nihil differt dicere hominem ambulare, & dicere hominem ambulantem esse. quare si hoc modo ubique est, quod sint affirmatiuę illę, & negatiuę illę alię, & eius, supple, enunciationis quæ est possibile esse, idest propositio modalis de possibili, quod negatio erit illa possibile non esse, & non ea quæ dicit non possibile esse, quasi dicat, si in illis enunciationibus additur, Non, uerbo, sic hic additur uerbo. deinde arguit in oppositum, quia impossibile est opposita simul de eodem uerificari, ideo dicię quod de eodem, uidetur in propositione modali possibile esse, & non esse. hoc est, ut utraque sit uera, tam affirmatiua, quam negatiua. propterea quod, omne quod est possibile diuidi, uel ambulare, possibile quoque est nõ diuidi, & non ambulare. namq; quod sic possibile est, non semper in actu est: est enim in actu dum ambulat, & in potentia dum non ambulat. quare ergo patet negatio inesse etiam propositionibus modalibus: potest igitur nõ ambulare quod ambulabile est, & non uideri quod uisibile est. at uero impossibile est ueras esse oppositas enunciationes de eodem, idest propositiones contradictoriæ simul ueræ esse nõ possunt, igitur huic affirmationi quæ est, possibile est esse, negatio erit ista possibile est non esse. Notatione dignũ est, quod istæ propositiones modales, talis est sensus, scilicet, illas esse in quibus ponderatur aliqua particula, magis, quam uerbum ipsum, ut patet in hac enunciatione Plato ulociter legit; uis huius orationis si esset neganda non debet negari legit, sed illa particula uelociter, sic de possibili, impossibili: quæ omnes limitationes sunt negande, non autem ipsum uerbum. quotiescunque igitur additur propositioni, uel uelociter, vel assidue, uel possibile, uel contingenter, & huiusmodi, tunc dicunt propositiones modales.

Item notandum est quod licet multi possint esse modi, tamē qui faciunt simpliciter enunciationem modalē sunt tantum quatuor, scilicet, possibile impossibile, contingens, & necessarium. Item notandum quod in propositionibus modalibus dictum semper subijcitur, & modus semper prædicatur. ratio huius est, quia sicut se habent esse, & non esse, in illis orationibus de inesse, sic modus in modalibus. sed in illis de inesse, esse, vel non esse prædicatur formaliter, ergo similiter modus in in modalibus est prædicatum formale, & non materiale, quoniam est illud quo prædicatum materiale denominatur in esse subiecto. Item notandum quod positio modalis duplex est, scilicet, composita, & diuisa. Composita est illa in qua prædicatum dicti, cum materia, & forma ipsius subiecti, componitur. ideo profertur continuatiue, diuisa est illa, in qua prædicatum dicti solum cum materia subiecti componitur, & diuiditur a forma eius; ideo discontinue proferri debet. declaro exēplo. album esse rubeum, est possibile si rubrum componatur cum albo pro subiecto albedinis, & pro albedine ipsa tunc est composita, & falsa: sed si cōponatur cum albo pro subiecto albedinis, & diuidatur ab illa, dicti partes discontinuando, tunc est diuisa, & uera. ex quibus patet, quod tam in modalibus diuisis, quam compositis modus determinat totam compositionem dicti: quamuis indifferenter.

Contingit enim ex his, aut idem affirmare, & negare simul de eodem, aut secundum esse uel non esse, quæ opponuntur fieri affirmationes, & negationes. Si ergo illud impossibile est; hoc erit magis eligendum. est igitur. negatio eius quæ est, possibile esse, ea quæ est, nō possibile esse; sed non ea, quæ est, possibile non esse. Eadem quoque ratio est, & in ea quod est contingens esse, etenim negatio eius est, non contingens esse, & in alijs quoque simili modo, ut in necessario, & impossibili, fiunt enim quemadmodum in illis esse, & non esse oppositiones, &c.

Ad secundam cōclusionem accedit in præsenti contextu Aristoteles. in qua rationem replicat. quia. d. impossibile esse simul ueras oppositiones inter se cum subdit dicens. quod vnum ex duobus contingit dicere, idest oportet concedere. aut idem contingit simul, & affirmare, & negare, quod est oppositum primi principij. aut in istis non fieri affirmationes, & negationes secundum esse, & non esse. si ergo illud primum impossibile est, (scilicet apponendo negationem verbo) ergo hoc secundum dictum erit magis eligendū, quod. s. in propositionibus de modo non sit accipienda negatiua per negationem verbi. ergo per negationē modi, ut scilicet huius affirmatiuę possibile esse sit negatiua: non possibile esse: & non illa: possibile non esse. Similiter de alijs modis est dicendum: hic autem notandum, quia licet idem non possit simul esse, & non esse; simul tamen est potens esse, & non esse, hoc est, simul habet potentiam ad utrunq; propterea quod res cum actu est, habet potentiam ad non esse. igitur quāuis idem non potest simul esse & non; tamen est simul potens esse, & non esse. deinde subdit dicens ueritatem determinando, quasi dicat, quia ergo ita

est, ergo negatio eius quæ est, possibile est esse, erit illa quæ.d. nō possibile est esse. & sic negatio non erit uerbo adiuncta. similiter dicendum est de contingenti: nam ea quæ dicit contingit esse, negatio sua est, nō contingit esse, & in alijs, simili modo dicendum est, ut in necessario, & in impossibili, ut necesse esse, non necesse esse. possibile est esse. Notatione hic dignū est: quod si additur negatio in modalibus ad uerbū infinitiui modi: tunc non facit modalem oppositionem: sed si addatur verbo indicatiui modi: tunc facit oppositionem: ut istæ sunt oppositæ: possibile est esse, possibile non est esse: & ratio est quia ipsum, est, ponit affirmationem modi. cumque ipsum negatur, & modus negatur: negatio autem, & affirmatio faciunt oppositionem in modalibus orationibus. deinde subdit ueritatem, cum dicit: quod quemadmodū in illis, supple, enunciationibus de inesse, esse, & non esse, sunt appositiones, idest, esse, & non esse copulant, uel appositiones, idest prædicata, eo quòd se tenent ex parte prædicati, & ipsi esse additur negatio. subiectæ uero res, i. res de quibus agitur, siue nomina sunt subiecta, ut homo album. hoc quidem album quantum ad prædicatum, ut homo est album. illud vero homo quantum ad subiectum: sic eodem modo in hoc loco, idest in modalibus propositionibus, esse quidem subiectum est, quod est propositionis modalis dictū modus uero ut cōtingere, & posse, &c. sunt appositiones quædam determinantes veritatem, & falsitatem, idest ex quibus ueritas, & falsitas sumitur. quemadmodum eam in alijs determinauit esse, & non esse. Notandum autē est secundum Io. And. quod in omni propositione modali distinguitur dictum, & modus: dictum est ipsum esse cum subiecto, de quo aliquid affirmatur aut negatur. ideo semper ponendū est à patre subiecti, modus autem est ipsa determinatio addita: quæ licet totam compositionem determinet: tamē ex parte prædicati se tenet, uerbi gratia, Sortes currere est possibile. Sortes currere est dictum, & subiectum. si est possibile, est prædicatum. sicut igitur in propositionibus de inesse, esse, ponitur a parte prædicati, & ei addenda est negatio ad habendam contradictionē: sic in propositionibus modalibus, modus ponitur a parte prædicati, & ei addenda est negatio. deinde subdit dicēs: eius vero quæ est, possibile est non esse, supple, se habet similiter: nanq; negatio sua non est ea quæ dicit, non possibile est esse; sed illa quæ dicit, nō possibile est non esse: probat autem per locum a simili dicens. & eius quæ dicit possibile est esse, non ea quæ possibile est non esse, sed ea quæ est non possibile est esse. quare uidebuntur, idest putabuntur sese inuicem sequi, scilicet, possibile est esse, & possibile est non esse: quia ut supra dicimus idem est possibile esse, & nō esse: & per consequēs sicut ad posse esse sequitur posse non esse: sic econuerso. ad posse non esse, sequitur posse esse. non enim sunt contradictiones sibiinuicem, possibile est, esse, & possibile est non esse. sed possibile esse est esse, & non possibile est esse, nunquam simul in eodem uerę sunt. & ratio est, quia opponuntur. similiter neque ea quæ est, possibile non esse, & non possibile non esse: nunquam in eodem uerę sunt. posuit deinde de necessario dicēs. similiter autem & eius quæ est, necessarium est esse, non est illa, sua negatio quæ dicit necessarium non esse: sed illa est quæ dicit non necessarium est esse. eius uero quæ dicit necessarium est non esse; ea est quæ dicit non necessarium non esse. de impossibili ponit deinde subdens sic: & eius, supple, affirmationis quæ est impossibile esse, negatio non est ea, quæ est

est impossibile non esse, sed hæc non impossibile esse. eius vero quæ est impossibile non esse: ea est oppositio quę est, non impossibile non esse. concludit demum dicēs. Vniuersaliter uero, (quemadmodum dictū fuit) esse quidem, & non esse oportet ponere quēadmodum subiecta, quasi dicat, quod sicut dictum est in enūciationibus modalibus: oportet ponere esse, & non esse sicut subiecta: sed negationem, & affirmationem facientem hæc, idest opposita: oportet ad unum, idest, ad modum tantummodo ponere: qui se ex parte prædicati teneat. & oportet putare esse oppositas dictiones, hoc est, affirmationes, & negationes has: quæ sunt possibile esse, & non possibile esse: contingens esse, & non contingēs esse impossibile, non impossibile. necessarium esse, non necessarium esse. verum esse, non uerum esse. ita ut uniuersaliter addatur negatio ad modū, non autem addatur uerbo. Notandum autem est: quod duplex est subiectum in propositione modali, scilicet, subiectum enunciationis, & subiectum locutionis. subiectum enunciationis dico totum dictum ut sortes currere. sed subiectū locutionis id dicitur de quo est sermo, ut prima pars dicti nempe sortes tantum.

Consequentiæ uerò secundum rationem fiunt, cùm ita ponuntur, illa enim quæ est, possibile esse, sequitur ea quæ est, contingit esse, & hæc conuertitur illi, & non impossibile esse, & non necessarium esse, illam uero quæ est, possibile non esse, & contingens non esse, ea quæ est, non necesse non esse, & non impossibile non esse, illam autem quæ est, non impossibile esse, & non contingens esse, ea quæ est impossibile esse, & necesse non esse, illam uero, quæ est, non possibile non esse, & non contingens non esse, ea quę est, impossibile non esse, & necessarium esse. consideretur autem ex subscriptione quemadmodum dicimus.

Supra de oppositione enunciationū modalium: in præsenti uero contextu agit de consequentijs: ostendensque ordinem, (secundum aliorum opinionem) quo fiunt huiusmodi consequentiæ: dicit igitur quod consequentiæ modalium enunciationum fiunt secundum ordinem qui dicetur: & hoc est, quod dicit ipse quod consequentię fiunt secundum rationem, & ita ponuntur, quia illa quæ est possibile esse: sequitur illa, quæ est contingere esse. hoc autem dixit, eo quod iste ordo nō est secundum propriam sententiam, sed aliorum, quia ponunt huiusmodi, vt dictum est, scilicet, quod illi enunciationi quæ est possibile esse: sequitur illa quæ est contingere esse. ita qđ conuertit secum: & non impossibile esse, & non necessarium esse. sed illa q̄ est, possibile est non esse, & illa q̄ est contingens non esse: secundū eos consequitur ea quę est, non impossibile nō esse: & ea quę est, non necesse nō esse illi uero quę est, non possibile esse, & non contingens esse; sequitur illa quę est, impossibile esse, & necesse non esse: illi quæ est, non possibile non esse, & non contingens non esse: sequitur illa quæ est, necesse est esse, impossibile non esse. hoc autem consideretur ex ista subscriptione, uel figura.

Secundum alios modalium enunciationum consequentiæ.

Ordo I. Antecedentes. Possibile esse. Contingens esse. Sequentes Non impossibile esse. Non necessarium esse.	Ordo III. Antecedentes. Non possibile esse. Non contingens esse. Sequentes Impossibile esse. Necessarium non esse.
Ordo II. Antecedentes. Possibile non esse. Contingens non esse. Sequentes. Non impossibile non esse. Non necessarium non esse.	Ordo IIII. Antecedentes. Non possibile non esse. Non contingens non esse. Sequentes. Impossibile non esse. Necessarium esse.

In hac figura si perspicies, omnia erũt plana iuxta opinionem dicentium sic, vt ipsa patet. dixerunt enim pro sequentijs illas sequentes habere,& ecõtra pro antecedentibus; habere illas, quæ ab ijs consequuntur.

Hæ igitur,impossibile,& nõ impossibile, eam quæ est contingens,& possibile,& non cõtingens, & nõ possibile sequuntur quidem contradictorie:sed conuersim,eam enim,quæ est, possibile esse,negatio impossibilis,sequitur, quæ est, non impossibile esse, negationem uero affirmatio,nam illam nõ possibile esse, ea quæ est, impossibile esse;affirmatio enim est,impossibile esse, non impossibile uero negatio.

Hæc est tertia conclusio huius capitis: in qua ostendit quid sit ueritatis in ista opinione, & quid falsitatis. duoq; facit.Primo quid sit veritatis. Secundo quid sit falsitatis nempe in quarta conclusione.dicit ergo, quod hæ propositiones, scilicet de impossibili cum possibili rectè positę fiunt.dicens quod impossibile, & non impossibile: sequuntur ad possibile, & non possibile.contingens,& non contingens; sed cõtradictione,& conuersim: nam ad affirmatiuam de possibili, aut contingenti: seqnitur negatiua de impossibili:ut ad illud quod est possibile esse,sequitur nõ impossibile est esse,quæ est negatio impossibilis. similiter ad negationem de possibili sequitur affirmatio de impossibili,ut ad non possibile esse sequitur impossibile esse. hoc autem manifestũ est, quod impossibile esse est affirmatio,& non impossibile esse est negatio. hæc omnia manifesta sunt in illa figura,quam supra affirmauimus.

Necel-

Necessarium uero quemadmodum se habet, considerandum est. Manifestum est enim, quod non eodem modo se habet, sed contrarię sequuntur, contradictorię autem sunt extra, non enim est negatio eius, quę est necesse non esse, ea quę est, non necesse esse; contingit enim ueras esse utrasque in eodem, quod enim est necessariũ non esse, non est necessarium esse. Causa autem huius est, cur non sequitur necessarium similiter cęteris, quoniam contrarię, impossibile esse, necessario redditur idem ualens. Nam qđ impossibile esse, necesse hoc non quidem esse, sed potius nõ esse, quod uero impossibile nõ esse hoc necessarium est esse, quare si illa similiter sequũtur impossibile, & non impossibile; hęc econtrario, quoniam non significant idem necessarium, & impossibile; sed (quẽadmodum dictum est) conuersim.

Circa quod, opinio illa est falsa, in præsenti ostẽdit Aristoteles: & est hæc quarta huius capitis conclusio, quia igitur antiqui uniuersales contrarias attulerunt rectè ex alijs; particulares autem earum male, ideo dicit, quod considerandum est, de his quæ sunt, de necessario qualiter se habeant, scilicet in consequendo illas de possibili, & non possibili, quasi dicat, quod propositio de necessario quomodo se habet considerandum est, quia non sic se habet vt antiqui illi ponebant. ideo subdit, quod manifestum est, quoniam nõ eodem modo, supple, ad illam de possibili sequitur, sicut illa de impossibili per negationem præpositã, uerbi gratia dicendo non necesse est non esse. sed opponens de necessario contrarie quidẽ illas de possibili sequuntur iuxta illorum opinionem. contradictoriæ autem sunt extra, idest non sunt collocatæ recto ordine, quasi dicat, quia ꝓpositiones in primo angulo debent poni contradictoriæ: similiter in tertio. ipsi autem in primo angulo ponunt hanc enunciationem, non necesse est esse, & in tertio hanc, necesse est non esse, quæ quidem duæ non sunt cõtradictoriæ, id est quod dicit ipse, quod ea quæ est non necesse esse, non est negatio sua illa quę est, necesse non esse. probatio huius est, quia impossibile est duas contradictorias simul esse ueras; sed contingit ueras utrasque esse in eodem: quoniam illud quod est necessarium non esse, non est necessarium esse. igitur vna harum non est negatio alterius. declaro exemplo: bouem necesse est non esse hominem, & est uera. bouem non necesse est esse hominem, similiter hæc est vera. affert rationem quare illa propositio de necesse esse non sequitur eodem modo ad illam de possibili sicut illa de impossibili cõtrarie sumpta. dicit igitur quod causa cur non simili modo cũ cęteris, contradictoriæ illæ de necessario sequuntur contradictorias de possibili, hæc esse uidetur, quia impossibile redditur idem ualens necessario ipso, idest æquiualet necessario cõtrarie, hoc est, contrario modo sumptum, non autem eodem modo, ut impossibile est esse non huic idem, necessarium est esse, sed huic potius necessarium est nõ esse,

esse, & hæc impossibile est non esse, huic idem potest necessarium est esse Quare ergo si ille enunciationes de necessario, contrariæ similiter illis de impossibili respondent, ut respondet possibile illis de impossibili, & non possibile contradictorie, manifestum est; necessarium esse, & impossibile esse non significare idem neque idem valere. quoniam non significant idem necessarium non esse, & impossibile non esse. sed (quemadmodum dictum est) conuersim sequi ac respondere.

At certè, impossibile est sic poni contradictiones necessarij; nam quod necessarium esse, possibile esse; nam si non, negatio consequetur, necesse enim est aut affirmare, aut negare. quare si non possibile esse; impossibile esse. igitur impossibile esse, quod necesse esse, quod est inconueniens.

Hæc est quinta conclusio huius capitis, in qua adducit aliam rationem, scilicet, impossibile esse contradictiones necessarij, scilicet, particulares, quæ vniuersalibus contradicunt poni ita, vt ponebat illa opinio, & ratio est quia ad necessarium esse sequitur possibile esse. dicit igitur. at certe impossibile est, collocare sic cõtradictiones necessarij, ut in ordinatione superioris descriptionis positum est: nam, supple, bene sequitur secundum mentem antiquorum, quod necessarium esse possibile esse, idest necesse est socratem esse; igitur possibile est Socratem esse, & non impossibile est esse, & si non impossibile est; ergo non sequetur, quasi dicat, nam eam quæ est possibile esse non sequitur non necessarium esse, quia quod est necessarium esse, possibile est esse: nam si non, idest si ita non fuerit, consentiet, uerá; negatio, sic quod necessarium est esse, non sit possibile esse. necesse enim est aut affirmare, aut negare. Atqui quod non possibile est esse, id impossibile est esse. Erit igitur quod necessarium est esse, impossibile esse, quod nimium est absurdũ, ac impossibile. Igitur quod necessarium est esse, possibile est esse, & quod possibile est esse, non impossibile esse consequitur. hanc autem non impossibile est esse, ex descriptione consequitur hæc non necessarium est esse: quare hanc necessarium est esse, consequetur hæc nõ necessarium est esse, quod impossibile, & absurdum est. igitur non eam quæ est possibile esse, consequitur hæc non necessarium esse.

At uero illam quę est, possibile esse non impossibile esse, sequitur, hanc uero, ea quę est, non necessarium esse, quare contingit, quod necessarium esse, non necessarium esse, qđ est inconueniens. At uerò, neque necessarium esse, sequitur eam quæ est, possibile esse, neque ea quæ est, necessarium nõ esse, illi enim utraque cõtingit accidere. harum autem utralibet uera fuerit, non erunt illa uera, simul enim possibile esse, & non esse. si uero necesse esse, uel non esse, non erit utrunque possibile. relinquitur ergo. non necessarium nõ esse, sequi eam quæ est, possibile esse.

Sextam conclusionem in præsenti contextu adducit Philosophus. dicẽs.

at uero eam, quæ est posſibile eſse, cõſequitur non neceſsarium non eſse: nam hæc enunciatio neceſsarium eſse non ſequitur hanc affirmationem poſſibile eſse, neque hæc neceſsarium nõ eſse, ſupple, eandem ſequitur affirmationem. ſiquidem (& hæc eſt ratio) ei renunciationi, quæ eſt poſsibile, eſse vtraque accidere poſsunt eſse, & non eſse, quia poſsibile dicitur eſse de aliquo, quod poteſt eſse, & non eſse. Sed ſi utrumlibet horum duorum uerum fuerit, ſcilicet, ſiue neceſse eſse: ſiue neceſse non eſse: illa ambo non erunt vera, ſcilicet eſse, & non eſse. Addit deinde, quod ſimul aliquid poſsibile eſt eſse, & non eſse. Si uero fuerit aliquid neceſsarium eſse, aut non eſse: tunc non erit poſsibile ipſum poſse vtraque reſpicere, ſcilicet, & eſse, & non eſse. ſic igitur ad poſsibile eſse, non erit utrunque, ideſt non ſequitur non neceſse eſse; nec neceſse eſse; nec neceſse non eſse. relinquitur ergo non neceſsarium non eſse, conſequi ei quæ eſt poſsibile eſse.

Hæc enim uera eſt, & de neceſse eſse, hæc enim fit contradictio eius, quæ ſequitur illam, quæ eſt, non poſsibile eſse: illam enim ſequitur ea, quæ eſt impoſsibile eſse, & neceſse non eſse, cuius negacio eſt, non neceſse non eſse. Sequuntur igitur, & hæ contradictiones ſecundum prædictum modum, & nihil impoſsibile contingit ſic poſitis.

Septima concluſio, & corrolariũ eſt cum dicit hoc eſt verũ de neceſse eſt eſſe, ſcilicet quod nõ ſequitur ad illam poſſibile eſt eſſe. ſed hæc, ſcilicet de neceſſario quæ ſequitur ad poſſibile eſſe fit contradictio, ideſt fit cõtradictoria eius quæ ſequitur ad non poſſibile eſt eſſe: illud enim ideſt ad non poſſibile, eſſe ſequitur hoc quod eſt impoſſibile eſſe: & neceſſe eſt non eſſe: cuius negatio eſt non neceſſe nõ eſſe. ergo ad poſſibile eſſe ſequitur non neceſſe eſt non eſſe, & non alia. dd. epilogat. d. quod contradictiones, ideſt affirmationes & negationes ſequuntur ſe, ſecundũ prædictum modum. & ſic nihil incommodi ſequitur ex iſtis conſequentijs; alia vero opinio ecõtra ponebat ut patuit.

Enun-

Enunciationum modalium consequentiæ, secundum Aristotelem.

Subcontrariæ

Ordo I.	Ordo II.
Antecedentes.	Antecedentes.
Possibile esse.	Possibile non esse.
Contingens esse.	Contingens non esse.
Sequentes.	Sequentes.
Non impossibile esse.	Non impossibile non esse.
Non necessarium non esse.	Non necessarium esse.

Subalternæ. — contradictoriæ — contradictoriæ — Subalternæ.

Ordo III.	Ordo IIII.
Antecedentes.	Antecedentes.
Non possibile non esse.	Non possibile esse.
Non contingens non esse.	Non contingens esse.
Sequentes.	Sequentes.
Impossibile non esse.	Impossibile esse.
Necessarium esse.	Necessarium non esse.

Subcontrariæ.

In hac autẽ figura, facile perspicies quæ sequuntur, & quæ non sequuntur, secũdum ipsummet Philosophum. Vbi notandum est, quod tertius ordo cum secundo, positæ dicuntur esse contradictoriæ: sic intelligendum de primo cũ quarto, quæ vero aliter positæ sunt contrariæ, & subcontrariæ dicuntur, reliqua clara patent.

Dubitabit autem aliquis, si illam, quæ est, necessarium esse, ea quæ est, possibile esse sequitur. Nam si non sequitur, contradictio sequetur, quæ est, nõ possibile esse; & si quis hanc nõ esse dicat contradictionem; necesse est dicere, possibile nõ esse; quæ utræq; falsæ sunt, de necesse esse. At verò rursus idem videtur esse possibile incidi, & non incidi, & esse, & non esse; quare erit necesse esse, contingens non esse; hoc autem falsum est, &c.

Dubitationem ponit Aristoteles, dupliciq; ratione illam probat. Deinde determinat veritatem in eodem contextu, dicit igitur, quod aliquis dubitabit, si illa affirmatio possibile esse, sequitur ad necesse esse, vt dictum fuit: quia si non sequitur cõtradictio sequetur. quæ est non possibile esse, quæ est contradictoria, vt patet in figura, & si quis hoc non concedat hanc esse contradicto-

tradicto-

tradictoriam, necesse est dicere quod erit illa quæ dicit possibile non esse, quæ veræque falsæ sunt, quia una est cõtraria, & altera est contradictoria, scilicet possibile non esse: & non possibile esse. igitur verum est dicere quod ad ipsum necesse esse sequitur possibile esse. Ad partem deinde oppositam argumentatur cum dicit: at vero vnum & idem in re, est possibile esse, & possibile nõ esse: videturque idem esse possibile incidi, & nõ incidi. Si igitur possibile esse, sequitur ad necesse esse: ad idem ipsum, scilicet necesse esse, sequitur illa quæ est possibile nõ esse. ex qua idem in re potest esse, & nõ esse. igitur quod necesse est esse, contingeret non esse, quod est falsum. igit falsum quoq; videtur quod ad necesse esse sequitur possibile esse. veritatem determinat cum subdit dicens: Manifestum est q̃d non omne, quod possibile est, vel esse, vel ambulare, aliquidve agere, opposita etiam posse, idest non valet illa ratio facta ad probandum, quod possibile non sequitur ad necesse: supponit enim quod possibile se habet ad opposita: quod quidem falsum est. Propterea quod hoc manifestum uidetur, nõ omne possibile esse, vel ambulare, valere ad opposita. sed est dare aliqua, in quibus non est verum hoc quod dicitur, vt patet in illis rebus quæ nõ possunt agere, secundum rationem: sed secundum naturam agunt. vt ignis calefactiuus est, & habet vim, vel potentiã irrationalem, quasi dicat, quod quædã potentiæ, siue possibilitates sunt secundum ratione, vel rationales, vt humanæ, quæ ad opposita possunt; aliæ non secundum rationem idest, existunt irrationales, vt ignis potest calefacere, sed non secundum rationem, sed secũdum naturam, & irrationabiliter. Hic potest notari, quod licet ignis absente materia non calefaciat, tamen illa præsente non potest non calefacere. Si qs hoc non credit, probet. & non potest ad oppositum inclinari. quod aliter se habent rationales operationes ostendit, dicens: quæ igitur potestates sunt, idest possibilitates, seu potentiæ secundum rationem, vel rationales: ipsæ eedem sunt actiuæ plurium: suntque actiuæ contrariorum, verbi gratia, homo potest legere, & non legere. sed potentiæ irrationales non omnes ad opposita se habent; sed (quemadmodum diximus) scilicet, non est possibile quod ignis non calefaciat præsentem materiam, similiq; modo est de omnibus alijs quæ quantum de se semper suam actionem propriam agunt. Alia uero sunt quæ etiam secundum potestates, seu possibilitates irrationales possunt circa opposita: ut ferrũ potest calefieri & non calefieri: quoniam ergo dictum hoc totum est, vt appareat, quod etiam secundum unam & eãdem speciem sumendo possibilitatem, uel potentiam: nõ q̃ omnes potestates oppositorum sunt: idcirco falsum supponebat. Oppositio autem dupliciter sumi potest, scilicet, priuatiue, vel contrarie: & utroq; modo dicitur esse oppositorum potentiam rationalem. Exemplũ primi ambulare, non ambulare: dicunt enim priuationem negationem huius actus. Exemplum secundi ascendere & descendere, quæ sunt actus contrarij. Exemplum iterum primi possum amare, & non amare. Secundi amare & odire qui sunt duo actus contrarij.

Quædam uerò potestates æquiuocę sunt; possibile enim nõ simpliciter dicitur, sed hoc quidem, q̃m verũ est q̃d ĩ actu est, ut possibile ambulare, &c.

Hæc est octaua cõclusio, quod quędam potestates sunt æquiuocæ, idest diuersæ rationis. dicit igitur, quod quædam potestates, i. possibilitates, sunt

ęquiuocę,ideſt nō vno modo;quia poſſibile quod dicitur ſecundum poteſtatem,vel potentiam,non dicitur ſimpliciter,ſcilicet,uno modo, ſed pluribus: quoniam hoc poſſibile verum eſt de eo quod eſt,vt in actu.quemadmodum dicitur ambulare qui actu ambulat, & omnino vel totaliter dicitur poſſibile eſſe:quoniam iam in actu eſt. ſed illud quod poſſet eſſe actu , vt poſſibile ambulare: quoniam ambulare poſſet cũ, vult; dicitur potentia ambulatiuum. Manifeſtat deide diuerſos modos poſſibilium fieri in diuerſis rebus.cum dicit: quod hęc poteſtas qua dicitur poſſibile etiam illud quod non eſt actu: ſolum in rebus mobilibus eſt.propterea quod immobilia ſempiterna ſunt: & nec inueniuntur quandoque non eſſe in actu. illa uero ſupple alia poteſtas qua dicitur poſſibile id quod eſt actu in immobilibus reperitur: quoniam ſi non poſſent eſſe actu, nũquam actu eſſent:quia igitur vtroque modo poſſibile ſibi opponitur impoſſibili. ideo dicit quod vtrumq, verum eſt dicere, nō impoſſibile eſſe;ſicut dicimus quod nō eſt impoſſibile ambulare tam eum qui ambulat actu: quam eum qui actu non ambulat , ſed ambulatiuum eſt.

Sic igitur impoſſibile nō eſt verum de neceſsario ſimpliciter dicere, alterum autem verũ eſt &c.

Nonam concluſionem ponit Ariſtoteles in pręſenti contextu.cum ſubdit dicēs: quod ſic ſumptum poſſibile hoc tertio modo, ſcilicet, hoc poſſibile qđ de eo dicitur, quod non actu eſt,nō eſt verum de neceſſario : quoniã neceſſarium ſemper eſt in actu. ſed alterum poſſibile, quod de eo quod eſt actu dicitur.eſt verum de neceſſario,& ſequitur ad ipſum neceſſe eſſe. Concludit igitur dicēs, quod ad illud quod eſt de neceſſitate,vel ad neceſſarium , ſequitur poſſibile eſſe,quaſi dicat,ſi neceſſarium ergo poſſibile: ſed non omne,id eſt , ſed ſecũdum omnem totalitatem, ideſt non in omnibus modis, de neceſſario verificatur.

Et eſt quidem fortaſse principium quod neceſsarium eſt, & quod non neceſsarium eſt, omnium vel eſse, vel non eſse. & alia, veluti horum conſequentia, conſiderare oportet.

Anorum modorum ad ipſum neceſsarium conſequentia.	
Ordo I.	Ordo II.
Antecedentes.	Antecedentes.
Neceſsarium eſt eſse.	Neceſsarium eſt non eſse.
Conſequentes.	Conſequentes.
Non poſsibile eſt non eſse.	Non poſsibile eſt eſse.
Non contingens eſt non eſse.	Non contingens eſt eſse.
Impoſsibile eſt non eſse.	Impoſsibile eſt eſse.
Ordo III.	Ordo IIII.
Antecedens.	Antecedens.
Non neceſsarium eſt eſse.	Non neceſsariũ eſt non eſse.
Conſequentes.	Conſequentes.
Poſsibile eſt non eſse.	Poſsibile eſt eſse.
Contingens eſt non eſse.	Contingens eſt eſse.
Non impoſsibile eſt nō eſse.	Non impoſsibile eſt eſse.

Mani-

Manifestum est aūt ex ijs, quæ dicta sunt, quod id qđ ex necessitate est, secundum actum est. quare, si priora sunt sempiterna; & quæ actu sunt potestate priora sunt. Et hęc quidem sine potestate actus sunt, ut primæ substantiæ. alia verò, cum potestate, quæ natura quidē priora sunt, tempore verò posteriora. alia autem nūquam actus sunt, sed potestates solum.

Decimam, ac vltimam conclusionē ponit Aristoteles in præsenti cōtextu. ponitq; in hoc ordine, consequentias de necessario, & in hoc differt à superiori ordine, quoniam de possibili ponebantur consequentię, hic vero de necessario. dicit igitur & est quidem fortasse necessarium principium omniū, vel esse quantum ad affirmatiuas pertinet: uel non esse, quantum ad propositiones negatiuas; in modalibus propositionibus, quasi dicat, quod necesse esse, est prius omnibus affirmatiuis, & non necesse esse, omnibus negatiuis. deinde subdit, & alia supple, dicta secundū alios modos ad ipsa consequuntur, sicuti considerare oportet in hac figura de necessario supra posita: consequentiam supradicti ordinis manifestat recte positam: probatque duabus rationibus: prima est cum dicit, quod manifestum est ex his, quæ dicta sunt, quod id quod ex necessitate est secundum actum, est semper. quare ergo, si priora sunt sempiterna, & quæ sunt actu, potestate quoq; priora sunt. igitur per consequens, ante possibile ponitur necessarium in modalium consequentia. secundam rationem ponit deinde cum dicit, quod in his rebus, hęc quidē sine potestate actus sunt, idest quędam sunt quæ sine potestate semper actu sunt: vt primæ substantię, idest substantiæ separatæ, vt angeli. Alia verò supple entia sunt actu cum potestate addita, vt naturalia, generabilia, & corruptibilia: quæ quatenus sunt actu priora sunt, quam quæ sunt potestate. Vbi notandum est, quod naturaliter potentia est prior actu, & actus est posterior tēpore. quod est dicere, illa quæ sunt, prius fuere potentia deinde actu facta sunt. alia autem sunt nunquam actus, sed solum potestates, idest, non in permanenti actu, sed in potentia, quemadmodum est motus: qui nunquam permanet. igitur quia illa, quæ in entibus sunt actu, semper, sunt cæteris priora: cōuenienter semper ponitur prius necessarium in consequentia modalium quam possibile.

Quæ enunciationes contrariæ magis sibi inuicem esse dicantur. Cap. IIII.

Vtrum autem contraria est affirmatio, negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, quæ dicit, quod omnis homo iustus est, ei quæ est, nullus homo iustus est; aut omnis homo iustus est ei quæ est, omnis homo iniustus est; vt, est Callias iustus, nō est Callias iustus, Callias iniustus est, vtra harum contraria est?

Proponit Aristoteles vtrum affirmatio quæ est omnis homo est iustus, sit ei contraria quę est nullus homo est iustus: aut non huic negationi, sed huic affirmationi, omnis homo est iniustus: habet autem hoc caput hanc quæstionē & tres conclusiones. Dicit ergo qđ supple dubitatio est vtrum affirmatio

sit affirmationi contraria, vel affirmatio negationi: & vtrum oratio sit orationi contraria, vt puta hæc, quæ dicit omnis homo est iustus: an sit contraria ei, supple, propositioni quæ est, nullus homo est iustus aut si ista propositio est cõtraria ei supple affirmationi quæ est omnis homo est iniustus, ei omnis homo est iustus. idem est iudicium in singularibus; vt Callias est iustus an sit contraria ei, quæ dicit, non est Callias iustus; an ei quæ dicit, Callias est iniustus; quæ igitur harum erit contraria? Notatione dignum est, quod Aristoteles loquitur hic de oppositione largo modo, non autem strictè.

Nam si ea, quæ sunt in voce, sequuntur ea, quæ sunt in intellectu, illic autem contraria est opinio contrarij, vt quod omnis homo iustus est, ei quę est, omnis homo iniustus est; etiam in ijs, quę sunt in voce affirmationibus necesse est similiter se se habere. quod, si neque illic contrarij opinio contraria est; nec affirmatio affirmationi erit contraria; sed ea quę dicta est, negatio; quare cõsiderandum est, quæ opinio falsa opinioni veræ contraria est, vtrum negationis, an ea quæ contrarium esse opinatur. Dico autem hoc modo. est quædam opinio vera boni, quod bonum est; alia autem quod non bonum, est falsa. alia verò quod malum; vtra harum contraria vera? & si est vna, scd'm quam contraria?

Accedit ad primam conclusionem Aristoteles: declaransque, ex quo veritas huius dubitationis sit sumenda, dicit igitur, quod si ea quę sunt in voce, idest quæ loquimur, sequuntur, i. sunt notæ, vel signa eorum quæ sunt in anima, idest propositio quæ in mente est, opinio sit contraria, quæ est contrarij prædicati, vt hæc propositio, omnis homo est iustus; sit contraria isti. omnis homo est iniustus. Similiter dicẽdum est in iis affirmationibus, quæ sunt in voce. quod si in anima non est sic; vt opote opinio contrarij prædicati est contraria: igitur nec affirmatio affirmationi contraria erit, in voce, quia illæ quę sunt de contrarijs prædicatis possunt esse ambæ affirmatiuæ simul, vt dictũ est. igitur si quod dictum est non erit contradictio; illa erit quæ dicta est negatio, supple affirmationi erit contraria. quare considerandum est, quæ opinio, idest propositio mentalis falsa, est contraria opinioni veræ: vtrum sit negatio cõtraria affirmationi. aut ea quæ esse contrarium, idest contrarij prędicati opinatur. propterea quod sicut erit in anima, sic in voce. cum ergo sint istæ duę opiniones, considerandum est cui adhęrere possimus. subdit dicens; dico autẽ hoc modo, quod est opinio quædam de bono vera. ut puta quę de bono opinatur; quoniã bonum est, verbi gratia, bonum est bonum. alia opinio falsa est; ut puta quæ opinatur de bono: quoniam bonum non est, verbi gratia, bonum non est bonum. & hæc est negatiua primæ. est autẽ & alia opinio falsa de bono, quæ opinatur, quoniam malum est, verbi gratia, bonum est malum. & hæc affirmatiua est sicut prima: sed de cõtrario prædicato. Igitur videndum est, quæ harum duarum falsarum est contraria illi veræ quę dicit, bonum est bonum? & si est una contraria, nõ autem ambę; secundũ quam est contraria? scilicet, an illa, bonum

non

non est bonum: uel illa bonum est malum? Vnde hic est notandum, signa debere signatis se cõformari: propterea quod enunciationes quæ sunt in voce sunt signa opinionum animæ. necesse est, quod in veritate & falsitate, & oppositione eis conformentur. ideo uult Philosophus veritatem sumendam de enunciationum oppositione, ex oppositione talium opinionum.

Nam arbitrari cõtrarias opiniones definiri, eo quod contrariorum sunt, falsum est. Boni enim quod bonum est, & mali quod malum est, eadem fortasse opinio est etiam vera, siue plures, siue vna sit. &c.

Hęc est secunda conclusio huius capituli: in q̃ua ostendit illas duas opiniones, non esse contrarias: quæ modo contrario opinãtur. Dicit igitur: quòd arbitrari contrarias opiniones definiri, idest determinate esse; eo quod sunt contrariorum prædicatorum, & subiectorũ, falsum est. probat minorem dicẽs; quod opinio boni, quod est ipsum bonum, eadem fortasse supple specie est opinio ipsius mali, quod malũ est: eo quod vtraque est in specie affirmatiuæ opinionis: & vere est, scilicet una, sicut reliqua. est tamen eadem una specie cum reliqua, siue vna tantum de eis sit vera, siue plures, i. ambæ sint ueræ. deinde subdit quod ista quæ sunt ĩ opinione sunt contraria, nõ eo quod sunt cõtrariorum prędicatorum: sed magis in eo quod contrarię sunt. quia si est una armatiua de aliquo, alia est de eodẽ negatiua, vel clarius explicetur: quia verum verò non contrariatur. & q̃a cõtraria non possunt simul stare. verũ stat cum vero: sed opiniones quæ opinãtur contraria de cõtrarijs simul possũt esse ueræ: ut bonum est bonum, & malũ est malum. vtraque est vera. Dicit igiẽ q̃d falsum est arbitrari contrarias opiniones, i. propositiones mẽtis dicit cõtrarias: eo quod sunt contrariorum terminorum, vt iustum, & iniustum. Opinio boni est, q̃m bonum est, & mali q̃m malum. Fortasse ergo erit eadem opinio: hoc est, sunt simul veræ, bonum est bonum, & malum est malum. quare patet non esse contrarias propter hoc.

Si ergo est boni quidẽ, quod est bonum, opinio; alia autem quod nõ bonum est; est autem aliquid aliud quod non est, neque esse potest; aliarum quidẽ nulla ponenda est, &c.

Tertiam cõclusionem ponit Aristoteles, cũ sex rõnibus, quarũ prima est in hoc contextu. deinde duo prębet documẽta. probatq; illas opiniones nõ esse cõtrarias, quę opinant cõtraria ꝑdicata de eodem subiecto: quia unũ unitantum opponitur, quod est verum in genere oppositionis. sed illa quæ contraria opinantur prædicata de eodem supple subiecto, sunt plures. ideo dicit si propositio hæc in mente, quæ est bonum est bonum, & alia opinio bonum non est bonum sunt contrariæ: si inquã ita est, contingit alias opiniones esse, quæ opinantur de bono aliquid aliud, quod non est, neque esse potest: puta ut bonum est malum, bonum est inhonestum, &c. nulla autem illarum aliarum ponenda est contraria primæ. nec illa, quæ opinatur esse quod non est: neque illa quæ opinatur nõ esse, quod est, verbi gratia, exemplum primi ut bonum est malum. exempl. secundi, bonũ non est iustum. quoniam infinitæ utręque sunt, siue sit quæ opinatur esse, quod nõ est: siue quæ opinatur non esse q̃d est. ponit deinde solam rationem, ad hãc tertiam conclusionem cum dicit. quod illæ opiniones sunt contrariæ in quib.

est

est prima fallacia.i. falsitas: sed prima falsitas est in illis, quæ modo cõtrario opinantur: ideo hoc est quod dicit. qđ non in supradictis est contrarietas, sed in quibuscunque est fallacia. i. prima falsitas, supple, cõtrariantur ueris. sed hęc prima falsitas est ex his, ex quibus fiunt generationes. sed generationes fiunt ex oppositis. igitur etiam fallacię fiunt secundum affirmationem, & negationem eiusdem de eodem.

Si ergo quod bonum est, & bonum, & non malum est, & hoc quidem secundum se, illud verò secundum accidens (accidit enim ei non malum esse) magis autem in unoquoq; uera est, quæ secundum se est etiã falsa, siquidem & uera, &c.

Tertiam ponit rationem Aristo. quæ est qđ illa, q̃ magis distant magis quoque ponenda sunt contraria: eo quod contrarietas ipsa maximam denotat distantiam. sed negatio affirmatioq; eiusdem de eodem magis, quã contrariorum affirmationes distant: igitur sunt ponendæ illæ potius contrariæ, quam istæ. ideo dicit Philosophus: si ergo id quod bonum est, est bonum, & nõ malum, & hoc, supple, esse bonum est secundum se verum, illud uero. s. bonum non est malum, est verum secũdum accidens, uel secũdum aliud: (accidit enim. s. quod est bonum, nõ esse malum) magis autem in unoquoque est uera, quæ est vera secundum se, & ea falsa magis est, quæ est falsa secundum se. sicut dictum est de uera: & tales per consequens opponuntur: ergo ea quæ dicit, uel quæ est, quod bonum non est bonum, est falsa secundum se: illa uerò, quæ dicit. i. illa propositio implicita quæ dicit bonum est malum est falsa secundum accidens: quare sequitur conclusio, quod magis est contraria, & falsa de bono, quæ est opinio negationis, quam ea quæ est contrarij, supple, prædicati, hoc est, sequitur, qđ tunc fit magis falsa negatio eiusdem quam opinio affirmatiua contrarij prędicati, & per consequens, quod sit contraria eius. deinde sequitur dicens. qđ falsus magis habet contrariam opinionem circa singula: quoniam contraria sunt de numero eorum, quæ circa idẽ plurimum distãt. quare sequitur, quod si harum. s. bonum non est bonum; & bonum est malum. altera est contraria magis est contraria illa quæ est cõtradictionis, uel negationis. s. bonum nõ est bonum. manifestũ est hanc esse cõtrariam, non autem hanc, quæ est de contrario prædicato, scilicet bonum est malum.

Illa uero quæ est, quod malum est, quod bonum est, implicita est: etenim quod nõ bonũ est, necesse est forte ipsum eundem opinari, &c

Quartam, & quintam rationem in præsenti contextu ponit Aristot. cum subdit dicens, quod illa propositio quæ est, bonum est malum, implicita propositio est. etenim quod non bonum est. i. & illa quæ dicit bonum est malum, implicatur in illa, bonum non est bonũ: quoniam qui opinatur, quod bonũ est malum: necesse est opinari ipsum non esse bonum. Est autem notadum secũdum Gra. quia bonum, & malum fundatur in mente: quod non oportet, ut de quocunque dicitur, quod nõ est bonum: id intelligatur esse malum. quia de omnino non ente est uerum dicere quod non est bonum: & tamen nõ ideo sequitur quod sit malũ. unde patet bonum est malum implicat se in illã, quę dicit bonum nõ est bonũ. & non econtra. deinde quintam rationem ponit

cum

cũ dicit: Amplius. i. item si in alijs etiã quæ similiter habent contraria. i. si modus oppositionis est communis omnibus terminis, oportet similiter se habere, & hoc modo, uel, & hoc loco, scilicet ubi non est contrarietas; videtur bene esse dictum, quod illæ supple, sint contrariæ quæ opinantur modo contrario. aut enim ubique est contraria illa, quæ est contradictionis, uel negationis, idest negatiua, aut nusquam. sed in illis in quibus non est esse contraria ista est contraria, & falsa, quæ est opposita ueræ. ut ille qui opinatur hominẽ non esse hominem, falsum opinatur. si igitur hæ contrariæ, supple, homo est homo, & homo non est homo, sunt. ergo & aliæ etiam, quæ sunt contradictionis, idest, quæ sunt sicut contradictoriæ, ut affirmatio, & negatio de eodem.

Amplius, similiter se habet opinio boni, quod bonum est, & non boni, quod non bonum est, & prēter has, boni, quod nõ bonum est, & non boni, quod bonum est. Illi ergo quæ est, nõ boni, quod non bonum ueræ opinioni, quæ est cõtraria, &c.

Sextam & ultimam rationem ponit in præsenti contextu Aristoteles: cum subdit dicens amplius similiter se habet opinio boni, quod bonũ est, & opinio non boni, quæ dicit quod est non bonum: hoc est, sic se habet hæc propositio bonum est bonum ad illam, non bonum est bonum; ut hæc, bonum non est bonum, ad illam, non bonum non est bonum. illi igitur opinioni ueræ qua opinamur non bonum nõ esse bonũm, quæ nam contraria est? illa enim quæ dicit quod est malum, non est contraria opinio, quia aliquãdo simul sunt ambæ ueræ, & uera nunquam contraria est ueræ. nanque malum est quoddã non bonum. igitur contingit simul esse ueras. insuper nec illa quæ dicit nõ bonũ, qđ non malum est: propterea qđ & ista uerificatur simul secum. quoniã hæ negationes simul ueræ esse posśũt. relinquitur, (& concludit,) ergo ut opinioni ueræ, qua opinamur non bonũ non esse bonum, contraria sit opinio qua opinamur non bonum esse bonũ. falsa enim hæc est, & sic erit falsa, contraria uerę. Quare & opinioni ueræ, quod bonum, est bonum, cõtraria erit opinio falsa, quod bonum, bonum nõ est, quia hę, ut superiores duę, similiter concesse sunt. igitur determinata negatio contraria est uerę affirmationi propositæ, magis quam affirmatio contrarij.

Manifestum est igitur, quando nihil interest nec si uniuersaliter ponamus affirmationẽ. Vniuersalis enim negatio contraria erit, ut opinioni quæ opinatur quoniam omne, quod est bonum, bonum est, ea quæ est quoniam nihil eorum, quæ bona sunt, bonum est, &c.

Duo præbet documenta Aristoteles in his duobus contextibus ultimis: eo quod nõ posuerat exempla de opinionibus, idcirco dicit esse eadem ratio. cum subdit dicens, quod manifestum est quoniam nihil interest si dicamus etiam uniuersaliter, idest cum signo vniuersali fieri affirmationem, & etiã negationem, quia semper uniuersali affirmatiuæ de aliquo, est contraria negatiua de eodem. ut in hoc exemplo patet, opinioni quę opinatur, omne bonum est bonum; est hæc contraria: nihil eorum quæ sunt bona est bonũm. i. nullum bonum est bonum. rationem ponit cum dicit: nam ea quæ est boni quo

niam

niam bonum, ideſt, omne bonum eſt bonum: ſi bonum accipitur uniuerſaliter ut hic patet: omne bonum eſt bonum: eadem eſt ei quæ opinatur quoniam quicquid bonum eſt, eſt bonum; ſicut dicere: quicquid eſt bonũ eſt bonum. quare ualet tantum dicere. omne bonum eſt bonum. nullum bonum eſt bonum. ſicut dicere quicquid eſt bonũ eſt bonum. & nihil eorum quæ ſunt bona eſt bonum. ſubdit deinde, quod ſimiliter eſt, & in non bono, hoc eſt, ſi non bonum ſubijciatur: eo quod erũt contrariæ. concludit igitur quod ſi in opinione animæ ſic ſe habet ut diximus, & ea quæ ſunt in uoce ſunt notæ, uel ſigna eorum quę ſunt in anima: manifeſtum eſt, quod etiam in uoce affirmatio eſt contraria, ideſt, oppoſita quæ eſt de eodem: ut ei quæ eſt quoniã omne bonum, bonum eſt, uel quoniã omnis homo bonus, ideſt, omne bonũ eſt bonum, nullum bonum eſt bonum, & omnis homo eſt bonus. nullus homo eſt bonus, quæ ſunt contrariæ. Similiter in contradictorijs ſe habet eadem ratio. ideo ſubdit: contradictoriæ autẽ quę eſt quoniam non omne, aut nõ omnis: ut in hoc exemplo, aut nõ omnis homo eſt bonus, quæ eſt contradictoria illius. Omnis homo eſt bonus. aut non omne bonum eſt bonum, quæ eſt illius contradictoria. omne bonum eſt bonum. Aduerte quod, non omnis, tantum ualet, quantum eſt dicere, quidã non: igitur in omni genere oppoſitionis illæ ſunt oppoſitæ, quę modo oppoſito enunciant. ſ. affirmatio & negatio, & non illæ quæ ſunt de prædicatis oppoſitis reſpectu eiuſdem ſubiecti.

Manifeſtum eſt autem, quod & veram veræ non cõtingit eſſe cõtrariã, neq; opinionẽ, &c.

Secundum documentum hoc in ultimo contextu, ut prius dicebamus; ponit Philoſophus. nanq; ſupra dixit verũ uero non contrariari: idcirco nũc eundem declarat cum dicit. manifeſtũ eſt ex dictis, quod opinio uera, & contradictio uera, non eſt contraria alteri opinioni uerę, & contradictorię ueræ. ratio autem eſt, quia contraria ſunt illa, quæ poſita ſunt circa idem contraria: at oppoſita non poſſunt ineſſe eidem. Sed bene contingit dicere circa eundem ac opinari uerum eſſe, quod de ipſo põt dici. igitur uera uerę enunciationi non contrariatur. q. d. Ariſtot. quod circa eundem uerum eſt dicere ſimul ueras poſſe eſſe: ſed non contingit ſimul ei ineſſe contraria. poteſt autem hic quæri utrum uerum, uero contrarietur, & uidetur quod ſic. ad hanc quæſtionem breuiter ac unica diſtinctione reſpondendum eſt. nempe ueritatem accipi dupliciter: vno modo ſecũdum quod dicit entitatem rei, & ſic vero uerum contrariari idem eſt, ac ſi diceretur enti ens contrariatur, ut frigidum calido. Alio modo ſumitur pro adęquatione intellectus: & hoc modo uerum uero non contrariatur. hæc pro breuitate ſufficiant ad laudẽ Ieſu Chriſti, Beatæq; ſemper Virginis.

Expliciunt Commentaria in libros de Interpretatione.

D. IO. BAPTISTÆ RVBEI,

IN LIB. POSTERIORVM ARISTOTELIS COMMENTARIA.

LIBER PRIMVS.

EQVIDEM magnopere formidassé huiusmodi prouinciam tam arduam, tamque difficilem, suscipere, cũ prę sertim de demonstratione agatur: quę, vt omnes interpretes concorditer affirmant est finis logici negocij. finẽ autem cognoscere haud quis potest ignoratis principijs, quorum omnimodam intelligentiam (nec magna ex parte) equidem me non habere certè scio, nisi eorum fretus essem authoritate, intelligẽtia, prudentiaque, vel maximè, qui optime interpretati fuere hos libros: si qua in parte errauero, fore non arbitror, vt me pudeat, cum duces huiusmodi sequar, ac imitari conabor, Auerroem, Diuum Thomam, Egidium, Ioannem, Grammaticum. primumq́; D. O. M. vt meo velit fauere principio, deprecabor. & vos, & ad finem optimum nos perducere velit, ac in parte, vt ipsum eundem inuocetis, oro, atque postulo. Ioannes Grammaticus. qui lingua Gręca Aristotelem magna ex parte interpretatus est, deinde in Latinam translatus ab Alexandro: & præsertim ꝑ libros Posteriores, in principio suæ Commentationis in ijsdem, septẽ commemorat, quæ in cuiuscuiusque Aristotelici operis initio; consideranda me-

rito iudicauit. primo quod sit propositum, seu finis, vel scopus. secundo quæ vtilitas. tertio qui ordo. quarto qui titulus, seu causa tituli. quinto, an sit ex officina Aristotelis. sexto diuisio operis. septimo, & ultimo, sub qua Philosophiæ parte contineatur, considerandũ est, quæ omnia explicare conabor. Primo igitur sciendum est, propositũ Aristotelis esse de demonstratione agere, siue de sillogismo demonstratiuo. Qđ innuit Ioan. Gramm. in initio huius libri inquiens: liber hic in quo de demõstratione sermo est, finis est Logicę tractationis: cętera nanque logicalia ob demonstrationem nobis tradidit Aristoteles. hoc idem Diuus Thom. in prima collum. circa finem ostendit cũ dicit, Certitudo autem iudicij quæ per resolutionem habetur est, vel ex ipsa forma syllogismi &c. quæ sequuntur: inquit igitur Ioan. Gramm. quemadmodum impossibile est aliquem cytharam pulsare, qui prius, qđ sit harmonia non ignorauerit, nec pariter quicquam scribere, vel aliquã figuram formare, nisi prius simpliciter scribere agnouerit, sic impossibile est demõstratiuum syllogismum agnoscere, nisi prius discamus, simpliciter syllogismũ, de quo agitur in prioribus: idcirco merito dicuntur priores eo quod præcedunt, isti verò posteriores. propterea quod sequuntur. præterea, quoniam syllogismus simplicieter, de quo in libris Priorum agitur non potest confici ignoratis propositionibus, ideo in lib. de Interpretatione Aristoteles de hisce egit. Rursum, quia impossibile est propositiones nosse, ignoratis terminis ac vocibus ex quibus conficiuntur ipse propositiones, præposuit librum Prædicamentorum, libro de Interpretatione. patet ex dictis igitur primum considerãdum. ad secundum accedamus. Quã sit vtilis iste liber, facile ex verbis Ioã. Gramm. colligere possumus in prima huius libri cõmẽtatione. inquit enim. Demonstratione autem Philosophis opus fuit, velut instrumẽto ad directionem partium Philosophiæ: & speculatiuæ & practicæ. Sicut enim lignũ curuũ à recto, regula, a fabro lignario distinguitur, necnon etiam parietem ædificator rectum ab inclinato perpẽdiculo discernit, sic & Philosophus, quo ad contemplationem, per ipsam demonstrationẽ, diuidit verum à falso: & quo ad actionem diuidit bonum a malo seu partitur. Demonstratio enim, vt ipse testatur, est syllogismus faciẽs scire. per quam aggeneratur sciẽtia. & multum valet ad Philosophiam capescendam: hæc de vtilitate, ad ordinẽ accedamus. Ordo igitur est, vt postquam voces simplices in prædicamentis didicimus, & deinde propositiones in lib. de Interpretatione, ac demum syllogismum in libris Priorum, necesse fuit, vt speciem aliquã syllogismi eliceremus, q̃ aggeneraret in nobis scientiam, vt facit demonstratiuus syllogismus; & debet pręcedere sophisticũ, propterea quod non gignit scientiam, prout facit demõstratiuus, quem ipse tradit non ut in disputationibus illo vtamur, sed vt sciamus illum euitare. quiquidem syllogismus Elenchus potius nos perturbat ac impedit, quam nobis auxilietur ac adiuuet, vt facit demõstratiuus. possum addere causam hanc, quod cum sit Logica scientia, quæ nobis auxilium prębet ad inueniendam & cognoscendam rerum naturam: sequitur prius de demonstratiuo, quem sequi debemus, deinde, de Elencho quem vitare oportet: ideo de demõstratiuo prius agere, quam de sophistico agendum est. de dyalectico vero, i. qui in Topicis de eo habet sciẽtia varia est opinio. tamen breuiter qđ sentiam, dicam. & primum sese offert sentẽtia & Aphrodisiẽsis, quæ ualet ad confirmãdam nostrum de Elencho: inquit enim, de ordine multi dubitãt: alij autem

autem dicunt, quemadmodum dyalectica facultas, scilicet de qua in Topicis præponenda est demonstratiuæ, ita etiam sophisticam esse anteponendam volunt: quibus in verbis patet esse huius sententiæ, quod Topica debeat pręcedere demonstratiuam. Idem Ioan. Grammatic. in Expositione primę partis, vbi sic ait, est autem prior ordine liber hic Posteriorum, ipsis sophisticis Elenchis: subdit illico: nam quod Topica sequi deberet, in illis monstrauimus, supple, in libris Topicorum. probabilius enim (inquit) exercitati facilius necessarijs applicabimus; vbi aperte suam ostendit sententiam. Ego autem quod Topica sit postponenda hoc pacto probo: id quod vtilius, uel perfectius in aliqua scia est debet præponi, at demonstratio huiusmodi? ergo. & maior est manifesta: accipitur ibi, per, perfectius, pro eo quod maiorem perfectionem rei demonstrat: & non pro eo quod difficilius. Minor probatur demonstratio nihil habet in se falsitatis: quia constat ex veris, &c. & id quod nihil falsitatis in se habet, id perfectius est, ergo &c. hæc de ordine, ad titulum accedamus. Titulus igitur est Posteriora analytica, idest resolutiua, seu resolutoria; vt est communis sententia. ἀναλύω, idem est quod resoluo. Cur verò sic appellatur dicendum est. multipliciter dicitur resolutio alia est resolutio totius in partes: vt resoluendo domum in lapides, & ligna: alia est resolutio compositorū in simplicia qua geometre vtuntur. alia est resolutio naturalis ut resolutio corporum in quatuor elementa, elementa in materiam, ac formam resoluuntur; alia est resolutio logicalis, quę est syllogismorum in proprias species & figuras reductio: & ab ista sic appellatur inscriptio libri. de via compositiua, & resolutiua supra determinatum est. Dubitaret forte aliquis: cur non potius compositoria quā resolutoria appelletur, cum sit quod hic agatur de syllogismo: qui dicitur compositiuus, cum plurium orationū sit comprehēsio? Ad hoc respondet Burana in Commentatione Priorum, in principio dicens; Philosophum dicimus à digniori nuncupasse descriptionem: eo quod resolutio est antiquior, & dignior ipsa compositione, qui scit resoluere, scit quoque componere, sed non econtra. igitur resolutoria, & non compositoria debet esse inscriptio. Posteriora verò nuncupantur, quare demonstratiuus syllogismus habet rationem formæ, eo quod est vna species syllogismi. Syllogismus verò simpliciter de quo tractatur in Prioribus habet rationem materiæ, sed sic est quod dicitur forma posterior materia, quæ materia dicit quid prius: igitur, Posteriora debent appellari: illa verò Priora, vel si hęc ratio nō placeat, placeat hęc, quod species est quid posterius a genere, sed demonstratio est species syllogismi, & syllogismus de quo agitur in Prioribus, est genus ad hunc, & ad Topicum, & ad Sophisticum, ergo. hæc de titulo. Quintum considerandum est, an (secundum intentionem illius Philosophi) sit germanus ipsius Aristotelis. & dicunt omnes hunc esse suum, & pręcipue Ioannes Grammaticus in Expositione libri Priorum, quadraginta libros fuisse repertos in veteribus bibliothecis. in quibus quatuor hi soli Aristotelis esse fuerūt iudicati: & de hoc nullus dubitat, quare ad sextum transeundum est. Diuiditur autem hoc opus in duos partiales libros: primus liber habet viginti septem capita. secundus vero, decem & octo. primus liber habet de demonstrationis essentia conditionibusque ad eam requisitis, vsque ad. 13. caput. De differentia demonstrationū quod seu quia, & propter quid. deque figura aptiori ad demonstrationē constituendā. in cap. decimoquarto.

Deinde de ignorantiæ speciebus, quæ accidunt in scientijs. Ostenditque finitos esse demonstratiuarum propositiouum terminos. de varijs speciebus demonstrationum, ac earum inter se comparatione: vltimo de theorematib. ad demonstrationem inferentibus agit. & de his septem in præsenti libro. In secundo vero libro septem habet alia. & primo de quatuor quęsitis medij termini. si est, quid est, quod seu quia est, & propter quid est. secundo quomodo quid est mōstretur, ac se habeat ad demōstrationem. tertio definitionem esse per causam. quarto de diuisione causarum, & quæ mutuo cōcurrant, & quæ non, & quomodo possit illarum esse demonstratio. quinto, de compositione definitionis ex suis partibus, & cū ignotæ sunt, quo pacto venentur. sexto, quomodo venentur ipsæ causæ. septimo & ultimo. de cognitione, deque differentia principiorum indemonstrabilium, atque hactenus de diuisione operis. ad septimum & ultimum considerandum accedamus: & dico breuiter, non esse partem Philosophiæ, sed scientiam speculatiuam esse affirmamus: quia si esset pars Philosophiæ, & instrumentum quoddam, vt quidam aiunt: sequerentur inconuenientia: quia Logica esset ignobilior ipsa Theorica, quæ utitur Logica. Essetque cęterarum artium ignobilior, præterea pars sumitur gratia suiipsius; sed Logica non sui ipsius sumitur, sed gratia demonstrationis. ergo non est pars Philosophiæ. si esset pars Philosophiæ, Philosophia absque ipsa non posset per se subsistere, sed hoc est absurdum, igitur. Plato vero instrumentum, & partem Philosophiæ dixit: ne igitur iuuenes confundentur circa opiniones diuersas asserentium esse partem Philosophiæ, & asserentium esse instrumentum, hæc omnia omittamus. primum de subiecto dubium ponamus deinde ad textum.

Quæritur ergo, an demonstratio sit subiectum huius libri, & videtur quod non: quia in isto libro non minus docet Philosophus artem definiendi quā demonstrandi. igitur non minus definitio quam demonstratio erit subiectū huius libri. secundo sic, iste liber communiter intitulatur Posteriorum analyticorum, idest, resolutiuorum. igitur resolutio, seu modus resoluendi erit subiectum non autem demonstratio. In oppositum est communis opinio dicentium demonstrationem esse subiectum. ad quæ argumenta breuiter respondendum est. & primo ad primum, scilicet, quod consideratio de definitione, quæ ponitur in secundo Posteriorū ordinatur per se in considerationem demonstrationis, sicut etiam definitio in demonstrationem ordinatur, cum sit principiū ipsius formaliter, aut virtualiter ingrediens ipsam. quare ratio non valet. Ad secundum sic respondendum est. & primo negatur consequentia. dictus est syllogismus demonstratiuus resolutiuus, quoniam per ipsum resoluitur effectus in principia per se nota, quod de alijs syllogismis non sic contingit resoluere. igitur vsque ad per se nota est demonstrabilis, vel passio demonstrationis. quare igitur tale non potuit esse huius scientiæ subiectum. & sic patet solutio breuis horum argumentorū. eodemq; modo in toto opere sumus dicturi ne memorias ac intellectus nondum perfectos confundamus. & hæc satis pro antedictis in libris Posteriorum. ad textum accedamus.

Tex. 1.

Tex. 1. omnis doctrina usq; dupliciter. Cap. I.

Intentio Aristotelis in hoc opere, est tradere scientiam demonstratiuam : non præmittit prohemium, eo quod in principio primi priorum hoc egit. cum dixit primum dicendum de quo est intentio, quoniam circa demonstrationem, & de demonstratiua disciplina. diuiditur autem hoc caput in duas partes principales: prima qđ omnis doctrina,& omnis disciplina fit ex præexistenti cognitione. secunda docet quot sunt modi præcognoscendi. habetque septem conclusiones: tres in hoc primo contextu reperiuntur; & unam solutionem cauilli Platonis. iuxta consuetudinem, textum exponā eo meliori modo quo potero Deo Opt.Max. fauente. est igitur prima cōclusio, quod [omnis doctrina,& omnis disciplina intellectiua fit ex præexistēti cognitione,] quod est dicere omnē doctrinam a magistro procedentem, & omnem disciplinam receptam a discipulo, aggenerari ex quadam cognitione anticipata. hoc patet inductione : propterea quod [manifestū est in omnibus,] (supple, scientijs speculatiuis,& primum (dicit) [mathemacicę scientiæ per hunc modum procedūt,] scilicet, quod aggenerantur ex cognitione præuia, & una quęque aliarum scientiarum, etiam per hunc modum procedit. Secundam conclusionem ponit cum dicit [Similiter autem,& circa orationes,] idest propositiones, [quæ sunt per syllogismos, & quæ sunt per inductionem, vtreque enim,] idest, & orationes, uel propositiones dialecticæ tam illæ quæ sunt per syllogismos, quam illę quæ sunt per inductionem. [Faciunt doctrinam per prius notā,] idest ex cognitione anticipata. [hæ q;dem,] idest, quæ per syllogismos fiunt, [tanquam a notis fiunt:] propterea qđ in syllogismo propositiones accipiuntur, ut concessæ,& notæ. quemadmodū patet ex syllogismi definitione. [Illæ vero monstrantes uniuersale per id quod manifestum est singulare,] idest illæ quæ fiunt inductione, fiunt per id quod manifestū est singulare, quia inducens vtitur præceptis singularibus: & habet singularia pro cognitione p̄existenti: tertiam conclusionem ponit cum subdit dicens. [Similiter autem, & rhetoricæ persuadent,] scilicet ex præexistenti cognitione [aut enim per exempla, quod est inductio,] non proprie, sed analogice, ut etiam in rhetoricis diximus: [aut per enthimemata, quod est syllogismus.] Habet enim tantam uim persuasio per enthimemata, quantam apud logicum per syllogismum. sic de exemplo eadem ratio. igitur omnis doctrina, & omnis disciplina fit ex præexistenti cognitione. multa hic essent dicenda, sed digniora notatu breuitatis causa ponam. Primo notandum est, quod definitio, & ars mechanica, cognitioque principiorū, vt patet in 3. Ethic. cap. 6. possunt contineri sub hac cognitione: sed magis proprie competit scientiæ, quam artibus mechanicis. Cerdo enim prænoscit corium sectile, ferum vero, quod secet: & prænoscens hoc dat operam arti. doceturque quonam pacto secari debeat. ecce igitur quod competit. addit illam particulam, intellectiua, ut quidam uolunt, ad excludendum doctrinam, & disciplinam brutorū. quia licet quædam animalia aliquid discāt, hoc est ex multiplicatione habituum. dixit, fit, non autem est, quoniam omnis potentia, quæ reducitur ad actum, fit, & non, est. Secundo notandum quatuor esse genera argumētationum: syllogismus, inductio, enthimema, & exēplum.

plū syllogismus, & inductio fiunt efficaciores enthimemate, & exemplo. enthimema enim est, ut in rhetoricis diximus syllogismus quidam imperfectus, & exemplum inductio diminuta. quid sit unumquodque horum ibi satis declaratum est. Tertio notandum est, quod doctrina, & disciplina idem sunt re, sed differūt ratione: quatenus enim a praeceptore procedit dicitur doctrina: quatenus uero recipitur in discipulum dicitur disciplina. sicut enim ascēsus, & descēsus idē sunt re, sed ratione differunt, quoniam aliud est ascendere & aliud est descendere; sic disciplina, & doctrina est una & eadem re, sed ratione differunt. nanque uno modo ꝓcedit a Doctore, & alio modo recipitur a discipulo. dubitatur autē hic an omnis doctrina, & disciplina fiat ex ꝑexistenti cognitione, & uidetur quod non. aliqua notitia sensitiua potest fieri nulla habita alia praeexistente. igitur & intellectiua. Secundo sic, tanta est ꝓportio inter intellectum, & suum obiectum; quanta est inter sensum & suū obiectum: sed sensus apprehendit aliquod de nouo absque obiecto prius cognito; ergo & intellectus. confirmatur quia quicquid potest uirtus inferior, potest & superior. sed intellectus est superior ad sensum igitur. Tertio sic doctrina, & disciplina intelligentiarū non fit ex praeexistenti cognitione. ergo. patet antecedens, eo quod non discurrunt. Ad haec argumenta breuiter respondendum est: & primo ad primū dico non esse simile de sensu, & intellectu: quoniam in cognoscendo intellectus praesupponit sensum, & non econtra, ut uidebimus Deo fauente in libris de anima. Ad secundum dicitur quod in quodcunque sensibile potest sensus sentiendo. in idem sensibile potest intellectus per abstractionem intelligendo licet nō eodem modo. propterea quod sensus percipit sensibile nulla habita cognitione praeexistente. quod intellectui hoc non competit. Ad tertium dicendum est, quia nos, qđ addiscimus reducitur de potentia ad actum rerum notitia: idcirco intelligentijs non potest competere: quia nunquam sunt in potentia, sed semper in actu intelligendi, & habent aeternas intellectiones, & ideo nec ad nouas intellectiones in ipsis producendas moueri possunt. Notandum circa hoc est, quod notitia seu cognitio intellectiua est duplex. quaedam est incōplexa quae est de termino siue subiecto incomplexo, ut est notitia intellectiua terminorum. alia est complexa, quae est de obiecto complexo sicut est notitia siue cognitio propositionum. Cognitio item complexa īntellectiua est duplex. videlicet principiorum, & conclusionum. Item notandum quod cognitio cōclusionum, & principiorum duplex est, scilicet sensitiua, & intellectiua. pro quibus dictis erit notatione dignū quod cognitio intellectiua conclusionum fit ex praeexistenti cognitione intellectiua principiorum, & cognitio intellectiua principiorum fit ex praeexistenti cognitione intellectiua terminorum. Cognitio uero intellectiua terminorum fit ex praeexistenti cognitione sensitiua interiori. Sed cognitio sensitiua interior fit ex praeexistenti cognitione sensitiua exteriori: formetur igitur iste syllogismus hoc modo circa primam propositionem.

Demōstratio est intellectiua cognitio.
Omnis intellectiua cognitio fit ex praeexistenti cognitione ergo.
Demonstratio fit ex praeexistenti cognitione. Praecognitio est ante demonstrationem requisita cognitio, & haec est sua descriptio quantum pro nunc spectat.

Tex. 2.

Tex. 2. Dupliciter autem, &c. vsque est autem cognos.

DEclarato, quod omnis doctrina, & omnis disciplina fit ex præexistenti cognitione: nunc docet quęnam sint prænoscenda, & quot sint. sed, (ut inquit Philop.) quia non est de particularibus sciētijs nobis propositum, sed simpliciter de demonstratione, nō expedit quærere, quæ in singulis sciētijs præcognosci debent, sed quæ in demōstratiua solum. Duæ igitur sunt præcognitiones, vna quæ dicitur quid est, alia vero, quia est, ut ad demonstrandū quod si uniuersalis est uera: oportet cognoscere quid sit propositio uniuersalis, & quid particularis, & quid propositio uera. Ad cognoscendū an animus sit immortalis, oportet scire quid sit animus quid significet, quid significet immortalis. & hæc cognitio nominum simplicium dicitur præcognitio quid est. quæ sic definitur, Præcognitio quid est, est qua quid vnumquodque nomen ad demonstrationem attinens, significet, cognoscimus. Præcognitio uero, quia est, ea est qua demonstrationum principia, & quæ in demonstratione assumimus, uera esse cognoscimus, ut si hoc ex principio cognitum, quod duæ contrariæ non possunt esse simul ueræ: cognoscimus esse manifeste uerum ad ostendendū per ipsum, quod duæ subcontrarię non possunt esse simul falsę. tunc cognoscimus de ipso quia est. ita tibus igitur his duo erunt pręcognita, scilicet subiectum, & passio. ex his resultat tertium præcognitum compositum quid & quia. Quare duo simplicia & vnum compositum tria faciunt pręcognita. Notatione dignum est, quod inter Auctores hæc repperies diuersa. passio, quæsitum, prædicatum, interrogatum: quæ quidem nomina vnam, & eandem rem significant nempe, prædicatum. similiter datum, cōcessum, obiectum, & subiectum idem denotant. Dignitas, propositio, idem. vnde in hac propositione, animus est immortalis, oportet cognoscere subiectum de quo quæritur, ut animus. & passionem quæ quæritur, ut immortale. Dignitatem vero ut de quolibet uerum est affirmare, uel negare, quam quidem omnes concedunt ueram. Secundo notandum est quod cum quatuor sint causæ. s. formalis, efficiens, materialis, & finis. a finali causa nullum præcognitum sumitur. quare ergo tantum tres erunt pręcognitiones. subiectum quod a parte materiæ. Prædicatum a parte formæ, & dignitas, quæ a parte efficientis sumit præcognitum. duæ sunt igitur p̄cognitiones, scilicet quid est. i. quid nominis. & quia est, aut quoniam est, vel quod sit. de quid nominis quæritur qđ sit, & quid nomen sit, & hæc sunt duo præcognita simplicia, & quia est: ex vtraque vero, est pręcognitum compositum. ad textum igitur accedamus, inquit Philosophus. [Dupliciter autem est necessarium præcognoscere.] i. duo modi sunt præcognoscendi simplices, & alius compositus. [alia nanque quia sunt præcognoscere oportet.] i. unus modus dicitur, quia est, [alia uero quid est, quod dicitur.] i. quid significet nomen [prænoscere oportet: quædam autem vtraque.] i. & quia est, & quid nomen significet. ergo duplex est præcognitio, alia simplex, alia composita: simplex est duplex: quædam præcognoscimus quod sint, idest, quod dantur in rerum natura, ut animal scio quod datur: quædam quid nomē eorum significet: ut scio significare substantiam quandam ab inanimata separatā hoc nomen, puta a lapide, & hæc sunt duo simplicia præcognita. Composita uero quando vtrūque prænoscimus, & quod sint, & quid significet. quare tres erunt modi. dat exemplum. d. [vt] propositio

propositio

positio hæc: [omne aut affirmare, aut negare uerum est, quod est,] idest opor tet prænoscere quod ita sit: & dicitur hoc, præcognitum quia est, uel quod est, aut quoniam est. [triangulum autẽ quod hoc significat,] idest quantum ad triangulum, vel passionem oportet ꝑ noscere quid significet, idest quantum ad nomen attinet, ac conuenit. [Sed vnitatem,] supple, [vtrunque oportet prænoscere.] i. quod sit uera, supple, hæc propositio omnis triangulus habet tres angulos, quia oportet prænoscere, & quid significet, idest quid per nomen importatur, & quod sit simul: & ratio est, quoniam oportet prænoscere sic, [quia non eodem modo hæc nobis manifesta sunt.] Notandum hic est, quod de dato siue subiecto in demonstratione oportet præscire, quid sit, & quod sit, idest, & an sit. de quæsito siue de prædicato quid significet per nomen tãtum, de dignitate uero oportet prænoscere an sit uera, quod est utrunque penetrare. Item notandum est, quod datur differentia inter quid rei, & quid nominis. Quid nominis est quando nomen refertur in suum significatum. Quid rei est conceptus cum res resoluuntur in sua principia. quare aliqnis potest habere notitiam quid nominis, & non quid rei. Item notandum dignitatem esse primum pręcognitum, eo quod ex primis conceptibus, compositum est. secundum esse quæsitum. tertium uero concessum: eo quod plerunque substantia, & subiectum est. secundum autẽ, quoniam plerunque accidens est quod nobis notius est. quid igitur per nomen importatur necesse est scire. nanque si quis diceret aliquo puero, ut adduceret equum, & ignoraret quid per nomen significet, posset adducere canem, quod non faciet si sciet nomen quid importet ac significet. adest. hic dubitatio quoniam quæsita sunt quatuor, & duo sunt præcognita, sed tot sunt præcognita quot quæsita, uel docere debeat tot ꝑcognita esse. ergo sibi contradicit Philosophus. Respõdetur breuiter non sibi contradicere; sed illa quatuor referunt ad hæc duo, scilicet, si est, & quid est, quia non dixit requiri illa quatuor in vnaquaque re, sed posse requiri. dubitatur secũdo an possumus prænoscere demonstratiue absque nullo subiecto existente, & uidetur, quod sic, nanque habemus scientiã de rosa, quæ in actu non existit. igitur. Tertio arguitur quod de subiecto non præsupponitur quid est, quia de ipso quæritur quid est. assumptum patet secundo huius. Ad secundum dicitur qđ de subiecto, de quo prima passio demõstratur, oportet pręnoscere ipsum actu & uerè esse, sed vniuersale, cuius essentia est æterna. licet enim nulla particularis rosa sit actu, tamen species rosæ est actu. quoniam habet esse in illa. Esse autem est duplex, scilicet uirtuale, & actuale. habere nanque esse uirtuale est nobilius sed non semper. in causis enim primarijs melius est habere esse virtuale, quam actuale, ut homo habere esse in semine, quam in materiam primam melius est. In causis uero secundarijs melius est habere esse actuale, quam uirtuale, ut rosa melius est, ut sit actu, quam in semine. ideo licet nulla sit tamen uirtualiter est. ad tertium dicitur, quod de subiecto conceditur, quod nõ oportet pręcognoscere quid rei. sed requiritur tantum per discursum intellectum præcognitio quid nominis. Notatione dignum est circa dignitatem, scilicet, capi posse dupliciter: uno modo stricte, & proprie, & hoc modo prima principia dicuntur dignitates: quo non capiuntur hic: Secundo modo large: & isto modo propositiones syllogismi demonstratiui dicũtur dignitates, ut capiũtur hic. non autem illo primo modo.

Tex.3.

Tex. 3. Est autem cognos. usque antequam sit inducere.

Contextus huius obscuritas, diuersitatem exponentium generat, ac concertationum. quicquid dicant alij simpliciter quid sentiam exponā. quoniam igitur dixit Aristoteles omnem modum addiscendi fieri ex præexistenti cognitione: idcirco in præsenti contextu duos modos aliquid addiscendi, affert, unum pro reminiscentia, & de hoc clarum est, quod fit ex præexistenti cognitione alterum de nouo, & de hoc est dubium, quæ addiscuntur de nouo dicit esse illa, quę continentur sub uniuersalibus, ut sunt singularia. dicit igitur. [Est,] idest contingit [aliquem cognoscere, prius ea cognoscētem,] idest, quod prius nouerat: & de hoc, nulla adest dubitatio. alia vero (cum dicit quorundam,) simul discere & cognoscere contingit. declarat hoc secundum, quia primum clarum est, ut diximus. cum subdit, [vt quæcunque] sunt, uel [contingunt esse sub uniuersalibus] iam cognitis, [quorum habet cognitionem.] i. singularia, dico contingere discentem, & cognoscere ea simul. ex hoc exemplo erit clarum id, quod dico, [quod enim omnis triangulus habet tres angulos æquales duob. rectis, præsciuit,] idest si quis notitiā habuerit, quod hęc propositio uniuersalis, habet omnis triāgulus tres ęquales duobus rectis, cum uenerit ad illud singulare, [quod est in semicirculo delineatum inducens simul cognouit,] idest æquos angulos cognoscimus, & prius didicimus, & hoc est simul addiscere, & cognoscere. addiscimus cum oculos i semicirculo figimus, & prius in uniuersali sciebamus, & propter hoc dixit inducens, quoniam cognitio per particularia dicitur inductio, eo quod per sensum agnouit. ideo subdit [quorundam enim hoc pacto disciplina,] idest assumptio singularium est hoc modo disciplina, unde, quod iste sit in semicirculo triangulus, non nisi per sensum cognoscimus, [& non per medium] cum non possit inter singularia medium repperiri [cognoscitur, quod est postremum,] idest, quod causa immediata, [vt quæcunque iam singularium contingunt esse, & non de subiecto aliquo,] idest singulares assumptiones cognoscuntur, non per p̄dictam causam: sed per deductionem ex sensu, ut inquit Philoponus. ergo disciplina est singularium, & non uniuersalium; Responsio, non dixisse esse singularium absolutè, sed hoc modo, largè accipiendo ipsam doctrinā quatenus per sensum cognoscunt; quædā ergo cognoscuntur, quæ prius cognouimus, quædam uero, & simul cognouimus, & discimus. Iuxta autem sentētiam Egidij, Linconiensis, & aliorum multorum, iste contextus aliter explanatur: ne suam spernamus omnimode sententiam, & ut discipuli, quam illis placet dent operam, illam quoque ponam. Inquiunt igitur, Aristotelē hic agere de præcognitionibus præmissarum: ut sit sensus: est autem alia quidem cognoscere prius, supple, tempore, ut maior propositio: quorundam vero simul accipientem notitiam cum conclusione quantum spectat ad minorem propositionem. hæc scientia uera quoque est. Hic notandum est, quod prioritas est duplex, scilicet, temporis, & naturæ. Prioritas temporis est, qua aliquid aliud pręcedit successiua duratione, qualiter patrem dicimus filio priorem, & dispositiones accidentales priores forma substantiali, quæ ipsis mediātibus in materia generanť. Prio ritas naturæ est, qua aliquid est alterius causa, aut ab illo pręsupponitur, qualiter subiectum est prius propria ipsius passione, quoniam est

ipsius causa: & punctus prior est linea, quoniam præsupponitur ab ipsa tanquam ipsius principium. Contra uero simultas duplex est, scilicet temporis, & naturæ. declaro exemplo, subiectũ simul dicimus cum sua passione, tempore. Secundi uero exemplum, ut correlatiua sunt simul natura, ut diximus in prædicamentis sicut paternitas, & filiatio. sic in proposito huius sentẽtiæ horum grauissimorum autorum, dicũt contingere sciri maiorem prius tempore ipsa conclusione. minorem vero simul natura. sed quoniam minoris notitia est causa notitiæ conclusionis; sequitur concedi posse, minorem esse prius notam natura, licet non prius tẽpore. Dubitaret hic aliquis quod maior & minor adinuicem relatiue dicũtur. igitur maior non potest cognosci, quin cognoscatur minor, & econuerso. tenet consequentia quoniam relatiua simul habent cognosci. ut patet in prædicamentis. igitur, &c. ad hoc argumentum breuiter respondendum est, quod licet intellectus non scire possit aliquam præmissarum esse maiorem sub ratione maioris, nisi ad minorem referendo, similiter contra, tamen significatum poterit maioris scire, ignorãdo eius significatum, quæ minor appellatur, vel econuerso. Item notandum est, ut spectat ad hunc contextum quod dupliciter potest acquiri scientia in nobis. Vno modo potest acquiri per inuentionẽ, ut docet Philosophus in fine secundi huius. Alio modo põt acquiri in nobis scientia per doctrinã sicut scientia acquisita in aliquo per actum docentis. Item demonstratio est duplex, nempe, demonstratio propter quid, & demonstratio quia est. demonstratio propter quid, est in qua ostenditur propria passio de suo subiecto proprio, per definitionem quidditatiuam subiecti, idest cum a causa ad effectum argumentatur. demonstratio uero, quia est, est illa quæ procedit ab effectu ad causam, ut in hoc exemplo patebit. omnes nubes, quę inter se percutiunt, sonum faciunt: At nunc inter se percutiunt, igitur sonum faciunt, quæ quidem demonstratio, quia habet præmissas quæ sunt causa cõclusionis, dicitur ideo demõstratio propter qd: cum uero argumentor ab effectu ad causam tunc est demonstratio quia, ut sic. Omnia tonitrua fiunt ob percussionem nubiũ. At nunc sunt tonitrua. igitur nubes inter se percutiunt. Notandum etiam est, quod reperitur, & alia demonstratio, nanque propter quid est duplex, scilicet propter quid tantum, & propter simpliciter, propter quid simpliciter est illa, quę alio nomine dicitur potissima: quæ cõstat ex omnibus conditionibus positis ab Aristotele: secundũ ergo tantũ qd est illa, quæ a causa procedit, quando potest quis aliquam aliam causam afferre. Est & alia demonstratio, quæ procedit a causa, sed a causa tam ab effectu remota, & vniuersali, quod sępe ac sępius non effectum concludendo ex necessitate; potius fraudem quam scientiam causat in intellectu nostro, ut cum argumentor, quod auditus sit causa, qđ homo sit: aut non audire quod sit causa, quod non sit. hæc quidem causa nõ est necessaria scientijs.

Tex. 4. Antequam vsque. Non enim.

Haec est sexta conclusio huius capitis, quæ patitur aliquam difficultatem ob illam particulam, autem, quasi aliquid de nouo uelit pertractare, quia est particula aduersatiua. sed dicerem cum suessano significare hoc in loco ergo, siue igitur, quemadmodũ nunc utuntur latini. volens inferre solutionem Mennonis, idest, Platonis in Men-

Mennonem, quia igitur dictum est omnem doctrinam, & omnem disciplinā fieri ex praexistenti cognitione, idcirco remouet quandam indispositionē, quae posset euenire ad scientiam demōstrationis acquirendam. dicit igitur. [antequam sit inducere, aut accipere syllogismum,] idest antequam fiat manifestum per sensum (dicimus enim sensum intelligi per id quod dixit, inducens, hoc est unum prae oculis sese offert singulare, quod est in semicirculo, aut per syllogismum, i. accipere doctrinam, uel disciplinam: [fortasse dicendum est quempiam aliquo pacto scire, & aliquo pacto ignorare.] declarat autem hoc cum dixit, [quod enim nesciuit si est,] supple, triangulus absconsus, [simpliciter:] eo quòd non inducit, neque uidet triangulum absconsum, per sensum: & hoc modo dicitur ignorare ac nescire simpliciter. [Hoc quodammodo sciuit, quod duos habet rectos simpliciter,] idest, quod vero hoc, supple, absconsum sciuerit quodammodo, est, quod sciuerat in uniuersali, omnem triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis. [igitur non sciuit simpliciter quoniam non uiderat, sensu, absconsum: & sciuit simpliciter quia scit hanc vniuersalē propositionem, omnis triangulus habet tres aequales duobus rectis. [Si vero non,] supple, sciuit, idest hoc modo vt diximus in particulari, & in vniuersali, primum nescire, secundum non ignorare: continget ambiguitas [Mennonis] siue Platonis in Mennonem, quoniam iste dicebat [aut nihil discit, aut discit id quod sciuit,] quae quidem solutio est Heracliti, ut inquit (Egidius, qui negauerat scire: aut ut ponebat Plato, qui dicebat nostrū̃ scire esse reminisci: & est solutio imperfecta. cum omnem doctrinam, & omnem disciplinam fieri ex praexistenti cognitione dicat Aristoteles: nunc intendit quaedam quae scita sunt nobis prius aliquo modo, & aliquo modo non sunt scita. Inquit autem Philosophus: hoc in loco, cum sint duo praecognoscendi modi. Vnus est huiusmodi cum in praecognitum quippiam rursus incidimus, non intercedente obliuione, ueluti si primo visu quippiam habemus, eiusdem memoriam tenentes, iterum videamus, cognoscere hoc nos dicimus. At si obliuio intercesserit, habentes mox eiusdem iterato notitiam, nō amplius cognoscere ipsum dicimur, sed recordati. Et iste est primus modus cognoscendi. Secundus vero modus est, vt cum habentes vniuersalis notitiam in particulare quippiam inciderimus, quod prius non uidimus, mox id uniuersali cuius notitiam habemus, inferimus, verbi gratia, si quis viderit magnetem ferrum trahere, siquidem antea non praenouerit, omnem huiusmodi magnetem ferrum trahere non dicitur cognoscere, quod magnes sit eius potentiae. sed primum discit si habet doctis copiā; Quod omnis magnes ferrum trahit; si cognoscit hoc in vniuersali, & statim videat in particulari aliquam magnetem ferrum trahere, cognoscit illam speciem esse sub tali vniuersali, quod omnis magnes ferrum trahit. ex hisce igiť duob. modis de scđo agit A. i t. inquiens, quod est cognoscere alia quidem prius cognoscentem, ut vniuersalia; & aliorum est simul suscipere notitiam, vt sunt illa quae contingunt esse sub vniuersalibus, quorum, supple, vniuersalium habent cognitionem, ut patet de hac vniuersali propositione scita: omnis triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis: inducens p sensum de hoc absconso in semicirculo, & confirmat quoque cum dicit nonnullorum hoc modo est disciplina, & non per medium, idest per causam immediatam, singulare uel ultimum cognoscitur,

gnoscitur, quia inter singularia nō datur medium. igitur in præsenti contextu ait, quod antequam per sensum syllogismum capiamus forsitan illum nō ignoramus aliquo modo, nēpe in vniuersali, sed non in particulari. nanque si quis p̄ manibus, & absconsum triangulum habeat, scimus omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, statimq́ue cum inducit illum, quod absonsus erat, illico dico, dicimus, & illum habere tres. non qđ ignoremus illum habere tres, sed quia ignoramus an verus sit triangulus. sed melius in sequenti contextu patet solutio.

Tex. 4. Non enim vsque scire.

SOphistæ, tempore Aristotelis ipsum scire destruxerunt, & vtebantur hoc cauillo: si quid contingat nos scire, sit istud, omnis dualitas est par: sed hoc non scitur. igitur nil contingit nos scire. in hac ergo septima conclusione ostendit illos non rectam dedisse solutionem: ponitq́ue in fine cauilli dilutionem, inquit igitur, non enim dicendum est sicut quidam argumentantur, uel soluere conantur: quæ quidem solutio hæc erat; scis (inquiunt) omnem dualitatem esse parem, an nō? dicente autem, supple, hoc, aut concedente hoc se scire; attulerant quandā dualitatem, quam dualitatem non opinatus est esse, idest absconsam præ manibus, quare neque parem, quasi dicat tu nescis hanc esse dualitatem, quare quoque neque parem esse ipsum scire inferunt. adducit quandam falsam solutionem: cum subdit dicens. soluunt enim quidam dicentes non cognoscere omnem dualitatem esse parem, sed quam sciunt esse dualitatem, illam dicunt esse dualitatem, & parem. Sequitur deinde, attamen, id sciunt, cuius habent demonstrationem, & de quo eam supple, demonstrationem, acceperūt. nanque isti acceperunt eam demōstrationem non de omni dualitate, quam sciebant dualitatem esse parem, aut quem sciunt esse triangulum, sed accipere oportet simpliciter de omni triāgulo ac de omni dualitate; quare dixit hæc, vt magis falsam dilutionem ostēdat; ac sine aliquo addito, esse demonstrandum, seu aliqua adiectione. demōstratio enim non sic debet fieri. vna. n. propositio huius dicti, non sic accipitur, quod quem tu nosti esse parem. numerum aut dualitatem, aut triangulū, siue rectilineum, (quia omnis triangulus ex tribus lineis constat,) sed de omni, supple, dualitate, & de omni triangulo in vniuersali scit. Diluit demum cauillum cum subdit dicens: sed nihil, (vt opinor,) quod quis discit prohibet: sit vt scire, sit etiam vt ignorare: scire in vniuersali quia scimus omnē dualitatem esse parem, & ignoramus in particulari: hoc (inquit) modo inconueniens non est scire, & ignorare quodammodo. sed inconueniens est si hoc modo scit, scilicet, addiscit inquantū, scit, idest, quod in vniuersali scit, non discit in vniuersali, neque ignorat in vniuersali. igitur est manifestum nil sequi inconuenientis aliquo modo scire, & aliquo modo ignorare, & erit cauillus dilutus. hic sunt quædam dicenda. Et primo notandum, quod ante Aristotelem duæ fuerunt opiniones, circa scire: primaque fuit Heracliti, qui dicit non contingere nos scire. Primo propter varietatem rerum, & cōtinuū illarum fluxum: propter quod eadem res non potest bis in eodem statu permanere; ideo ob hoc certam ac determinatam non possumus habere scientiam. Secundo si contingeret nobis aliquid scire, aut id in hoc mundo, aut in superiori esset. non in hoc inferiori ꝓpter rerū varietatem, ut diximus; neq;

in

in mundo superiori propter maximā a nobis distantiam.ergo, &c. fuit etiā Socratis. Secunda opinio fuit Platonis in illo dialogo, qui Mēnon appellatur siue inscribitur: dicebat enim quod cō tingit aliquid scire, sed non de nouo; sed nostrum scire dicebat esse quoddā reminisci: Immaginabatur enim Plato animam nostrā a principio esse creatam cum omnium rerum intelligētia; deinde ob corporis cum ipsa vnionē impeditam esse a suis operationibus, vt illis fungeretur: deinde exercet paulatim iuxta vires, & dispositiones corporis, & hæc fuit sententia Platonis. Aristoteles autem post hos aliter ratus est. Contra Heraclitum, & contra Socratem, dicit, quod contingit scire; imo falsum est hoc negare ac absurdū. Contra uero Platonem dixit, contingere nos scire de nouo. Modus autem huiusmodi colligitur ex lib. 3. de anima: necesse est intelligentem phantasmata speculari, & in libro de sens. Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, quia scientia in nobis fit ex speciebus in phantasia existentibus, (vt inquit Com. in illo 3.) decisis a speciebus sensibilibus. sicut ergo species sensibilis est potentialiter in sensu, antequam à sensibili generetur sic species intelligibilis est in intellectu potentialiter, priusquam producatur per intelligibile, quia aliter intellectus nō moueretur ad illam speciem. conclusio est igitur scientiam esse potentialiter in intellectu, antequam actu generetur. Dubitatur an aliquid contigat scire de nouo, & videtur quod non, & patet exemplo; nam si quis scit hanc vniuersalem, omnis triangulus habet tres æquales duobus rectis; illico scit istam conclusionem, iste quod est in semicirculo, &c. ergo. Secundo sic, anima humana a Deo immediate creatur, cum sine scientia ipsa sit valde imperfecta, non videtur verisimile, absque scientia ab æterno Deo ipsam in principio creari. quare creatur sciens, & per consequens non addiscit aliquid de nouo, quod est in fauorē Platonis. Tertio arguitur sic, si anima nō creatur sic, sequitur ipsam esse alterabilē, quod est contra Philosophū in 7. Phys. igitur creatur cum scientia: & nihil de nouo discit. Ad primam rationem respōdet Aristoteles duplici ratione reprobando, quia illud scitur cuius demonstratio habetur. Sed per demonstrationem de omni triangulo notitia habetur simpliciter, & non solum de triangulo, qui præscitur esse triangulum. igitur qui scit vniuersaliter, de omni scit. Secunda ratio: nulla præmissa demonstrationis accipiebatur cum illa additione quem scis esse triangulum, sed accipiebatur simpliciter de omni triangulo: ergo etiam ista conclusio omnis triāgulus scit simpliciter de omni, non autem solum de illo quē præscitur esse triangulum, ad confirmationem dicit non esse inconueniēs, ut opinor addiscere de nouo id quod scimus sed diuerso modo a priori, ut quod in uniuersali sciebamus in particulari cognoscere, & sic patet prima solutio. Ad secundum argumentum dicendum est animam humanam a principio suæ creationis esse essentialiter æq; pfectā, sicuti cū est cū habitib. sciētificis repleta, veruntamē accidentaliter, aut nullius, aut modicæ perfectionis est, sed fieri pōt in processu accidētaliter valde perfecta: & hoc sufficit. Ad tertiam, & ultimam rationem dicitur, quod est concedendum animam alterabilem esse alteratione perfectiua, & large sumpta, aliquam sciētiam acquirendo, non tamen alterabilis est alteratione corruptiua, & propriesumpta, qualis potest esse calefactio, & frigefactio, & similia, quæ omnia intendit Aristoteles in illo septimo Physicorum. colligamus nunc breuiter,

er, quæ in hoc capitulo breuiter dicta sunt.

Tex. 2. Scire autē vsque. Priora tem, & notiora. Cap. II.

Diuiditur hoc capnt in duas partes principales. vna continet viginti, & unam diffinitionem. altera quinque conclusiones. Primo ergo notandum est, quod Aristoteles incepit ab ipso scire ut inquit Linconiensis, propterea quod ipsum scire est finis huius scientiæ, & finē oportet esse primum in intentione, & cognitione, vel incepit ab ipso scire, quia notius est, quoniam multi sunt, qui scire se opinantur, & quid demonstrare sit ignorant. Notandum item est secundum Philoponum, quod scire est vniuersalior ipsa demō stratione: si enim est demonstratio, & scientia quoque est: sed si est scientia non est demonstratio. Tertio notandū, quod scire multipliciter dicitur, vt recte adnotauit Robert. scilicet communiter, proprie, magis proprie, & maxime proprie. Scientia communiter est. veritatis comprehensio, & hoc modo sciuntur erratica contingentia, & dicitur scientia proprie eorum ueritatis comprehensio, quæ semper uel frequētius vno modo se habent, & hoc modo sciuntur contingentia aliqua naturalia quorum est demonstratio communiter dicta. Scientia magis proprie est eorum veritatis comprehensio quę semper vno modo se habēt. & hoc modo principia, & cōclusiones sciuntur. Scientia vero maxime proprie est causæ apprehensio immutabiliter, à quo illud habet esse i essendo, & causando: & hæc attinet ad demonstrationem potissi. hæc ille: accedit igitur ad primam definitionem cum dicit. Scire autem opinamur vnumquodq; simpliciter, id est proprie: non ut omnium specietū scientiarum, sed earum quę circa scientiarum notitiam versantur: & non sophistico modo quod est secundum accidens, verbi gratia, sic dicēdo: quis est bonus, & est musicus. ergo est bon' musicus: neque proprie est scire ac demōstratiue id quod dicit est ornatus in vestitu: ergo est adulter, sed est scire probabiliter. nam scire simpliciter ac proprie, est cum arbitramur cognoscere causam propter quam aliqua res est, siue aliquis effectus: & nō contingit hoc supple effectus, aut causa aliter sese habere. Hic autem notandum est, hāc definitionem non conuenire, nisi demonstrationi propter quid: nam demōstratio quia, non est syllogismus faciēs scire, eo quod non facit cognoscere causam propter quam res est, sed tantum quid res sit cognoscere facit: ostendit rectam se dedisse definitionem cū subdit, dicens: Manifestum igitur est, quod scire sit aliquid huiusmodi, sicut, supple dictum est, & manifestum est: quia tam nescientes, quam scientes æstimāt se scire si huiusmodi causam habeant. non scientes ipsi, putant se habere sic, idest putant se habere hanc causam. Scientes vero, & sciūt causam, & sciūt quoque se illam scire. Hic etiam notatione dignum est, quod aliqua notitia aggeneratur in nobis quadrupliciter. Primo, per signa aut aliqua probabilia. Secundo, per causam remotam. Tertio, per aliquos effectus. Quarto, & vltimo, per causam propriam & immediatam. Item notandum est, quod quatuor requiruntur ad scire simpliciter, scilicet cognoscere rem scibilem, non solum actu, sed etiam habitu, nanque dormiens cōtingit Philosophum esse. secundo, cognoscere causam rei scibilis. tertium est, cognoscere illum esse causam illius effectus: nō enim sufficit lunam scire eclypsari, sed etiam oportet scire, quod iterpositio terræ est causa. quarto, & vltimo, quod illa causa

non

non contingat aliter sese habere, sed posita causa quod ponatur effectus, & quod non sit causa per accidens. ponit corrolarium quoddam cum subdit, dicens: Quare cuius simpliciter est scientia, id aliter se habere impossibile est. quod est dicere si scire est rem per causam cognoscere, idest per causam necessariam non autem contingentem, oportet hoc, idest scibile, & id cuius est simpliciter scientia sit quid necessarium non contingens aliter se habere. Siquidem igitur, & alius modus est sciendi: Posterius dicemus. Dubitaret hic aliquis cur Aristoteles aggrediatur ad diffinitionem ipsius scire, quam de ipsa scientia. Secundo, cum æquiuoca sunt prius distinguenda, quam diffinienda, vt patet in libris de Cęlo, & in primo Elenchorum: cur, inquam, nō distinguit ipsum scire, deinde diffinire. Ad primum dico breuiter, cum demōstrationis conditiones ab intimo fine scire dependeant, idcirco ab ipso scire incepit. Ad secundum dico, cum in hisce libris Posteriorum, sit de demōstratione agere, ideo non definiuit quodcunque scire, sed scire, quæ ad illam demōstrationem pertinet. deinde subdit, dicimus autem scire; & per demonstrationem intelligere, idest dicimus quod scire nil aliud quam intelligere veritatem per demonstrationem. propterea quod scire est finis demōstrationis. Demonstrationem autem dico: syllogismum faciens scire, siue syllogismum scientialem, quem cum habemus scimus. Hic notandum est, triplicem esse syllogismum alius dicitur syllogismus scientificus, alius medius, & alius captiosus. de scientifico hic loquitur Aristoteles: Medius syllogismus est ille qui argumentatur non captiose, uel scientifice, sed ex verisimilibus, quod est medium inter hos: ut cum dico Nocte uagatur ergo fur. est vir adornatus ergo adulter. hæc mulier lac habet ergo peperit. Syllogismus vero captiosus adhuc dupliciter est, vt quando qđ substantiæ inest putatur inesse accidenti: aut cum putatur inesse accidenti qđ inest substantiæ quod est econuerso. Exemplum primi, vt si animal insit ipsi coruo, credat̃ inesse ipsi nigro ĩc. Omnis coruus est animal: omnis coruus niger: igitur omne nigrũ animal, aut sic nigrum animal est, omne nigrum color, igitur color animal. Exemplum secundi, motus est in mobili. tempus est motus igitur tempus in mobili. aut omne album est color: pomum est album: pomum ergo est color. deinde sequitur dicens: Si igitur est scire illo modo, vt posuimus: scilicet cũ arbitramur cognoscere causam: necesse est demonstratiuam scientiam esse ex veris, & esse ex primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, causisque conclusionis. quidam iuniores attribuunt hanc definitionem syllogismo demonstratiuo: sed realiter est definitio quæ demōstratiuæ scientiæ competit, aut si competit demonstrationi hoc euenit quatenus scientiam parit. Declarat deinde hanc definitionem duplici modo, primo generaliter: secundo modo specialiter: generaliter cum dicit, sic enim propria principia eius quod demōstratur, quasi dicat, quod sic sumpta erunt propria peculiariaque principia eius, quod demonstratur sine quibus non est syllogismus scientificus, vel si demonstratio sit sic, quod habeat omnes conditiones supra tactas ex veris, primis, immediatis &c. sunt tũc in ea propria principia eius quod demonstrantur, idest eius quod scitur, uel scibilis: nam syllogismus simpliciter acceptus vt in libris Priorum, accipitur ut syllogismus dyalecticus potest esse sine his. supple, omnib. conditionibus, imò absque nulla harum conditionum, sed demonstratio nō erit, quæ non per hos terminos procedet: quoniam si sic non

esset

esset non pareret scientiam. Declarat deinde hanc definitionem particulariter, siue specialiter cum subdit, dicens: vera quidem igitur oportet esse; supple, quod demonstratur, vel ea ex quibus fit demonstratio: quoniã quod non est, non est scire, idest impossibile est, vt quod nõ est sciatur, vt quod diameter sit symeter, quasi dicat, non contingit scire, vel verum esse, sed falsum qđ diameter sit symeter, per, non, intellige falsum. Declarat aliam particulam cum subdit, dicens: Ex primis autem & indemõstrabilibus est, idest ex primis, & immediatis oportet esse demonstratiuam scientiam; propterea quod ipse non sciet, non habens ipsorum demonstrationem, idest per ipsa indemonstrabilia, seu immediata & prima. subdit rationem dicens: scire enim quorum est demonstratio est non secundum accidens, idest, propterea quod scire ea simpliciter quorum est demonstratio; est non scire secundum accidens, ac secundum alterum, sed secundum se demonstrationem habere. quæ enim sunt secundum accidens, vel secundum alterum non sunt ex primis, & indemonstrabilibus. patet ergo demonstratiuã scientiam debere esse ex primis, & immediatis, siue indemonstrabilibus. Declarat deinde aliam particulam cũ dicit: Causas quoque & notiora, & priora oportet esse. causas quidem, quoniã tunc scimus cũ causam cognoscimus. & priora: siquidem causæ sunt, [& notiora] non solum altero modo intelligendo, sed & in sciendo quoniam sunt, idest, oportet, vt causæ sint non solum notiores, sed etiam priores, vel primæ: quia tunc vere scimus cum causę priores & notiores sunt. & oportet notiora esse quæ assumuntur aut dicuntur, non solum altero modo intelligendo, supple, quid nominis eorum, sed etiam in sciendo quoniam sunt; quod est dicere non solum quantum ad quid est, sed ẽt ad quia est: & quid nomen significet, & quod vera sunt. Notatione dignum est, quod ea quæ sunt prima, & vera, & immediata possunt nominari principia, quia sumunt principium ab illis suæ conclusionis. Principiorum quædam sunt communia, & quædam propria. cõmunia dicuntur illa quæ non faciũt ac pertinẽt peculiariter ad vnam scientiam, sed ad plures adduci possunt, ut si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia. aut omne totum maius est sua parte. omnis numerus totalis maior est sua parte. Propria verò quæ non pluribus, sed uni tantum sciẽtiæ attribuũtur: ut omne animal rationale est capax disciplinæ. est principiũ propriũ in scientia de homine, aut omne corpus quod nõ est susceptibile qualitatum actiuarum est incorruptibile. Estq; principium in scientia de corpore cęlesti, & sic de singulis. Elicitur ergo hic, quod duplex est scire, scilicet scire per se, & scire per accidens. scire per se est scire aliquid ex propositionibus per se, vt scire hanc propositionem. omnis homo est risibilis, sic arguẽdo. omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, igitur omnis homo est risibilis. Scire uero per accidens est scire aliquid ex propositionibus per accidens: vt sic arguendo ædificator ædificat, ædificator est album, ergo albũ ædificat: quoniam est per accidens, vt sit albus ædificator ad hunc modum arguendi reducitur sophisticus syllogismus, ut arguendo sic ædificator per se ædificat; ędificator est albus, igitur album per se ædificat: & scire hoc modo sophisticè non est scire, sed potius mẽtem, ac intellectum a recta via est deuiare.

Tex. 6. Priora vsque quoniam autem oportet credere, &c.

HAec est secunda conclusio huius capitis; in qua ostendit Aristoteles

les notiora, & priora dici dupliciter, scilicet, secundum naturam,& secundum nos, dicit igitur quod priora & notiora dupliciter sunt, idest dicũtur. propterea quod nõ est idem notius natura,& notius nobis;neque prius natura,neque nobis prius. quod est dicere non est idem notius,& prius, secũdum nos,& prius,ac notius,secundum naturam.Declarat seipsum cum subdit, dicés.Dico illa esse notiora, & priora secundum nos, vel quo ad nos quæ sunt propinquiora sensui, vt sunt singularia.Simpliciter autem priora & notiora : idest,vniuersaliter,vel secundũ naturam sunt ea quæ longius sunt, idest sunt illa,quæ ab ijs quę sensu percipiũtur remotiora sunt.quæ sint hæc declarat dicens: ea sunt à sensu remotissima quæ maxime sunt vniuersalia:& propinquissima sunt sensui,quę sunt singularia.& hæc maxime vniuersalia,& singularia pugnantes modos ex aduerso prioritatis,& cognitionis habent.propterea quod vnum est singulare & propinquũ sensui;aliud verò vniuersale,& remotum. Adest hic dubitatio : quoniã in primo Phisicorum, inquit,Aristoteles vniuersale esse notius secũdũ nos, singulare verò secundum naturam;hic autem dicit econtra.Ad hãc dubitationem breuiter respondendum est. Aut per vniuersale significamus causam distinctè cognitam, & per singulare effectum particularem, & hoc modo vniuersal e.est notius secundum naturam: singulare verò secundum nos. Aut per vniuersale significamus rem cognitã cõfuso modo,& communi,& hoc modo vniuersale est notius secundũ nos, vt si videamus è longinquo aliquẽ ambulãtẽ dicimus ac cognoscimus prius animal esse quam homo, & homo quã Franciscus: per singulare verò rem distinctè cognitam:& sic singulare est notius secundum naturam. Ponit octauã definitionem cum subdit dicẽs:Ex primis est demõstratiua scientia, cum est ex proprijs principijs.Idem autem voco primum ; & proprium principium. Hic notatione dignum est,quoniam supra dixerat demonstratiuam sciẽtiam esse ex primis,& prioribus,& notioribus,&c.declarauitque illa, sed nõ quo modo ex causis sit conclusionis ostenderat:ideo in præsenti,hæc,ait.quod ex primis sunt,quæ ex proprijs fluũt. Declarat deinde quę sit propositio immediata dicens:propositio immediata est illa qua nõ est altera prior.igitur oportet,vt demonstratio sit ex priorib.cum ex propositionib.immediatis sint:quibus non sunt aliæ priores. definit deinde propositionem cum dicit : propositio est altera pars enunciationis, vera, scilicet, aut falsa unum de vno significans.quasi dicat, quod propositio quæ est præmissa in syllogismo, oportet,vt sit altera pars enũciationis,idest debet esse affirmatiua, aut negatiua vnum de vno,quare datur enunciatio plures, ut sortes & Plato sunt homo. diuidit hãc in dyalecticam & demonstratiuam cũ subdit.d. propositio dyalectica est,quę vtramuis partem enũciationis, veram aut falsam sumit: quoniam dyalectica propositio, vtraque interrogat,nũ homo est animal,an non? sed demonstratio,vt subdit neutrum interrogat. Sed est illa propositio quæ determinatè enũciationis partem,veram,scilicet,sumit. at dialecticus sumit quãlibet partium enunciationis.Quid sit enũciatio declarat dicens: quod enunciatio quælibet enunciationis pars. idest enũciatio est illa quæ accipit quamlibet partem contradictionis,verbi gratia,triãgulum habet angulum extrinsecũ, vel non habet angulum extrinsecum:dicitur enunciatio. Contradictio autẽ est oppositio cuius non est medium secundum se.medium est, quod cum vtrunq; extremorum effugiat, vtriusque naturam sapit. Notandum est,quòd partes

contradictionis, sunt simpliciter affirmatio, & negatio. Item notandum, secũdum Philopon. contradictiones, vel opposita quadrupliciter opponuntur, aut secundum habitum & priuationẽ, aut ut ad aliquid, aut secundum cõtradictionem, & aut ut contraria. deinde subdit: pars contradictionis, quę de aliquo aliquid affirmatio est. hoc est. Affirmatio, vel propositio affirmatiua, est pars contradictionis quæ aliquid de aliquo significat. Quæ vero est ab aliquo aliquid, negatio est. quasi dicat, qđ negatio, est pars contradictionis quæ de aliquo aliquid significat, vel remouet aliquid ab aliquo, ut homo est risibilis, & nullus homo est risibilis. determinat deinde de imediato principio, ac illud diuidit in suas species. dicit igitur. Immediati principij syllogistici, supple unum membrum positionẽ dico, quam non est, idest contingit mõstrare, sed ponere, neque necesse est habere aliquem, vt illi doceat: quia sunt indemonstrabilia, quam vero, (supple aliud membrũ) necesse est habere quẽlibet docendum, dignitatem, vel maximam uoco: & hę sunt duę partes immediati principij. & hoc modo differt dignitas ab ipsa positione: quoniam cum profertur illico agnoscitur, ut hæc bis duo sunt quatuor: nõ enim indiget expositione, ac vt doceamur. positio vero est illa, quæ quamuis indemonstrabilis est, tamen breui colloquio, ac sermone indiget. vt quæcunque a cẽtro ad circunferentiam tendunt, inter se sunt æqualia, & hoc est quod subdit; sũt enim quędam huiusmodi, supple, propositiones, quæ sunt ita per se notæ quod necesse est habere eas quemlibet docendum. hoc enim, idest hæ propositiones in huiusmodi supple affirmando, vel disputando, consueuimus nomẽ dicere, hoc est appellare sub nomine, maximę idest maximæ dicuntur, vt dicunt sæpe ac sæpius fratres. Subdiuidit positionẽ in definitionem, & suppositionem dicens: Positionis autem, idest una pars positiõnis, quæ est accipiẽs quamlibet partem enunciationis: vt cum dico aliquid esse vel non esse, dicitur esse suppositio. illa vero quæ sine hoc, idest esse vel non esse, vocatur definitio: quoniam definitio est quædam positio: nanque Arithmeticus ponit vnitatem esse indiuisibilem secundum quantitatem. suppositio autem nõ, quasi dicat, licet definitio sit suppositio non tamen est suppositio: propterea quod, esse vnitatem non est idem, ac quod quid est vnitas. per hæc verba (& aduerte) quod qd est, intellige definitionem. sunt in hoc contextu quædam notatu digna. & primo. circa principium priora autem. quod Commentator in primo Physic. dicit quod in quibusdam scientijs idẽ est notius nobis, & notius natura, vt in Mathematicis. in quibusdam aũt econtra sicut ĩ naturalibus, in quibus vt plurimum ab effectu demõstratur; effectus autẽ sunt notiores nobis, & causę sunt notiores naturæ. Secundo notandum, circa illam particulam, est autem principium, quod principiũ demonstrationis est duplex: scilicet complexum, & incomplexum. Incomplexum sicut definitio quæ est principium demonstrationis, vt dicit ĩ primo de anima. complexum autem diuiditur: quoddã enim formaliter ingreditur demõstrationẽ, vt præmissa indemonstrabilis. quoddã autem virtualiter, vt est dignitas. & hic de vtroque principio complexo loquitur Philosophus. Dubitatur autem, an dignitas habeat propositionẽ ea priorem. & videtur quod sic: nanque illa de nullo simul dicitur esse, & nõ inesse; est dignitas: tamen prior est ipsa, illa affirmatiua. quodlibet est, uel nõ est, eo qđ affirmatio est prior negatione. Ad hoc breuiter dicam quid sentio quod in genere negationis nullam habet priorẽ; quemadmodum & illa in genere affirmationis.

mationis.& sic erunt duæ primæ dignitates, licet habeat affirmationem,(alia de causa) priorem . dubitatur item ibi cum dicebatur dialectica quidem: quæ differentia sit inter problema dialecticum, & propositionem, quoniam etiã problema utranlibet sumit. Dicendũ est, hanc esse differentiam, eo quod in problemate interrogat opponẽs vtrãlibet, ut contra eam quæ respondenti uidetur, obijciat. In propositione quærit utranlibet, ut sumat consensum, quo assumpto, partem quam accepit, constituit maiorem, uel minorem syllogismi dialectici. ubi vero dicit, quã necesse, &c. notandum est secundum philopophũ trifariam dici dignitatem. aliam esse uniuersalem omnibus, qui quicquam discere nolũt, ut impossibile est idem simul esse, & non esse. Aliam particularem, ut quam habere necesse est non omnem, sed qui vult discere problema particulare. Et quasi mediam ut motus est, & similia. quantum uerò spectat ad finem dicendum est, quod duæ sunt. species suppositionis, & duæ species positionis. species suppositionis sunt, suppositio tantum, & petitio. species uero positionis sunt suppositio, & definitio, & hæc secundũ Philoponum. Item tripliciter est principium immmediatũ, ut dignitas, definitio, & suppositio. dignitas ab alijs differt, eo quod est principium magis vniuersale. definitio uero, & suppositio sunt magis specialia, & propria principia, & hæc secundum Egidium.

Tex.7. Quoniam autem oportet cred. vsque quibusdam autem.

HAec est tertia conclusio huius capitis, quam ponit Aristoteles in principio huius contextus; ostenditq; demonstrationem oportere esse ex notioribus, & determinat de cognitione principiorum immediatorum. dicit igitur quoniam autem oportet credere, & scire rem, idest rem aliquã probandam, in habendo huiusmodi syllogismum quem demonstrationem vocamus: est autem hoc, idest contingit scire conclusionem, eo quod contingit scire ea, scilicet principia, ex quibus est syllogismus, idest, contingit scire conclusionem, quia contingit scire ea ex quibus est syllogismus, quæ sunt principia. quod est aperte dicere, nos contingere, uel credere, & scire cõclusam rem, quia demonstrationem habemus: & contingit scire conclusionem, quoniam non ignoramus principia ex quibus est syllogismus. deinde subdit necesse est non solum cognoscere prima, uel principia, aut omnia, aut quædam, sed oportet cognoscere magis: quasi dicat, quod principia non solum sunt prima, & notiora, quam conclusiones: sed sunt magis nota: & hoc est quod sequitur: semper enim propter quod unumquodque tale est, illud magis est, ut propter quod amam^o illud, amicum magis, idest propter quodcũque esse tale, alterum tale est: & ipsum quoque propter quod est, magis tale est, ut id propter quod amatum, alterũ amamus, magis est amatum, verbi gratia, amare præceptorem propter filiũ est amare magis filiũ, quia præceptor propter illum amatur. quare siquidẽ scimus propter prima, & credimus: ut sunt præmissæ demonstrationis, vel propter principia, & illa scimus ac credimus magis, idest illa principia. quoniam propter illa scimus posteriora, vel ĩtellige, ut supra exposuimus. tex. tertio. Circa hanc propositionem propter vnumquodque tale notãdum est, ad hoc quod sit uera, oportet ut habeat tres conditiones. Prima est quod passio insit causæ, & causato: idcirco stupor piscatoris manui non autem reti

ineſt. Secunda quod paſſio inſit cauſæ propter cauſatum, ut diligo præceptorem quod eſt cauſa, propter filiũ meũ, quod eſt cauſatum. Tertia conditio eſt, quod ſuſcipiat magis & minus, ut ego ſum calidus pp ignem ergo ignis eſt magis calidus. alia in fine explanationis erunt dicenda. Quartã deinde ſequitur concluſionem cum ſubdit dicens. (nõ poteſt autem credere magis, quæ non ſcit: quæ non contingunt neque ſciens, neque melius diſpoſitus, quam ſi contigerit ſciens: quoniam circa principia contingit ſcire, aut per demõſtrationẽ: aut circa ea melius affecti ſumus, quam ſi demõſtratione fuerimus,) q.d. quod nec ſciẽs, nec melius diſpoſitus, quam ſciens non poteſt magis credere, nec poteſt magis cognoſcere ea quæ non ſcit, quã ea quæ ſcit, & in hac concluſione erit probatio principia eſſe magis nota, quam concluſiones, quia ſi principia non eſſent magis nota ſequeretur, quod quis, magis vel æqualiter cognoſceret concluſiones quas ignorarit, quam principia, quæ nouit: ſed hoc eſt impoſſibile, qđ aliquis ſciens, uel melius diſpoſitus, quam ſciens cognoſcat magis concluſiones quas non nouit, quam principia quę nouit. igitur impoſſibile principia nõ eſſe magis nota. deinde ſubdit: (accidet autem hoc, vel continget hoc, ſcilicet impoſsibile, quod aliquis nõ credet magis his, quæ nouit quam his quę non nouit; niſi aliquis credentiũ, propter demonſtrationem præcognouerit,) ſupple, magis ipſa principia: ſtantibus igitur his neceſſe eſt magis credere principijs, aut omnibus, aut quibuſdã principijs, quã concluſioni. principia ergo aut per demonſtrationem ſciuntur: aut circa ea melius affecti ſumus, quam ſi ea fuerimus demonſtratione ſcientes. Vltimam ponit deinde cõcluſionem cum dicit, quod (debentem habere ſcientiam per demonſtrationem,) id eſt ille qui vult ſciẽtiam habere per demonſtrationem, non ſolũ oportet, ut habeat hoc quod dictum eſt, ſupple, quod magis principijs credat, & magis cognoſcat; verum etiam neque aliud quippiam eorum, quæ principijs opponuntur, neque notius neque credibilius eſſe, neceſſe eſt, vt credat. ex quibus, ſupple, principijs oppoſitis erit contrariæ deceptionis ſiue ignorantiæ ſyllogiſmus. igitur ſi principia erunt magis nota in veritate, ſic oppoſita in falſitate. ratio autem quare neceſſe eſt nihil eſſe credibilius debenti ſcientiam habere: propterea quod (vt ſubdit) oportet ſimpliciter ſcientem, eſſe immutabilem: & firmiter illis adherere, nec formidare illa non eſſe. atqui ſi aliquid oppoſitorum credibilius, notiuſue eſſet principijs, diſſuaſibilis planè eſſet, atq; a ſua ſententia mutabilis. igitur non aliquid oppoſitorũ credibilius notiuſue principijs eſſe poſſibile eſt. Sunt hic quædam dicenda circa hunc contextum, & primo cum dicebatur principia magis ſciri, quam concluſiones non accipitur ſcire maxime proprie, quia tale ſcire competit ſolis demonſtratis, ut ſupra diximus. ſed accipitur ſcire ꝓprie, vel magis proprie: tale enim ſcire poteſt & principijs, & cognitionibus competere. Notandum etiã quod illa propoſitio propter vnumquodq; non eſſe ueram in cauſis formalibus, vt es albus propter albedinem ergo albedo magis alba: nec in cauſis materialibus, ut non ſequitur tu es propter materiam corruptibilis, ergo materia eſt magis corruptibilis. Nec in finalibus, vt tu es ambulans propter ſanitatem. ergo ambulatio eſt magis ſana. Nec in cauſis efficiẽtib. inſtrumentalibus, vel non eſſentialiter ordinatis, ut tu es calidus propter motum ergo motus eſt magis calidus. ſed bene eſt vera in cauſis efficientibus principalibus

eſſen-

essentialiter ordinatis, formaliter, uel virtualiter: nam bene sequitur tu es calidus propter solem. ergo sol formaliter, uel uirtualiter est magis calidus. Item Notandum, quod per illa verba melius dispositus, Linconiensis intelligit habētem habitum primorum principiorum: ille enim habitus cū scientia proprie nō dicatur sed intellectus uidetur esse melior habitus; & per cōsequens habens ipsum, dicitur melius dispositus, quam sciens. quid autē sit habit⁹, in prædicamētis patefecimus. vnde si quis sciret. b. aut. c. conclusiones per præmissas demonstrabiles, respectu illarum diceretur sciens. Habens autem cognitionem principiorū earundem conclusionum indemonstrabilium; diceretur melius dispositus, quam sciens. v. g. sciens dicit lunā ecclipsari, eo quod non recipit lumen à sole: melius uero dispositus dicet ob interpositionem centri, uel terræ, & hæc est differētia inter hos duos, quod. sciens potest mutari in opinionibus, sed ille melius dispositus non mutatur, & hæc satis dicta pro præsenti capitulo.

Tex. 8. Quibusdam autem vsque nos autem dicimus. Cap. III.

IN capite præcedenti docuerat Philosophus nos debere magis fidem principijs præbere quam conclusioni, hic ostendit nata esse duo dubia contra hoc, siue duas opiniones: quoniam quidam putabant principia sciri per demonstrationem, & per conclusionē, & conclusionē sciri per principia, & ita dari circulatio in demonstratione, seu dari scientiam per circulum. Alij vero ex aduerso dixerunt nullam dari scientiam, alioquin daretur processus in infinitum. Propterea Aristoteles ad has sententias extirpandas hoc caput conscripsit. probatque non dari omnium rerum scientiam circulo. habet igitur has duas opiniones, cum earum rationibus: Conclusiones quinque, & vnam obiectionem cum dilutione. in hoc primo contextu ponit duas ipsas opiniones. cum dicit. nonnullis non videtur aliquorum esse sciētiam, propter id quod oportet scire prima, vel principia, quasi dicat, quod quidam negauerunt dari scientiam demonstratiuam, quoniam oportet scire principia ad hoc, quod sit scientia: sed quia probabant hoc esse impossibile, ideo dicebant, quod impossibile est sciri. ponit secundam opinionem cum dicit. quibusdam esse quidem dari demonstratiuam scientiam, sed omnium, supple, rerum demonstrationes esse ponunt: quorum neutrum, uel quarum opinionum, neutra neque uera, neque necessaria est. ostendit deinde rationes horum errorum cum subdit dicens. ratio ponentium non esse omnino scire, dicunt, procedere debere in infinitum, si vlla esset scientia, quod si ita est, non est scientia, quia non sciunt utique posteriora propter priora, quasi dicat, si in causis est procedere in infinitum nō esset dari ibi aliqua prima per quæ sciri possint posteriora: quorum, supple, infinitorum, non sint prima, recte dicentes, idest, impossibile est infinita ꝑ transire. adijciuntque si statur aliquo, vel si stent in causis status, & sint principia, idest, & si contingit deuenire ad aliqua principia: hic, supple, principia ignota esse necesse est; cum demōstratio non sit ipsorum principiorū, quod quidem dicunt esse scire solum. si igitur non contingit prima scire, uel principia, neque contingit scire ea quæ sunt ex eis, supple, principijs simpliciter. est enim demonstratio simpliciter quæ scire facit simpliciter, neque proprie facient scire, sed solum ex suppositione,

sitione, idest, ex conditione, si sint illa principia. hac ratione uidetur illis nõ esse scientiam. Ratio autem secūdę opinionis fuit ista, quod quidam dicunt, quod sit ipsum scire, & confitentur esse scire, per demonstrationem tamen solum, at secundum illorum sententiā dicunt nihil prohibere esse demōstrationem omnium rerum, quod est falsum. dicunt quod contingit fieri demonstrationem, & ex his quæ sunt ad inuicem, ut quando si est. a. est. o. & si est. o. est. a. Hic autem notatione dignū est secundum Egid. quod cum ultra prima non sit processus, sed ibi status & ibi finis sit. si in infinitis esset deuenire usque ad prima: infinita haberent finem, & contingeret infinita pertransire. Recte ergo dicunt dicentes infinitorū nō esse prima: quia possibile esset infinita pertransire, & in infinitis impossibile est usque ad prima deuenire. Linconiensis hic notat, Aristotelē hāc partem introduxisse ad complementū bonitatis huius scientiæ, non quod de substantia eius sit huiusmodi errores remouere. Tertio secundum eundem notandum est istos non recte intellexisse æquiuocationem istius termini, scire, cum multipliciter dicatur, ut supra adnotauimus, scire proprie sumptum, & maxime proprie, scire proprie competit, & principijs, & conclusionibus: & tale non necessario est per demonstrationem. scire simpliciter, solis demonstrationibus demonstratis competit: quare ut respōdeamus utrique opinioni, quod principia sciuntur non tamen sequitur, quod sciantur per demonstrationem, & sic non sequitur, quod non contingat scire, neq; quod omnium sit scientia per demonstrationem. quare isti non recte uniuoce scire accepe- runt.

Tex. 9. Nos autem dicimus vsque accidit vero dicentibus.

Ponit in præsenti contextu duas cōclusiones, & obiectionem cum dilutione Aristoteles: improbatque illorū errores. dicit igitur. Nos autem dicimus neque omnem scientiam demonstratiuam, idest non omnia sciri per demonstrationem, sed esse scientiam immediatorum indemonstrabilem, & quod hoc sit necessarium manifestum est. Si enim necesse est scire priora, ex quibus est demonstratio, stant autem aliquando immediata, hæc quidem indemonstrabilia necesse est esse: idest si per priora alia sciūtur, oportet etiam vt priora sciantur: igitur cum in talibus non sit processus in infinitum, erit ad aliqua priora deuenire omnino immediata, quorum habetur scientia, & non per demonstrationem. construe sic, si necesse est scire priora ex quibus est demonstratio, stant aūt aliquando immediata, idest oportet vsque ad immediata, ut stent principia, ita vt non detur processus in infinitum: hæc quidem igitur necesse est, ut sint indemonstrabilia: & hoc sic diximus, supple, esse immediata; & non solum diximus esse scientiam, sed diximus esse quoddā principium scientiæ, inquantum terminos cognoscimus, idest huiusmodi principia cognosci inquantum cognoscimus terminos. scimus enim quod omne totum est maius suā parte. si cognoscimus terminorū significationes quid pars, quid totum: statim id cognoscimus. impugnat nunc alium errorē illorum dicentium, quod omnium est scientia per demonstrationem cum subdit dicens, quod autem sit impossibile demonstrare circulo, idest per circulum ita ut sit demonstratio omnium rerum simpliciter, manifestum est: siquidem

quidem oportet, ut demonstratio fit ex prioribus,& notioribus,sed impossibile est eadem inter se esse priora,& posteriora, ita ut sint primum priora, deinde posteriora, ut hæc quidem ad nos priora, illa vero simpliciter, idest secundum naturam: nisi fiat altero modo,ut contingit demonstrari circulariter. sed modo aliquo ut dicendum restat, uel sic intelligatur nisi altero modo,idest nisi quis uelit dicere,quod contingit demõstrari circulariter, sed alio modo siue diuerso:ut hæc quidem demonstratio sit quo ad nos, illa uero sit simpliciter, idest quo ad naturam simpliciter: quo modo, ex notioribus inquam ad nos notiora simpliciter,inductio facit notum. quoniam ex singularibus procedit, quæ sunt nobis prius nota. hæc est una cauillosa responsio, ut ad sua dicta perueniat, idcirco,subdit dicens. si autem sic est,idest si contingit demonstrare modo diuerso, non utique erit bene a nobis definitum scire; sed dupliciter, idest oportebit dicere scire esse dupliciter. An non simpliciter altera demonstratio sit ex notioribus nobis? hoc si est data a nobis recte demõstrationis definitio, quod oportet ex prioribus natura posteriora probare,altera demonstratio dicatur improprie, quæ afferit prima uel principia ex posterioribus, sed solubilis sit ac coniecturalis illa demonstratio, utputa cum sit demonstratio, quia est ab effectu ad causam. Notatione dignum est,quod sicut principiorum essendi quædam sunt prima, & quædam non prima: sic principia cognoscendi quædam sunt prima, & quædam non prima. Deus est principium essendi simpliciter: Cęlum uero aut intelligentiæ dicuntur principia, sed non prima: in proposito,principia cognoscendi quædam sunt prima: ut de quolibet dicitur esse, vel non esse. Non contingit idem simul esse, & non esse primum. Quædam uero non sunt absolutè prima, ut si ab æqualibus æqualia demas q̃ remanent sunt ęqualia: uel omne totum maius est sua parte. in proposito igitur prima principia sunt illa quibus assentimus statim ex apprehensione terminorum simplicium nullo discursu præcedente: & talia dicuntur immediata, eo quod non habent medium per quod possint probari: siue demonstratiue, aut non demonstratiue. principijs uero non primis,non statim intellectus assentit habita cognitione suorum terminorum; sed requirit[ur] discursus quidam, aut syllogismus. hæc dicuntur immediata,non quia per nullum medium probari possint, sed quoniam non habent medium, per quod demonstrari possunt, ut probatur non autem demonstratur omne totum esse maius sua parte. Probare est discursum: & demõstrare demonstratio.Secundo notandũ est circa syllogismum circularem,siue demonstrationem, quod oportet ut fiat in terminis conuertibilibus,aliter non valeret:ut est,homo animal,risibile, rationale, uerbi gratia, omne animal rationale est risibile,omnis homo est animal rationale, igitur omnis homo est risibilis.circulariter maior syllogistabitur sic: Omnis homo est risibilis, omne animal rationale est homo, ergo omne animal rationale est risibile.Minor sic syllogizabitur. Omne risibile est animal rationale,omnis homo est risibilis, igitur omnis homo est animal rationale. hæc omnia conuertibiliter dicuntur idcirco potest fieri syllogismus aut demonstratio circularis hoc pacto,sed non omni modo.

Tex. 10. Accidit uero usq; quoniam autem, &cęt.

TRes cõclusiones ponit Aristoteles in hoc contextu: ponit enim si daretur

retur demõstratio oĩum rerũ sequerent alia incõuenientia: eo qđ nõ aggenera tur scientia:ideo dicit.accidit siue contingit dicentibus demõstrationem esse circulo, idest ex seinuicem non solũ quod supra incõueniens nunc dictum est, sed sequitur etiam quod per aliquã demonstrationem nihil aliud est dicere,vel nihil aliud probatur,nisi,quod si hoc est, hoc est, eodem demonstrato.& est hoc valde inconueniens ac irrationabile,propterea quod,vt subdit, esset facile omnia demonstrare hoc modo. ac si diceret quis, propter quid anima est immortalis? quia est immortalis.ꝓpter quid homo est risibilis? quia est risibilis. hoc enim est ridiculũ:vsus fuit elementis, vt inquit Philoponus ratione breuitatis, pro ipsis ꝓpositionibus. Manifestum est autem, quod hoc, supple,inconueniens accidit,quod dictum est,positis tribus terminis: non iniuria hoc dixit,quoniam demõstratio ad minimum est ex tribus terminis. quare ergo circularis ostensio, erit ad minimũ duabus propositionibus, & tribus terminis,quod fiat demonstratio per multos terminos, aut perpaucos dicere reflectere,nihil differt.quia supple, idem erit.perpaucos autem,aut ꝑ duos. hoc est impossibile fieri perpauciores terminos tribus, & perpauciores propositiones duabus. propterea quod neque syllogismus contingit fieri per minus. dat exemplum in terminis cum dicit, cũ enim sit a, sit ex necessitate b, quasi dicat, demonstretur b,per a: & per b.c. & hoc est, quod subdit hoc autem cum sit,idest cum sit a,& c, supple sit. stantibus his, (aduerte quod per, a, & per c, idem intelligit quoniam in circulo idẽ est principiũ, & finis, sed quia differũt ratione, idcirco quasi alio nomine vocauit.) cum igitur erit a, erit &c.si igiť cum sit a,necesse est b,esse.hoc aũt supple b, cum sit, a est.& erit circulatio. Exemplo declaro, vt melius percipiatur,hæc sunt quæ uult Aristoteles, si est a,est b:si est b,est c.ergo si est a,est C:At diximus ipsum intelligere per a,& per c,idem:igitur erit hæc conclusio,si est a est a:quod est ridiculum. Notatione dignum est,quod per illam dictionem,facile,ut inquit Egidius intelligit superficiale. per, reflectere, vero intelligit circulariter procedere;quoniam in circulo fit reflexio ab eodem in idem, ut apparet etiam in motũ. docet nos per exemplum incidere in idem cum subdit dicens. Hoc enim erit circulo,supple hoc modo arguere.ponatur autẽ a, in quo c,idest ponatur quod a, idem sit quod c:& sic arguatur,b igitur cum sit, a est dicere,idest cũ est a,est b:est & ipsum c,dicere,esse idest,cum sit b,est dicere ipsum c,esse. hoc autem, supple,c est dicere, quoniam cum a est, & c, est. quia c, est idem cum ipso a. quare ergo dicentes demonstrationem esse circulo nil aliud accidit dicere,nisi cum sit a est a, quod erit dicere si est a, est a, uti principio diximus.sic autem demõstrare omnia,leue est. ostendit deinde quo modo isti Philosophi errabant, & erit hæc ratio, quod demonstratio sit ex terminis conuertibilibus, vt supra diximus quæ alternatim se ipsos sequũtur. dicit igitur: at uero neque hoc supple probare circulariter possibile est: nisi in ijs supple terminis qui alternatim, siue conuertibiliter se consequuntur, sicut sunt priora:vel sicut sunt propria, vt habet alius textus, & propria ab ipso dicuntur.quoniam supra ostenderat tribus terminis,duabus præmissis confici syllogismum;in præsenti reassumit idem cum dicit. vno quidem igitur posito,idest una propositione,vel uno termino posito, supra ostensum est, idest in libris Priorum,quod nequaquam necesse est esse alterum, idest sequi aliqđ alterum puta aliqua conclusio ex uno termino:seipsum declarat dicens,dico autem uno, quoniã nec termino uno,

nec

nec positione una, siue propositione vna, nil sequitur: ex duabus autem positionibus primis siue propositionibus primis, & minimis, idest ad minus, siquidem contingit, supple, sequi aliqd alterum, & syllogizare potest. deinde declarat, quod oportet syllogizari in prima figura cum subdit dicens. Si igitur a medium ipsi, b, & c, sequatur, idest, si a, insit b, &c. & hæc duo a, & b, insint ipsi, a, adinuicē, uel conuertibiliter, siquidem ex alternis contingit monstrare omnia quæsita in prima figura: quasi dicat: quod tunc continget syllogizare circulariter alterum ex altero concludendo in prima figura, & econtra: sicut ostensum est in ijs libris, qui de syllogismo sunt. ostensum quoque fuit, quod in alijs figuris, aut non fit syllogismus, supple, circularis, aut non fit de acceptis prius propositionibus. Dixit de acceptis quoniam forsan secunda figura potest per conclusionem uniuersalis negatiuæ reduci ad primam: sed non esset de acceptis illa conuersio sed ex extrinsecis assumptis. est igitur ratio, quod sicut non potest fieri syllogismus ī alijs figuris (circulariter) dico tunc non fieri circulatio de acceptis si esset in alia figura, quam in prima: per illam dictionem, acceptis, intellige præmissas syllogismi, quasi post conclusionem acceptæ sint. de his multa in libro priorū egit. igitur quæ non mutuo uel conuertibiliter prædicantur, nequaquam est demōstrare circulo, idest potest fieri nequaquam demonstratio circularis. Ostendit deinde pauca esse quæ sic syllogizantur: dicens. quare quoniam pauca quidem huiusmodi in demonstrationibus sunt, i. quia pauca sunt, quæ conuertuntur in demonstratione, ideo, uanum esse, & impossibile, dicere ex ijs, quæ sunt adinuicem siue conuertibiliter demonstrationem, est, manifestum, & propter hoc, supple, manifestum est esse falsum, dicere quod contingat esse demonstrationem omnium rerum, ut ipsi dicebant, quod est dicere: manifestum est, quod vanum est, & impossibile dicere demonstrationem fieri ex ijs quæ conuertuntur, & quod contingit etiam esse demonstrationem sic omnium rerum. Hic autem notandum est, quod illi tres termini a, b, c, sunt tres quidem secundum vocem sed duo tantum secundum rē, eo quod, a, & c, sunt vnum, & idem ut diximus. Secundo notatione dignum est secundum Egidium, quod ad omnē conuertentiam hæc requiruntur, scilicet ordo syllogisticus, & requiruntur propositiones duæ, & tres termini. quoniam omnis conuertentia, aut est syllogismus, aut ad syllogismum reducibilis est. Tertio notandum quod solum in prima figura fit circulatio, & p terminos conuertibiles. in alijs autem figuris, uel non fit circulatio, aut si fit ad hoc non sufficiunt propositiones acceptæ: sed oportet sumere alias propositiones priores. quemadmodum, & supra dilucidauimus in contextus expositione. Item notandum est quod nō potest fieri circulatio in tertia figura, quoniam semper conclusio est particularis, & oportet quod aliqua pręmissarum sit uniuersalis. nunquam autem per particularem concluditur uniuersalis. Nec in secunda figura, quia semper concludit negatiue. igitur neque in secunda, neque in tertia figura potest esse perfecta circulatio: quoniam non potest concludi utraque præmissarum. In sola igitur prima figura est perfecta circulatio, & in primo modo primæ figuræ, eo quod alij sunt inutiles propter conclusionem negatiuam, uel particularem; igitur, &c.

Tex. 11. Quoniam autem, usq; de omni quidem, &c.

INter conditiones ipsius demonstrationis, tria alia commemorat Aristoteles. Primo dictum de omni, modos dicendi per se, & secundum quod ipsum siue vniuersale: de his omnibus in præsenti capitulo agit. habet autem duas conclusiones. quid de omni. quid per se primo, quid per se secundo, quid per se tertio, & quid per se quarto modo. quique modi sint accommodati ad demonstrationem ostendit. quid demum uniuersale. In hoc primo contextu duas ponit conclusiones. igitur agit ex quibus ueris, & ex qualibus debeat esse demonstratio. dicit igitur. quoniam autem impossibile est aliter se habere id, cuius est scientia simpliciter, quasi dicat, quod id quod scitur per demonstratiuam scientiam, impossibile est esse aliter: igitur necessarium est esse sic, cuius est scientia simpliciter, idest per demonstrationem. necessarium utique erit id esse scibile, quod est secundum demonstratiuam scientiam. ponit deinde secundã conclusionem cum dicit: demonstratiua autem est, supple, scientia, quam habemus in habendo demonstrationem, & demonstratio est ex syllogismis necessarijs, & necessarium illud dicitur, qđ aliter sese habere non potest. hic notatione dignum est, quod necessariũ dicitur dupliciter, scilicet ex suppositione, & simpliciter. necessarium ex suppositione, vt medicina necessaria est infirmo si debet sanari: non simpliciter, sed si sanari debeat. Necessariũ vero simpliciter illud est quod impossibile est aliter sese habere, ut quod homo sit animal, quod sol oriatur, & huiusmodi, quæ non possunt non esse, & de hoc intendit Aristoteles nunc. deinde subdit. Accipiendum igitur est ex quibus, & ex qualib. supple, necessarijs demonstrationes sunt: primum quidem determinabimus quid dici de omni, & quid per se, & quid uniuersale. ubi notandum est, quod aliquando necessaria conclusio potest concludi per medium contingens, seu per medium probabiliter, hoc autem nõ erit demonstratiue, sed topice probari. Inferatur igitur ratio Aristotelis hoc modo. omnis syllogismus demonstratiue probans conclusionem necessariam est ex necessarijs: demonstratio est huiusmodi probans demonstratiue, &c. igitur demonstratio est ex necessarijs.

Tex. 12. De omni, vsque per se autem.

PRopo fuerat se de his tribus: de omni, de per se, deque uniuersali Aristoteles; in præsentia exequitur de primo proposito, sed de omni. Cũ dicit de oĩ qđ hoc dico qđ est nõ in quodã q-dẽ sic i quodã aũt nõ, neq; q̃ qđ aliquãdo quidem, aliquando non, idest dico, supple, dictum de omni esse, cum requirit uniuersalitatem subiectorum, (nanque prædicatum semper dicitur de subiecto,) non autem quod sit in quoddam, supple, subiecto, & in quodam non. quasi in omnibus oportet vt sit: requirit etiam uniuersalitatem temporum, quia debet esse semper: nõ autem aliquando, quod sit, & aliquando quod non. declarat exemplo cum subdit dicés: ut si de omni homine animal prædicatur, si uerum, inquam, est dicere aliquid esse hominem, uerum, inquam, est dicere, quod est animal, & si nunc alterum, supple, est dicere qđ sit animal, & alterum quoque est dicere animal, idest, si unus dicitur, & omnes dicuntur, & si nunc homo dicitur animal, & semper dicitur animal: clarum igitur est quid sit de omni dici. ne autem putetur, quod uni scientiæ seruiat hoc dictum, ideo aliud exemplum in mathematicis præbet. dicens

& si in omni linea est punctus, similiter est, supra sicut de omni homine dictum est, & semper quacunque linea data, semper datur, & punctus. probat deinde hoc cũ dicit, supple, quod duæ conditiones requirantur ad dictum de omni: probatur a signo, scilicet, quod vniuersalitatem importet, quia interroganti de omni, nos ferimus sic uel huiusmodi instantias. aut si in quodã non, idest quotiescunque est in quoddam sic & in quodam non, tunc interroganti dicimus non esse de omni, eo quod in omnibus subiectis non est: aut si aliquando non, idest, & dicimus nõ esse de omni, si in quodam tempore est & in quodam non. igitur duo requiruntur ad hoc, ut dicatur dictum de omni, scilicet, uniuersalitas subiectorum, & uniuersalitas temporum, quod sit semper tale, ut in exemplis patet. Notandum circa hoc est secundum Albertum, quod Aristoteles vtitur hoc modo loquendi, [non est in quodam sic, & in quodam non,] & non dicit, qđ prædicatum omnibus suppositis insit propter tales propositiones, omnis sol est planeta, omnis luna est planeta, & huiusmodi, quarum subiectis non correspondet suppositorum multitudo. Secundo secundum eundem, [non aliquando sic, & aliquando non] ad demonstrandum, quod propositio de omni, qua vtitur demonstrator, est necessaria, cuius necessitas est supra omne tempus, & nulla parte temporis mensuratur, ut ista exempli gratia, omnis homo est animal rationale: homo, animal, & rationale, per intellectum ab omni tempore, & ab omni motu sunt abstracta. igitur, &c. Tertio notandum est, quod duplex est dictum de omni, scilicet, prioristicum, & posterioristicum. Primnm significat propositionem includentem uniuersalitatẽ subiecti sed non temporis: ut omnis homo currit. Secundum est illud, quod concludit uniuersalitatem, & subiecti & tẽporis, ut omnis homo est animal. Tertium addit suessanus, scilicet dictũ de omni dialecticũ seu topicum, utputa, quod ad materiam probabilem cõtrahitur, & hoc requirit uniuersalitatẽ temporis, & subiecti, non quidem simpliciter, sed secundum opinionem. Quartum addit demum sophisticum, vtputa, quod contrahitur ad materiã impossibilem, & sic requirit vniuersalitatem temporis, & subiecti, non uerè aut secundũ opinionẽ, sed apparenter. Dubitaret autem aliquis an dici de omni, & propositio vniuersalis sint unum & idem. Secundo cur omisit prædicari de nullo, & esse in toto. Dubitatur tertio, quod hæc propositio uidetur esse de omni: luna eclypsatur, cũ sit demonstrabilis: non tamen correspondet ei vniuersalitas temporis cum non semper eclypsatur. Ad primum respondet Egidius quod dici de omni est principium syllogismi, & in illis duplex possumus assignare principium, scilicet materiale, & formale. ipsę propositiones, & termini sunt materia syllogismi: ordo uero syllogismi uel est forma, aut aliquid pertinens ad ipsam. Si ergo dictum de omni siue dici, ut principium materiale syllogismi accipiatur, sic nihil est aliud, quam propositio vniuersalis, & in omni syllogismo reperitur, hoc modo sumptum. sed si formaliter principium accipiatur, ut probat formam syllogismi, uel ordinẽ syllogisticum, sic non est, ut propositio vniuersalis: sed solum est principium in prima figura. Ad secundum dicitur quod propter duas causas omisit dictũ de nullo: primo quia satis eius definitio colligitur ex definitione prædicari de omni. Secundo quoniam solum requirit demonstrationis potissimæ conditiones. Omisit etiam esse in toto, primo, quia conincidit cum prædicari de omni. Secundo quia hæc est scientia

resolutoria, & resolutio a prædicato incipit, uel quia hæc in libris priorum dicta sunt sufficienter. Ad tertium Doctor quidam respondet, quod negatur hanc propositionem esse de omni: neq; ipsa est simpliciter demonstrabilis, cũ sit absolute contingens: sed ista luna est eclypsabilis bene est, uel esse potest demonstrationis conclusio, & ipsa est de omni: quoniam sibi utraque uniuersalitas correspondet, & hæc satis sufficiant pro præsenti.

Tex. 13. Per se vsque quę ergo.

Determinat de modis dicendi per se in præsenti contextu Aristoteles. distinguẽs ipsos primum. quatuor autem sunt isti modi dicendi per se. dicit igitur. per se autem sunt, quæcunq; sunt in eo, quod quid est, idest per se sunt, quando alterum inest alteri, tanquam illud, quod ponitur in definitione sui. aduerte, quod per illa uerba, [quod quid est] debemus intelligere definitionem. declarat exemplo cum subdit. d. ut linea inest per se ipsi triangulo, & punctus inest lineæ, quia definitio trianguli includit lineam, & definitio lineæ includit punctum: substãtia enim ipsorum, idest, quia substantialis definitio tam trianguli, quam lineæ, ex his est, idest triangulus est ex lineis, & linea est ex punctis. Definitio vtrunque horum ex his est, & in ratione dicente quid est, insunt, quasi dicat, & sic uniuersaliter quæcunque ponuntur in ratione quidditatiua, idest in definitione, (per [quid est] intelligit definitionem quidditatiuam) dicuntur esse in primo modo dicendi per se. De secundo modo dicendi per se determinat cum dicit, & quibuscunque eorum quæ insunt ipsis; construe cum præcedenti contextu hoc modo, non solum competit prædicari per se diffinitioni, & partibus diffinitionis: imo competit prædicari per se, & quibuscunque ipsorum. i. de numero ipsorum accidẽtiũ, quæ insunt ipsis, supple, subiectis: & [ipsa] subiecta, insunt in ratione, idest in definitione demonstrante, aut indicanti quid est, quod est dicere alijs verbis, quæcunque accidentia sunt sic ac taliter in subiectis, quod tamẽ subiecta ipsa sunt de definitione ipsorum accidentium & pertinent ad definitionem, quæ dicit quid est ipsorum accidentium, omnia inquam huiusmodi accidentia insunt per se subiectis illis, vt rectum inest lineæ per se; similiter, & circulare, supple, inest lineæ, idest hoc secundo modo dicẽdi per se, quia in definitione recti linea ponitur, est enim rectum, linea, cuius medium non discrepat ab extremis. Similiter in definitione circularis ponitur linea, ue circulus est illa in cuius medio est cẽtrum, à quo, omnes ductæ sunt æquales & par, & impar, & primum, & compositum, insunt numero hoc modo dicẽdi per se: quoniam numerus ponitur in definitione eorum. Par enim est numerus in partes æquales deductus. Impar vero in partes inæquales deductus. sic in definitione primi, & compositi ponitur numerus, ut primus numerus est, qui nullo numero mensuratur, sed unitate mensuratur. Compositus vero numerus est qui aliquo alio numero mensuratur, & isopleurum, quæ est figura habens tria latera ęqualia, & altera parte longius quemadmodum est figura scale non seu gradatus, quæ figura est, (s. constat ex lineis) longior altera parte. Subdit deinde, & quæ omnibus his insunt. i. his passionibus dictis, in ratione dicente quid est. i. in definitione quidditatiua, quod est dicere, qđ linea, & numerus sunt in definitionib. omnium passionum prædictarum, & hoc manifestum est, quia illinc, idest in re-

in recto, & circulare, [linea,] idest in in diffinitione horum accipitur linea, hinc, i. in definitione paris, imparis, primi, compositi, numerus accipitur, æquilateris, & altera parte longius, linea, supple, suscipitur. Similiter i alijs huiusmodi, supple, subiectis, quæ susci piuntur in definitionibus suarum passionum: unicuique per se esse dico. i. dico inesse per se suis subiectis necnō & passiones suas: quæcunq; uero neutraliter insunt idest, quæ non insunt; ut: definitio, & pars definitionis suo definito, nec sicut propria passio suo subiecto, accidentia sunt: i. per accidens prædicantur: ut musicum, uel album inest animali: hoc est inesse per accidens ipsi animali, & hæc sunt, quæ insunt subiecto in hoc secundo modo. de tertio modo agit cum dicit. Amplius, supple, dicuntur per se, quod nō de subiecto alio quodā dicitur, ut ambulans, aut album, cum & alterū quiddam sit ambulans, & album, idest illa dicuntur tertio modo per se esse, quæ non de subiecto alio quodam dicuntur. in prædicamentis diximus, quod quæcunque non dicuntur de subiecto sunt substantię, ideo hic dicit, quod dicuntur esse per se hoc tertio modo: qa accidentia, sicut ambulans, & album quoddam subiectum dicunt alterum ab accidente. sed (ut subdit) substātia, & quæcunque hoc aliquid significant, idest primæ substantiæ, ut in prædicamentis patet, nō alterum aliquid sunt, quam quod quidem sunt, scilicet per se, idest substantiæ ueræ, ut primæ per se existunt, & non per aliquid alterum sunt: eo quod sunt, quod quidem sunt, per se. i. hoc aliquid, & sic per illa uerba, [quod quidem sunt] intelligemus substantias primas, ut Plato. deinde subdit, quod quæ non de subiecto alio sunt, per se dico, supple, hoc tertio modo, quæ uero de subiecto, supple, dicuntur, accidentia sunt secundum hunc modum. Ponit quartum modum dicendi per se cum subdit dicens. Item alio modo qđ quidem propter ipsum inest vnicuique, per se dico. i. item dicitur inesse per se cum causa inest unicuiq; propter ipsum. i. cum fuerit causa causati, quod uero non propter ipsum. i. si non fuerit propter ipsam causam, tūc dicetur esse per accidens: declarat exēplo, ut si ambulante. i. dum ambulauerat corruscauit, illa corruscatio dicitur esse per accidens: quoniā non fuit propter ambulationem. Si uero propter ipsum per se. i. si causa propter quam hoc contigit, aut euenit, est per se: ut si aliquid interfectum interijt. i. propter strangulationem: secundum interfectionem, supple, perijt, quoniā propter id quod interfectum est. i. propter strangulationem interijt, nanque interfectio secundum seipsam est causa mortis; sed non est per accidens interfectum perire, imo per se, & est iste quartus modus dicendi per se, ac vltimus. Sunt autem hic quædam notanda antequam ultra procedatur, & primo notandum est, quod primus modus dicendi per se, est, quando prædicatum est de definitione subiecti: ut homo est rationalis: nam hoc prædicatum rationalis ingreditur definitionem hominis, quod est subiectum cum definitur. ideo album, currere, & similia, quia non ingrediuntur, non pertinent ad demonstrationem. secundus modus dicendi per se est cum subiectum ingreditur definitionem prædicati: ut homo est risibilis. cum uolumus definire hoc prædicatum risibilis, hoc subiectum homo ingreditur illius diffinitionē, & similiter simitas, aquilinitas, & huiusmodi prædicata propria a natura. Tertius modus dicendi per se est simplex & ideo debet significare terminum incomplexum, quod significet hoc aliquid, ut Socrates. Quartus modus est, cum causa est immediata, & essentia-

lis

lis sui effectus: non autem accidentalis, ut strangulatio est causa mortis: nō autem fodiens si inuenit thesaurū est causa essentialis, nec dum ambulabat, quia corruscauit: quoniam hę sunt causæ per accidens. Secundo notandum, quod primus modus inseruit minori præmissarum, secundus uero inseruit maiori, & conclusioni. Tertius seruit, ad quod terminus debet accommodari, s. ad substantiales, uel ut uicem gerūt substantiæ. Quartus modus seruit ad cognoscendum causam immediatam. Modus dicendi per se, est prædicatum propositionis per se uerę. Modus dicendi per se, & modus prædicandi idem sunt; similiter significatū per se. Dubitaret quis, circa illa uerba [quæcunque uero neutraliter insunt] nunquid ea accidentia, quæ non separantur, per se inesse dicātur, his subiectis, e quibus non separantur. Secundo nūquid sit aliqua regula horum accidentium inseparabilium. Ad hæc argumēta respōdet Philoponus, & recte, quātum ad primum dicit, quod nullo pacto, quoniam Aristoteles determinauit ea accidentia per se esse in subiectis, in quorum diffinitionibus subiecta ponuntur, siue sunt separabilia, siue non. Ad secundum dicit quod sic: quoniam ea accidentia recipiunt subiecta in eorum diffinitionibus, quæ illis inesse per eorum naturam determinantur, ut simum, & risibile. simū enim in naso natura determinatur: risibile vero in homine: quæ autem in subiecto natura non determinantur, ut candidū in cigno, & nigrum in coruo, licet esse inseparabile, subiectum tamen non recipit. Notandum tertio, circa tertiū modum, & circa illa uerba, [quod non de subiecto] esse duplex subiectum. Subiectum prædicationis, & subiectū inhæsionis. Subiectum prædicationis dicitur quodlibet iferius respectu sui superioris, ut loquitur Aristoteles in ante prædicamentis: Cum dicit: Quando alterum de altero, &c. Subiectū inhæsionis illud est, quod in se formam aliquam substantialem, aut accidentalem recipit, & de hoc in præsentia loquitur Aristoteles. Notandum quarto circa quartum modum: cum aliquid fit alterius gratia causam esse triplicē. Quædam mere ac pure per accidens, veluti illa, quæ sui natura nullius est causa, ut logica dicitur per accidens in ædificando. Quædam uero per accidēs dicitur, quod præter intentionem causa fit, ut fodiens inuentionis thesauri: eo quod non intēdebat inuenire illud, Sed casu aut fortuna accidit. Quędam causa per se est, ut iugulatio est causa interitus, non enim fit casu aut fortuna, sed per se. Circa hos modos quæritur an sint tātum quatuor modi dicendi per se. Ad hoc breuiter respondendum est, quod quidā dixerunt esse tantum quatuor, eo quod Aristoteles totidem posuit. hæc autem positio stare non potest. Nanque Themistius quinq; enumerauit. Item Aristoteles in libro de Interpretatione, ut uidimus, inquit, bonum esse per se bonum. item ipsemet infra asserit lignum esse per se album, & in metaphisicis plura addidit. per se significato. Respondendum igitur est, esse plura significata per se, sed enumerauit hic, tantum quatuor, ut exempla, non autem pro necessitate, quia duo tantum sunt necessaria, ut in sequenti contextu uidebimus. quamuis aliqui dicant, quod sint plura secūdum se, & quatuor per se: ita ut bonū sit bonum secūdum se, non autem per se. Ad hoc respondendum est, quod secundum se, & per se idem sunt, ideo non sunt diuersa. quare, &c.

Tex. 14. Quare ergo vsque vniuersale autem.

Supra ostenderat quatuor esse modos dicendi per se, in pręsenti uero de-

demonstrat, qui sint demonstrationi adaptabiles. Dicendo hoc modo quod in simpliciter scibilibus, i. in demonstrationibus, reperiuntur duo modi dicendi per se, primus uidelicet, & secundus; quæcunque per se insunt necessario insunt, quia quæcunque per se insunt non contingit non esse, supple, subiecto. igitur ex necessitate insunt, & hæc de per se primo modo. sed de his, quæ secundo modo insunt, patet, quia talia prædicata aut sunt simplicia aut sunt composita ex duabus oppositis disiunctim, & utroque modo ista necessario insunt, vt lineæ necessario inest rectum, vel obliquum. dicit igitur, quæ dicuntur in simpliciter scibilibus per se, i. ea quæ, per se, deseruiunt ad simpliciter scire. i. ad demonstrationē, sic sunt. i. sunt ista: sicut esse prædicatis & hoc pertinet ad primum modum dicendi per se. supra enim diximus, qđ primus modus est diffinitio, aut pars diffinitionis subiecti; ideo hic dicit, sicut esse prædicatis. i. sicut esse uel essentia subiecti annexa est prædicatis. subiectum est enim id quod alteri subijcitur, si igitur primus dicendi per se est, vt diximus, patet, esse, subiecti, esse in prædicato, & hoc quantum spectat ad primum modum, eo quod clarus est, ideo prætermittit probare: aut inesse propter ipsa quæ sunt, & ex necessitate. i. quia secundus modus dicendi per se, est cum subiectum est de diffinitione prædicati, ideo dicit, aut inesse, quia proprium est prędicati inesse subiecto (in demonstratione,) atque illi inhærere: propter ipsa, supple, subiecta, quę subiecta sunt ex necessitate, ut in exēplo supra allato patet, homo est risibilis: quia prędicatum ingreditur diffinitionem subiecti deinde subdit, non enim contingunt, supple, scibilia non inesse, aut simpliciter, ut prędicata primi modi inesse dicuntur. Nanque ut inquit Philoponus, possibile est, quę in alicuius diffinitione assumuntur, (vt prædicata primi modi, quæ ingrediuntur diffinitionem subiecti) non, & omni, & semper ex necessitate siue simpliciter inesse subiecto: aut opposita, vt significata secundi modi, quæ se habent modo opposito, nempe cum prædicatum ingreditur, diffinitionem subiecti, vel sic, aut opposita, vt prędicata secundi modi: etenim necesse est non semper prædicata secundi modi, sed totam oppositionem, ex necessitate inesse: ut lineæ inest rectum aut obliquum absq; medietate: similiter par, & impar inest numero; quia hæc sunt immediata in scibilibus: quoniam igitur primus modus vt diximus est clarus, ac prætermisit, eo quod quæ assumuntur in diffinitionibus oportet inesse illis ex necessitate. ideo quantum spectat ad secundum, quia non sat est manifestus illum declarauit, quod insunt illis, supple, prędicatis (nanque est cum subiectum ingreditur diffinitionem prędicati,) ex necessitate, aut simpliciter, aut opposita: & hoc probat cum dicit est enim contrariū, scilicet, cum suo contrario: aut priuatio, supple, cum suo habitu, aut contradictio, i. alterum contradictorium cum altero in eodem genere, s. susceptiui. ideo inest necessario oppositio siue sit contraria, siue sit priuatiua, siue sit contradictoria: in susceptiuis, & uisus, & cęcitatis, necesse est alterum oppositorum inesse: & in cōtradictorijs necesse est inesse alteram particulam, & in contrarijs immediatis necesse est inesse alterum contrariorum, (intellige in susceptiuis huius modi) vt par aut impar inest numero ex necessitate. Secundum quod consequitur. i. quatenus sequitur in talibus negatio ad affirmationem. quare si necesse est aut affirmare, aut negare, necesse est, & quæ sunt per se, inesse. i. si de omni est affirmatio, aut negatio, illa etiam quæ sunt per se, necesse est inesse de

se de necessitate. Deinde epilogat, qd de omni, & de per se sit determinatum hoc modo. Adest dubitatio quoniam datur numerus, qui nec par nec impar est; ergo par & impar non est propria passio numeri, ut patet de infinito. Ad hoc respondendum est breuiter, quod si daretur numerus infinitus non esset numerus proprie sumptus, qui nec nu merabilis, nec numerans; sed par, & impar est propria passio numeri proprie sumpta. patet ergo inesse ex necessitate omni subiecto prædicatum: in priuatiuis uero, & contradictorijs, & con trarijs semper inesse alteram partem, eo quod lineæ oportet vt insit rectum, aut obliquum, &c. nanque risibile sem per inest homini, ex necessitate: par autem non semper ex necessitate, sed aliquando impar, ideo dixit alterum oppositorum esse necesse.

Tex. 15. Vniuersale vsq;. Oportet autem. Cap. IIII.

TRia proposuerat in capitulo hoc Aristoteles: explicatis igitur duobus primis ad tertium accedit, quod est de vniuersali cum dicit. vniuersale autem dico, quod omni, & per se, & secundum quod ipsum inest, quasi dicat, quod vniuersale de quo intendimus hic oportet, ut sit de omni, & per se; & secundum, quod ipsum. i. vniuersale, quod idem est. manifestum igitur est, quod vniuersalia quæcunque sunt, necessario insunt rebus. i. quæcunq; sunt vniuersalia secundum quod accipitur hic vniuersale, ex necessitate insunt subiectis: quia insunt omni, & per se, & secundum quod ipsum. Deinde subdit, per se autem, & secundum quod ip sum idem sunt, & patet hoc exemplo, vt rectitudo, & punctum inest lineæ p se: adde tu hanc conclusionem ergo & secundum quod ipsum; quod idem est: vt ipse supplet cum dicit, & nanque secundum quod linea est. i. secundum quod ipsum, competit ei punctus, & rectitudo, & triangulo, secundum qd triangulus est: insunt duo recti: etenim per se triangulus, duobus rectis æqualis est, quasi dicat, similiter triangulus secundum quod triangulus est. i. secun dum quod ipsum siue vniuersaliter, est habere tres angulos æquales duobus rectis: sed hoc competit ei per se: igitur & secundum quod ipsum, quod idē est. Deinde dicit, vniuersale autem est tunc quod cum mōstratum est, in quolibet esse, & primo. i. oportet, vt cum vniuersale insit rebus, vt insit primo, & per se, cum conditionibus allatis. declarat exemplo subdens, vt duos angulos rectos habere, neque, supple, cōpetit cuilibet figuræ vniuersaliter. i. hæc passio, habere duos rectos non cō petit omni figuræ: & tamē est monstrare de figura, quod duos rectos habet, ut puta triangulus, vel isosceles, sed non de qualibet figura; neque monstrans, supple hanc passionem utitur qualibet figura, propterea quod quadrangulus; est figura, & tamen non habet æquales duobus rectis, at quodlibet isosceles, habet quidem æquales duobus rectis: sed non primum, i. at competit huic figuræ isosceli, sed primo cōpetit triangulo, deinde illi figuræ. quodlibet igitur, supple subiectum cum monstratur habere hanc passionem, supple, æquales duobus, aut quodcunq; aliud prædicatum siue alia passio demōstratur primo vniuersale, demonstratio hu ius subiecti erit per se, & vniuersalis. aliorum autem, supple, subiectorum, non inerit passio primo & per se. i. vniuersaliter, sed quodammodo. i. non p prie, neque vniuersaliter: ideo dicit, neque isosceli, est vniuersaliter, supple, hæc passio habere tres, sed in pluribus: quia est ipsius trianguli primo. q. d. quod in plus se habet de per se, quā secun-

secundum quod ipsum: nanq; hæc passio habere tres æquales inest per se,& primo triangulo,& non isosceli, licet secundum quod ipsum insit; diximus quod per se, & secundum quod ipsum idem sunt, sed non conuersibiliter: quod inest secundum quod ipsum, nõ inest primo & per se: sed quod inest per se, & secundum quod ipsum quoque: & hæc erit differentia inter hæc. Notatione hic dignum est, quod multipliciter vniuersale accipitur: vt vniuersale in causando vt Deus: aliud est vniuersale in cognoscendo sicut intellectus. Aliud in distribuendo, vt signum vniuersale. aliud in repræsentando, vt species intelligibilis, & aliud est vniuersale in prædicando naturam alicuius speciei alicui subiecto attributę, non ratione alterius sed sui: sicut risibile vniuersale hominis appellatur: & habere tres vniuersale trianguli, & hoc modo vltimo accipitur hic, & hoc vniuersale includit illas cõditiones, quas hic commemorat Aristoteles. s. quod sit de omni, per se, & secundum quod ipsum. Item notandum quod quodlibet superius est idem cũ suo inferiori: vt animal dicitur idem homini, & hoc est verum non solum de vniuersali; sed etiam de toto integrali, vt videtur innuere Aristoteles in 2. Ethicor. dicens, quod totum est magis idem parti, quã contra: pars enim diffinitur per suum totum (pars subiectiua, siue integralis) sed non econuerso, vt semicirculus per circulum. non circulus per semicirculum. Similiter homo per animal, sed non animal per hominem.

Tex. 16. Oportet autem vsque si ergo monstrabit. Cap. V.

Continet hoc caput tres cõtextus. in primo ostendit tres errores, qui accidere possunt circa vniuersale. In secundo ponit declarationem, & in tertio regulam, & hæc sunt quæ tangit breuiter. dicit igitur primo, quod non oportet nos nõ latere, hoc est nõ ignorare siue scire, quoniam multoties cõtingit peccare. s. circa vniuersale: & cõtingit multoties non esse, supple, vniuersale, quod demonstratur esse alicuius subiecti vniuersale, quod tamen non est vniuersale primum ipsius, licet sic appareat esse. deinde intẽtum subdit cum dicit, oberramus autem hac deceptione, vel propter hãc deceptionem, cum aut aliud, supple, subiectum a superiori nihil sit accipere, extra singulare, siue singularia. i. cum aliquod vniuersale, sub quo non datur nisi vnũ singulare, vt patet de luna, & sole, quæ sunt vniuersalia. igitur extra singulare, nil aliud est accipere, quam singularia. tunc enim quasi putabitur passionem, quæ primo, & tanquam vniuersale attribuitur superiori, attribui etiã singulari tanquam vniuersale primo, & circa hoc noster intellectus errabit. Alium errorem subdit dicens, aut si sit quidem supple, accipere sub superiori plura inferiora; sed supple illud vniuersale, sit innominatum in rebus differentibus specie, vtputa cum dicitur vniuersale secundum prius, & posterius, verbi gratia, si visibile solum cõpetit substantiæ, vt ferro, & ligno: si coloratum in quo conueniunt hęc corpora quatenus sunt visibilia non esset nobis nominatum, probaremus esse visibile de omnibus corporibus, ferro, & ligno, aut de aliquo horum, & crederemus accipere vniuersale per se, & primum, & acciperemus subiectum per accidens: quoniam accidit his substantijs, quod sint visibiles. infra in exemplo patebit. deinde ad vltimum errorem deuenit cum dicit, aut supple cõtingit errare, in quo monstratur siue de quo monstratur passio, contingit esse sicut totum in parte. quod. sicut totum

magnam habet affinitatem cum parte, tunc propter huiusmodi affinitatem attribueretur parti, quod toti competit: ijs enim totis, quæ sunt in parte siue quę habent affinitatem cum illa parte, inest quidem demonstratio. i. demonstrantur ex ijs totis, quæ partib. insunt: & erit de omni, aut videbitur de omni, quamuis non erit vere. Sed tamen non erit demonstratio huius, supple. subiecti secundum veritatem primi vniuersalis, quia ibi non inerit illi subiecto primo. Dico autem huius primi, secundum quod huius demonstrationem. i. vniuersaliter, & primo: quia demõstratio est primi vniuersalis, quod est dicere, quod illud appello subiectũ vniuersale primum, cuius est demonstratio vniuersalis; propterea quod demõstratio est semper respectu primi vniuersalis. hic autem sunt quædam notãda, & primo quod aliquod est vniuersale sub quo solum vnũ singulare reperitur, vt sol, luna, quæ per naturã sunt incorruptibilia; & ideo error hic est primus, quod aliquis æstimabit, quod eadem sit prima passio solis, & huius singularis solis. Similiter esset si nõ daretur nisi hoc animal homo, quæ conuertibiliter dicerentur de animali putaret quoque dici de homine. An possit genus saluari in vnica specie, in antepredicamentis fuit satis dictum. s. in nostro tractatu de prędicabilibus. Notandum secundo est, quod vniuersale hoc peccat in illa particula secundum, quod ipsum: nanque diximus debere esse de omni, per se, & secundum quod ipsum. igitur crederemus competere hæc passio siue hoc prædicatũ alicui subiecto, quod non competeret ei secundum quod ipsum. i. vniuersaliter. Tertio notandum speciem esse positam in quadruplici differentia, quædam habẽt plura indiuidua tam simul quam successiue, tam per tempus, quã per instans vt homo. quædam habent plura indiuidua non simul sed successiue, & per instans vt phenix. Quędam habent plura indiuidua non simul, sed successiue; non per tempus sed per instans sic vt vnumquodque indiuiduũ per instans tantum duret, vt mutatum in motu esse: hoc tamen non ita proprie debet dici species. Quædam non habent nisi vnum indiuiduum tam per tempus, quam per instans, vt sol luna, & similia. Notandum iterum, quod secundus error peccat ad id, quod dicitur vniuersale dici per se. Tertius vero error ad id quia dici de omni, & primus ut dixi ad secũdum quod ipsum.

Tex. 17. Si ergo vsque vtrum autem, &cæt.

SE in præsenti contextu declarationem nobis præbere diximus supra; ideo exemplis illustrat quæ dicta sunt de vniuersali, & primo quo ad tertiũ errorem, secundo quo ad primum, tertio quo ad secundum, quo ad tertium dicit, si ergo aliquis demonstrabit, qđ rectę quidem supple lineæ, non intercidant, i. si alicui videbitur, quod rectę lineæ æque distantes non concurrant, quod quidem non concurrere est propria passio linearum æqui distantium, quod primo illis: videbitur vtique huiusmodi esse demonstratio propter id, idest videbitur huiusmodi demonstratio vniuersalis primi. propter hoc qđ hæc passio non concurrere videtur inesse rectis omnibus, supple, lineis, nõ autem est. i. sed non est huiusmodi demonstratio: nisi quidem fiat hoc. s. fiat demonstratio, (quoniam sic æquales sint,) idest, quod sint æquę distantes: sed secundum, quod quomodolibet æquales. sed erit demonstratio secundum quod sunt ęqui distantes, quasi dicat, si aliquis demonstrabit, quod rectę non concurrant, videbitur vtique esse demon-

demonstratio huius conclusionis, supple prædicati siue passionis vniuersaliter, propterea quod in omnibus rectis sit. non est hæc demonstratio prædicati vniuersaliter: quia non valet, compe tit omnibus rectis: ergo vniuersale pdicatum, nisi fiat hoc. i. hæc demonstratio, quod sic æquales sint, secundū rectum, vel si non secundum rectum, saltem quomodolibet æquales. Ponit deinde exemplum ad primum modum. dicens. Et si triangulus nō esset, quam isosceles: secundum quod isosceles videretur vtique inesse: supple demonstratio, secundum quod isosceles. q. d. quod si non esset alia species trianguli quam isosceles, aliquis credet habere res, quod primo supple, hæc passio inest triangulo) primo inesse isosceli: qđ non est verū sed falsum vt patet: quoniam triangulo primo competit. Ponit deinde exemplum de secundo modo erroris, seu de secundo errore dicens, & proportionale quod commutabiliter est. i. hæc passio, commutabiliter proportionari, secundū quod, idest per se, competit numero, & secundum quod. i. & per se lineę sunt. i. & cō petit perse lineæ, & secundum quod solida, & secundum quod tēpora sunt, idest, & per se competit corpori, & tēpori: de quibus omnibus illa passio simul demonstrari potest. Quemadmodū diuisim demōstratū est in alijs sciētijs: deinde subdit contingens autem hoc est, possibile est, de omnibus his, vnica demonstratione hanc passionē demonstrari: sed propter id quod non est nominatum. i. illud vniuersale subiectum primum est innominatum, de quo subiecto, tanquam vniuersale demonstrari deberet, secundum qđ hæc omnia sunt vnum. i. in quo hæc omnia vniuntur, scilicet, numeri, longitudines, tempora, solida, & specie differentia sunt supple adinuicem seorsum accepta, qđ est dicere, quia illud subiectum in quo vniuntur est innominatum, vel non habet nomen: & tamen conueniunt; dico non fieri de his omnibus vnā demonstratio, prout vniuntur in aliquo communi subiecto: sed potius fiunt demonstrationes diuersæ de eis, prout sunt specie differentes ac distinctæ, eo quod ibi non accipitur vniuersale primum. ideo subdit. seorsum ab inuicem accepta sunt, supple, hæ passiones, diuisim acceptæ sunt; nūc autem vniuersale monstratur. i. nunc, vel vt facit ad propositum nunc vniuersale monstratur non distincte ac diuisim, sed simul de omnibus, quibus primo, & per se competit. Non enim lineæ secundum quod lineæ sunt, & numeri secundum quod numeri sunt, inerat, supple, hæc passio vniuersaliter, & primo ac per se: sed inerat secundū quod hoc est. i. sed secundum quod est vniuersale ad illa omnia, quod supponunt vniuersale. i. sed eis insunt secundum illud innominatum subiectū vniuersale, quod supponunt esse vniuersale eiusdē prædicati siue passionis. Subdit deinde: propter hoc supple, quod dictū est, nec si aliquis monstret vnūquemque triangulum, demonstratione, aut vna, aut altera, quod duos rectos habet vnusquisque, isopleuron seorsum, & scalenon, & isosceles, idest siquis aut vna demonstratione, aut pluribus de vnaquaque specie trianguli demonstraret, habere tres angulos æquales duobus rectis, ut si de isoscele seorsum, de scaleno similiter: nondum cognouit triangulum, quod duos rectos habet. i. non propter hoc cognoscet triangulum habere tres angulos, sed sciet solum sophistico modo. neq; perfecte triangulum vniuersaliter cognosceret, ne quidem si nullus est præter hæc triangulus aliter: neque dato, quod nullus esset triangulus præter pdictos triangulos: ideo dicit quoniam non secundum quod triangulus est. i.

vniuersale cognouit, neque omnem triangulum, supple, in genere cognosceret, sed secundum numerum. i. materiam, secundum speciem autem, idest formaliter nō cognoscet, licet nullus esset triangulus qnem ipse nō nouisset. causam huius dicti assignat dicens. Quando ergo non nouit vniuersaliter, & quando nouit simpliciter manifestum est. i. patet ex dictis, quando quis non nouit vniuersaliter, & quando simpliciter, quoniam si idem erit triangulo, & isopleuro, aut vnicuique, aut omnibus. i. si idem est esse, vel eadē est ratio, triangulo, & isopleuro, aut vnicuique speciei trianguli, aut omnibus simul; tunc sciendo habere tres de omnibus speciebus trianguli; vel de vnaquaque per se sciemus, & de ipso triangulo. Si vero non est idem, sed est alterum, vel altera est ratio trianguli in vniuersali, & isoscelis, vel aliarum specierum, tunc non nouit de triangulo, secundum quod est triangulus. igitur, &c. Notādum hic est quod ea quæ sūnt speciei competunt generi licet non vniuersaliter; esse enim rationale quod competit homini competit animali non omni. Notandum tres esse species trianguli scilicet æquilaterum, gradatum, & isoscelem. Si habet omnia latera æqualia dicitur ęquilaterus, si omnia inæqualia, dicitur gradatus, si duo dicitur isosceles. Notandum tertio quod superiora differunt, ratione, ab inferioribus: idcirco aliqua possunt competere inferioribus secundum qđ huius. quæ non competunt superiorib. & econtra, vt si eandem rem dicit homo & animal in homine: tamen homo dicit istam rem magis determinate ac specialiter. animal vero magis confuse Hęc Egid. alia possent dici sed quia potius ad mathematicam scientiam spectant, quam ad logicam ideo breuitatis causa omitto.

Tex. 18. Vtrum usque si igitur est.

Quemadmodum in primo contextu dicebamus, dat regulam, modum, & viam cognoscēdi subiectum vniuersale, primum in pręsentia. cum dicit vtrum autem secundum quod triangulus est, aut secundum qđ isosceles insit, & quando de hoc est primum & vniuersale, cuius est demonstratio; manifestum est, quando remotis insit primum. i. quod subiectū tunc est vniuersale] primum cuius est demōstratio. Deinde dicit quod manifestum est supple, subiectum vniuersale primum esse, quandocunque ablato ab alijs adhuc inest ei istud subiectum vniuersale primum: vt isosceli ęneo triangulo insunt duo recti, sed ablato hoc, quod est esse æneum, remoto & isoscele, supple adhuc insunt duo anguli recti triangulo, sed non insunt remota figura, remotoque termino: remota nanque figura siue termino qui prius est ipsa figura: quia in diffinitione figuræ ponitur: nam figura est quæ termino clauditur, igitur remotis his, s. habere tres ab his, remouetur a triangulo, [sed non primis.] i. sed non competit figuræ, aut non competit termino habere tres, tāquam subiectis primis. [Quo igitur primo?] huic non respondit, sed vult solutionem inferri, aut subaudiendam. s. quod triangulo ablato primo, passio illa auferatur. concludit quæstionem cum dicit. Si itaq; triāgulo ablato, passio illa auferatur, tunc sequitur quod illa passio, & secundum hoc. i. hunc triangulum, inest & alijs triangulis, & huius supple trianguli est demonstratio. igitur hoc erit vniuersale primum perse, & secundum quod ipsum, quoniam de hoc est demōstratio. erit ergo vniuersale subiectū, & prædicatum. subiectum vniuersale est

est quo posito ponitur,& quo remoto, remouetur primo,& immediate. Notandum est ad cognoscẽdum subiectũ vniuersale primum, duo requiruntur. Primum est quod remoto ab eo remoueatur ab alijs supple subiectis:secundo quod insit ei vniuersaliter. vnde sequitur quod habere tres inest triangulo primo, quia si remoueatur ab eo,& ab alijs: & inest subiecto vniuersaliter propterea quod hæc passio non inest superioribus neque inferioribus ad triangulum. superioribus,vt non inest figuræ hæc passio. inferioribus vt non inest æneo,vel isosceli nõ inest primo.

Tex. 19. Si igitur, vsque manifestum autem. Cap. VI.

IN hoc capitulo ostendit Aristoteles demonstrationem esse ex necessarijs,& propositionibus per se.in quo quatuor facit. Primo tres cõclusiones ponit. Secundo tria correlaria. Tertio dubitationem vnã. Quarto & vltimo illius dilucidationem. in præsenti contextu duas conclusiones ponit,sexque rationes ad secundam. dicit ergo. Si demonstratiua sciẽtia est ex necessarijs principijs: quod scitur non potest aliter se habere:quæ autem per se sunt: idest,quod scitur ex ijs quę per se sunt, necessario insunt rebus: hæc enim insunt in eo, quod quid est. i. quantũ ad primum modum dicendi per se vbi p̃dicatũ est de diffinitione subiecti: alia autem.i.subiecta insunt in eo quod qd est,quibusdam prædicantibus de ipsis, idest, vt ad secundum modum dicendi per se attinet, in quo subiectũ ingreditur diffinitionem prædicati,quorum supple prędicatorum siue passionum, per se alterum oppositorum necesse est inesse,vt patet: nanque per se passio, vel est vno nomine nominata sicut habere tres est species trianguli:& tũc simpliciter loquẽdo necesse est talem passionem inesse subiecto.vel denominatur passio per duo opposita, sicut dicimus,quod rectum, & curuum est passio lineę, & tunc oportet alterum oppositorum inesse. Semper igitur quæ sunt per se,necessaria sunt:& quoniam demonstratio ex his est, quę sunt per se, erit ex necessarijs. Deinde subdit secundam conclusionem.d. manifestũ est igitur, quod ex huiusmodi.i.propositionibus per se, quibusdam vtrique, idest propositionibus, fit, supple, demonstratiuus syllogismus. primam rationem ponit, cum.d. quia omne sup. quod est aut inest sic.i.per se,aut secundum accidens: accidentia autem non sunt necessaria, quare ex his nõ fit demonstratio. secunda ratio est. Aut igitur sic dicendum.s.quod demonstratio fit ex necessarijs, puta est ex his, quę per se sunt, aut ponentibus primum.i. aut oportet ponere principium,demõstrationem necessariam esse:& si id qđ demonstratur aliter se habere non potest. sequitur quod oportet syllogismum demonstratiuum esse ex necessarijs.tertiam rationem ponit deinde.d. ex veris quidem est. i. ex veris contingit syllogizare, [& non demonstrantem.] i. sed non contingit syllogizare demonstratiue, sed aut demonstrantẽ, idest, sed solum contingit syllogizare demonstratiue,qui ex necessarijs syllogizat: propterea quod hoc,est propriũ demonstrationis. Quarto probatur quoque. signum autem quod demonstratio fit ex necessarijs, est hoc; quoniam instantias sic formamus ad opinantes demonstrare, quoniam necesse non est si opinamur, aut si contingit omnino aliter se habere, aut orationis,siue,disputationis causa supple id supponitur, quia tunc non erit sic. idcirco signum est, quod demonstratio ex necessarijs fit.Notandum hic est,qđ non solum qui demonstratiue syllogizat

tat potest inferre ac concludere ex ne cessarijs; sed etiam qui dialectice procedit, vt omne animal coloratum, omnis homo animal. igitur. Sed dicendũ quod Aristotelis intentio in præsenti, est, quod non demonstrans ex necessarijs, intelligitur, quod ille qui non demonstrat, non semper ex necessarijs procedit: sed demonstrãtis proprium est semper sic ex necessarijs procedere. Dubitaret forte quis, quod accidentia non necessaria sunt, vt ait, quoniam ne cessario, omnis coruus est niger; & tamen ille passiones sunt accidentia cõmunia suorum subiectorũ. Ad hoc dici potest, hanc propositionem [coruus est niger] non esse necessariam, quoniã possumus imaginari coruum albo colore conspersum, & tamen erit coru⁹. Hinc oritur aliud notandum, quod duplex est abstractio, vna præcisiua, altera diuisiua. Abstractio secundum præcisionem, est cum volumus considerare vnam rem absque altera: vt patet de pomo qđ habet rubedinem, & dulcedinem, possumus considerare dulcedinem absque rubedinis consideratione. Sed secundum diuisionem est, quãdo volumus vnam rem absque alterã omnino, tunc erit falsum, vel falsa cõsideratio, eo quod non potest considerari.

Tex. 20. Manifestum vsq;. Cum igitur conclusio.

POnit in præsenti contextu primum corrolarium, cum duabus alijs rationibus. dicens hoc modo, quod est manifestum ex his: quoniam sunt stulti qui opinati sunt bene accipere principia demonstrationis, si propositio, supple, quam accipiunt pro principio, fuerit probabilis, & vera quemadmodum faciunt sophistæ: & rationabiliter malè opinantur, quoniam scire, est habere scientiam. i. per demonstrationem, quia non omne, quod probabile est, aut quod probabile nõ est, est principium. s. demonstrationis, sed supple, est illud principium, quod primum est in illo genere circa quod demonstratio fit: & verum, supple, demonstrationis principium est, non autem omne, sed oportet vt sit verum propriũ, supple generi circa quod fit demonstratio. igitur demonstratio est ex veris, primis, & proprijs, & talia sunt necessaria, ergo ex necessarijs est demõstratio. Ponit quintam rationem dicens: Quod autem syllogismus demonstratiuus debeat esse ex necessarijs est manifestum ex his: supple, quæ sequũtur: propterea quod, si quis non habet propter quid eius. i. causam cuius est demonstratio, non est sciens: nanque vt in secundo capitulo explanauimus, scire est per causam cognoscere: atqui si demonstratio ex necessarijs non esset: minime haberetur ea quæ propter qđ est ratio: exemplificat. d. sit autem vtique vt, quod, a, de, c, ex necessitate esse, idest sit hæc conclusio omne, c, est, a, necessaria, aut ex necessarijs, b, autẽ medium per quod demonstratum est non ex necessitate. i. illa per quã est demonstrata ista conclusio omne, c, est, a, sit non ex necessarijs, sed ex contingentibus, tunc inquit ipse nõ sciuit propter quid. i. per causam, vel non sciuit illam conclusionem propter medium necessarium. non enim est hoc. i. non necessarium; propter medium, sed necessarium, vel sic construe, nõ enim est hoc, idest non scitur ex necessitate, propter hoc medium: adde tamen, sed sciuit ex contingenti. igitur demonstratio est ex necessarijs. sextam & vltimam rationem ponit, cum dicit. Amplius, vel item, si aliquis nescit supple rem, nũc habens rationem, & saluus, & re conclusioneq; salua, neque rei sit oblitus: is quoque neque prius sciuit. Hic notat

tat D. Thomas fideliſſimus Comment. quod innuit Ariſtoteles quatuor modos quibus aliquis amittit ſcientiam quam prius habuit. Primus modus eſt quando excidit a mente eius ratio per quam prius ſciebat. Secundus modus eſt per corruptionem ipſius ſcientis. Tertius modus per corruptionem rei ſcitæ: ſicut ſi ſcientia ſit te ſedente dũ ſedes: te vero non ſedente perijt. Quartus & vltimus modus eſt per obliuionem. eſt igitur ratio, quia ſi res ſalua ſit.i.ſcibilis,& tu ſcis ſaluus.i. non cor ruptus:& nihil ſis oblitus,& illud medium contingens ſit mutatum ꝑ quod tu ſciebas concluſionem, tunc nil es oblitus, & tamen tu neſcis illud medium quia eſt mutatum. ergo tu nõ ſciuiſti illam concluſionem per illud medium. ideo ſubdit quod non impedit ſi ponatur tale medium contingens eſſe falſum,quia poſſibili poſito nullum ſequitur impoſſibile, & hæc ſunt quæ dicit,quod ſi aliquis nunc non ſit,cum tamen eandem rationem habeat; quã prius habuit, & ſaluatus eſt. i. nõ deſit eſſe,& ſaluare.i.& re ſcita, & non corrupta, nec oblitus eſt ipſe, patet quod neque ſciuit prius. his igitur quatuor conditionibus ſtantibus quicquid nũc neſcis,nunquam ſciuiſti,& quia omnibus iſtis conditionibus ſtantibus ſi per medium non neceſſarium ſcis concluſionem neceſſariam, corrupto medio neſcis illam: igitur nunquam eam ſciuiſti. ideo dicit, corrumpetur autem vtique medium niſi ſit neceſſarium: quare habebit quidem rationẽ ſaluus, ſalua re, neſcit autem: nec ergo prius ſciuit. q. d. quare ſi ita ſit,habebit rationem ſiue concluſionem ſaluus, ſalua re,quam ipſe ſcit,neſcit autem,ſupple,quia cauſa, & mediũ ablatum eſt: ergo nec ſciuit prius: ſi vero non corruptum ſupple eſt medium, contingit autem corrumpi, vel eſt contingens natura; quia quod accidit vtique erit poſſibile,& contingens:ſed eſt impoſſibile ſic ſe habentem ſcire.q.d. Philoſophus, ſi dicatur quod mediũ non eſt corruptum, licet contingens ſit ponatur ergo ipſum corrumpi; ex hoc nullũ debet contingere impoſſibile, quare concludendum eſt,vt prius eſſe impoſſibile ſic ſe habentem vere ſcire, quando medium per quod concluſio ſcitur,fuerit corruptum. Notandum hic eſt,quod principium duplex eſt, ſ. quoddam commune, & ſolum virtualiter ad demonſtrationem cõcurrens: quoddam autem demonſtrationi appropriatum,& formaliter ad illã concurrens, & de hoc loquitur Ariſtoteles.taleque debet eſſe primum in genere circa quod ſit demonſtratio. Secundo notãdum circa vltimam rationem Ariſtotelem velle inferre, quod cum demonſtratio ſit per cauſam, & contingens non poſſit eſſe cauſa neceſſarij demonſtratiue: ſic non ſciretur cõcluſio per medium contingens: ergo ex neceſſarijs. Tertio notandum ſecundum Egid. quod prius ſcire, & poſtea neſcire eſt perdere ſcientiã: ſed ſcientia non perditur niſi altero quatuor modorum. Sic ergo ſe habente, ideſt manentibus omnibus iſtis conditionibus impoſſibile eſt ſcire aliquid, & poſtea neſcire. Hoc argumentum deſumptum eſt ab authoritate aduerſariorũ, qui uolebant demonſtrari per contingens,quod negat Philoſophus.

Tex. 21. Cum igitur. vſq;. Quoniam igitur.

Secundum corrolarium hic ponit. videlicet quod cõcluſio neceſſaria per mediũ contingens non poteſt demonſtrari. dicit ergo. cum igitur concluſio eſt ex neceſſitate nihil prohibet medium non neceſſarium eſſe, ex neceſſitate non eſſe: per quod, ſupple, me dium,

dium, monstrata est illa cóclusio. quoniam est.i.contingit necessariú ex non necessarijs syllogizare: sic & verum ex non veris, quasi dicat, quoniam cótingit ex non necessarijs syllogizare siue concludere verum: quemadmodum ex non veris contingit syllogizare verum, vel cócludere verum. cum igitur medium est ex necessitate, & conclusio quoque est ex necessitate, sicut ex veris medijs, semper verum cócluditur. exemplificat hoc in terminis dicens. sit enim, a, de, b, ex necessitate.i.si hæc maior propositio omne, b, est, a, de necessitate, & hoc.i.b, de, c. supple prædicetur ex necessitate, necesse est ergo, & a, c, inesse.i.necesse est, a, inesse, c, sed cum non ex necessitate sic conclusio, idest at cum conclusio non est necessaria, neque medium est possibile esse necessarium, vt patet in terminis. sit enim, a, in c, non ex necessitate inesse.i. sit hæc conclusio, a, in c, ex non necessarijs, in b, autem, a, & hoc supple, b, sit in c, ex necessitate, & a, ergo in c, ex necessitate erit. fiatq; syllogismus: omne a, est c, omne, a, est, b, & omne, b, est, c, igitur omne, a, est, c, sed non supponebatur.i.non fuit concessum, quasi dicat, non posse concedi conclusionem non esse necessariam si præmissę necessarię sunt. Vbi notandum est cum dicebatur in litera, quod medium per quod demonstratum est necessarium.i. necessarium esse demonstratum ex non necessarijs, per demonstratum intelligit syllogizatum largo modo, vt ex sequentibus patet. Notandum secundo secundum Egid. Aristotelem innuere duos bonos modos syllogizandi, scilicet, a, positione antecedentis: vt si præmissæ sint necessariæ, & conclusio est necessaria, & a destructione consequentis: ut si conclusio non est necessaria, nec conclusio est necessaria.

Tex. 22. Quoniam igitur. vsq; Quoniam autem.

IN præsenti contextu quatuor facit Aristoteles. Primo ponit tertium corrolarium. Secundo tertiam conclusionem. Tertio dubitationem. Quarto & vltimo eius dilucidationem. Quantum ad primum dicit. quoniam igitur si scit demóstratiue, oportet inesse ex necessitate.i.per medium necessarium oportet inesse, manifestum est quoniã, & per medium necessarium oportet habere demonstrationẽ, aut non sciet: propterea quod si non habet huiusmodi demonstrationem; neque sciet propter quid, neque quia: igitur medium, quod scit oportet esse necessarium: & patet consequentia, quia syllogismus demóstratiuus est ex necessarijs: quare est necesse illud esse; supple medium necessarium: nanque si medium quis assumat non necessarium aut opinabitur nesciens, supple, se scire, & erit nesciens quotiescunque opinabitur non necessarium tanquam necessarium: aut supple, si assumat medium tanquã non necessarium, neque sciet, neque opinabitur se scire similiter, siue dicatur quoniam sciat per media.i. mediata; siue propter quid, & propter immediata; semper hoc fiet per medium necessarium. Vbi notandum est demonstrationem propter quid semper esse per causas immediatas. Demonstrationem vero, quia quædam ab effectu, quædam uero a causa remota. Tertiã conclusionẽm ponit subd. in quo determinat non esse demonstrationem accidentium, sed quorũdam, quia duplex est accidens, vt vidimus in anteprædicamentis: quoddam separabile, & de hoc non est demonstratio, & quoddam inseparabile, & de hoc est demonstratio. dicit igitur. Accidentiũ autem

autem non per se quomodo diffinitum est, per se quidem non est scientia demonstratiua. i. Accidentium quæ per se non sunt eo modo quo diffinita sunt per se: non est scientia demonstratiua: rationem subdit, quia non est.i.contingit monstrare conclusionem ex necessarijs. accidens enim contingit non esse.i.esse separabile, de tali dico accidẽte non esse scientiam demonstratiuam adde tu hanc sequelam ergo de inseparabili sic. Ponit deinde dubium. d. Et tamen fortasse aliquis ambiget siue dubitabit, cuius causa hæc oportet interrogare de his supple contingentibus, si non est necessarium conclusionem esse ex huiusmodi contingentibus. Respondet ipse dicendo, quod nihil differt si aliquis interrogatus contingentia.i.de contingentibus, postea concedat conclusionem. Oportet autẽ interrogare supple de præmissis contingentibus, non tanquam necessariũ esset propter interrogata, sed quod dicere necesse est illa dicẽti.i. necesse est illam conclusionem concedere, si aliquis illa concedit: & vere dicere si veræ sunt. i. & veram esse concedere, si illa vera sunt.i.præmissæ. q. d. Aristoteles quod quis dubitare posset si ex accidentibus, & contingentibus non fit demonstratio, ad quid facere de his interrogationem, & quoniam oportet, vt fit ex necessarijs demõstratio? Quia potest conclusio inferri ex contingentibus interrogatis ac concessis, & propter hoc, hæc dicta sunt, & hæc pro præsenti capitulo.

Tex. 23. Quoniam autem vsque Quare non necess. Cap. VII.

AGit in præsenti capitulo Aristoteles, demonstrationem esse ex ijs, quæ per se sunt, & ex perpetuis siue veris, neque ex alio genere transcẽdentem monstrare. Habet autem quatuor conclusiones, & nouem corrolaria: & in hac prima conclusione, vt inquit Philoponus videtur idem innuere. Scilicet, demonstrationem esse non ex contingentibus, sed ex ijs quæ per se sunt. Dicit igitur. quoniam autem supple, illa sunt ex necessitate circa vnumquodq; genus [ex quibus fit demonstratio,] quæcunque sunt per se.i. quæ per se, & secundum quod ipsum sunt, vel secundum quod vnumquodq; est: [manifestum est, quod de his, quæ sunt per se supple hoc modo,] sunt demonstratiuæ scientiæ, & ex talibus supple sunt demonstrationes. [Accidentia autem non sunt necessaria supple hoc modo vt sunt, quæ per se sunt. vbi animaduersione dignum est, quod per genus, hic Aristoteles non prædicamentarium genus, intelligit, sed genus sciẽtiæ, sicuti Mathematicum, Phisicum: non autem genus scientiæ absolutæ.

Tex. 24. Quare vsque manifestum autem est.

QVatuor corrolaria in præsentia docet Philosophus. Quorum primum est, quod non est necessarium scire ex accidentibus conclusionem propter quid. dicens. [Quare non necessarium est supple ex accidentibus [scire conclusionem propter quid sit. neque si semper sint] vt accidentia inseparabilia, [non per se autem: vt sunt per signa syllogismi. q. d. quia quæ sunt per accidens non sunt necessaria, ideo dicit quod & si præmissæ essent semper veræ, sed non tamen per se, vt procedunt syllogismi à signo, non sciretur conclusio propter quid. supple in accidentibus. [Hoc enim per se, non per se sciet.i.tunc licet conclusio esset per se, non sciretur per se, neque propter

quid.i.propter causam. [propter quid autem scire, est scire propter vel per causam scire. Deinde ostendit quomodo se debeant habere pręmisse.d.[propter hoc ipsum.ergo oportet,& tertio medium. i. in quantum spectat ad minorem propositionem,quia minor debet esse per se, & secundum quod ipsum, & primum medio inesse.i.quantum ad maiorem, eo quod maior debet esse per se, & secundum quod ipsum; ad hoc vt sciamus propter quid. Aduerte quod per primum intelligit maiorem extremitatem, & per tertio minorem extremitatem. Secundum corrolarium est, cum d. [Non ergo est ex alio genere descendentem, mõstrare, vt geometricum in arithmeticam.i. non contingit demonstrare (recte demonstrando) dscendere de vno genere in aliud genus: quemadmodum nó contingit geometram demonstrando in arithmeticam descendere. tria deinde ostendit concurrere ad demonstrationé, præmittitque primum diuisioné deinde exequitur. d. [Tria enim sunt in demonstrationibus, vel concurrunt ad demonstrationes,]vnum quidé quę demonstratur conclusio. i. passio quæ de alio demonstratur ac concluditur. [Hoc autem.i.passio] est quod inest alicui generi per se, idest alicui subiecto. [Vnum autem dignitates. i. alterũ est dignitas,] quia dignitates sunt ex quibus fit demonstratio. Tertium vero genus subiectum est, cuius passiones, & demonstratio ostendit accidentia per se. Tria ergo requiruntur.u.passio quæ concluditur: & dignitas per quam cõcluditur: & subiectum per quod concluditur. [ex quibus igitur est demonstratio, contingit eadem affiniaque esse.i.vnum horum trium, vt dignitates ex quibus fiunt demonstrationes, contingit esse idem in diuersis scientijs: & in diuersis demonstrationibus, vt hoc axioma, quæ eidem sunt æqualia, & inter se sũt æqualia, geometriæ, & arithmeticæ commune est. Ad propositum descendit deinde cum. d.] Quorum autem.i. quorum generum scientiarũ [genus est alterum.i. subiectum est diuersum,] sicut arithmeticæ & geometriæ.i.vna non descendit ad aliam:[nó est. i. non contingit arithmeticam demonstrationem conuenire, vel conuenienter demonstrare,] accidentia in magnitudinibus.q. d. non debet arithmeticus descendere, & demonstrare propria accidentia de magnitudinib. [nisi magnitudines numeri sint, i. nisi geometriæ subiectum, sub arithmeticæ subiecto continetur:] hoc autem quod & quomodo in quibusdam contingit dicetur posterius. (i.in capitulo de subalternatione.s.quomodo vna alteri scientiæ subalternetur.) Deinde subdit, [sed arithmetica demonstratio habet, semper genus, circa quod fit demonstratio, & aliæ scientiæ similiter, idest arithmetica habet genus propriũ circa quod demonstratur, & non descẽdit in aliud genus, similiter & aliæ sciẽtiæ ratiocinetur sic: quicquid igitur habet genus proprium non descendit in aliud genus, sed arithmetica est huiusmodi: ergo: tertium corrolarium ponit. d.] quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut supple necesse est esse idé aliquo modo, [si debet demonstratio descendere,] aliter auté.i. si est aliter & nullo modo est idem, manifestum est quoniam impossibile, idest descendere: [ex eodem enim genere necesse est vltima, & media esse.i.& maior, & minor extremitas, & mediũ oportet vt sint ex eodem genere:] si nanque supple hoc non fiat, [non per se accidẽtia erunt. Intellige igitur hic per vltima extremitates, siue subiectũ & passio. vbi non erit medium eiusdẽ generis nil poterit demonstrari. Quartum corrolarium facit cum subdit dicens,]propter hoc.i. propter rationes

dictas,

dictas,[geometriæ non est.i. contingit demonstrare, quod contrariorum sit vna scientia, sed potius ad metaphisicam hoc spectat, siue ad dialecticam] sed neque quod duo cubi sit vnus cubus, supple ostendunt geometre [neque alterius scientiæ, supple, contingit demonstrare quod alterius est. sed bene poſſunt istæ, aut quæcunque sic se habent ad inuicem,quod alterum conti netur sub altero:vt perspe ctiua ad geometriam. i. habet hoc qđ subalternatur illi:& consonantia.i.musica arithmeticæ supple subalternatur siue se habet ad inuicem.] neque si aliquid inest lineis. i. si aliqua passio non inest [secundum quod lineæ sunt, & non inquãtum ex proprijs principijs, vt si pulcherrima linearum sit recta, aut si supple recta linea contrario modo se habeat circulari,tunc]non est genus proprium ipsarum. i. proprium subiectum ipsorum [secundum quod idest vniuersaliter] sed inquantum est commune quoddam. s. subiectum. hic autem sunt quædam notatu digna, & primum vt notat Egidius Aristotelem loquutum fuisse vsque huc de demonstratione potissima, & propter quid, hic vero in sequenti vult de demõstratione quia & per effectus quod idem sunt. quasi inferat demonstrationem potissimam non esse propter quid. i. per causam,quod tamen est,Sed est ꝓpter quid simpliciter, alia vero propter quid tantum. Secundo notandum quod probare contrariorum ad metaphisicam, & ad dialecticam pertinet: dialecticus probat secundum probabilitatem, metaphisicus vero secundum veritatem.

Tex. 25. Manifestum vsque similiter se habet.

SEcundam conclusionem, & quintũ corrolarium ponit Aristoteles in p̃senti contextu. supra enim demõstrauit non esse demonstrationem ex his quæ possunt aliter se habere, & neque ex his quæ per accidens sunt, nec ex extraneis sed ex propriis, & per se, & quæ non possunt aliter se habere:in p̃sentia ostendit ex perpetuis debere esse,& non ex corruptibilibus. dicit igitur. [Manifestum autẽ est,quod si sint propositiones vniuersales, ex quibus fit syllogismus demonstratiuus, quod necesse est, & conclusionem esse perpetuam huiusmodi demõstrationis. s. quæ est ex per se,& proprijs, & secundum quod ipsum siue vniuersale,] & simpliciter (vt est dicere) demonstrationis. i. non solum conclusionem necessariam, eius demonstrationis ex vniuersalibus oportere esse, affirmamus, sed etiam de vnaquaque demonstratione, (vt ita dicam.) simpliciter. ratiocinetur igitur sic. quicunque syllogismus est accipiens propositiones vniuersales,& secundum quod ipsum, ille cõcludit conclusionem perpetuã, demonstratio huiusmodi,ergo.quintũ corrolarium est. d. [Non est ergo demonstratio corruptibilium, neq; sciẽtia simpliciter, sed sic est supple de eis sicut est de illis, quæ sunt secundum accidens. Deinde subdit,]& quod non est vniuersalis ipsius; sed sic,& aliquãdo[supple, est: non est scientia, neque demonstratio.] Cum autem ita sit.i.cõclusio non vniuersalis sed corruptibilis] necesse est alteram.i.præmissarum [non vniuersalem esse: corruptibilem quidem supple continget alteram præmissarum. [quoniam & conclusio est supple,corruptibilis:] non vniuersalẽ, autem.i. syllogizabitur, [quod hoc q̃dem erit. s. corruptibilis,] hoc autem non erit ; ex quibus est syllogismus: [quare.s.positis his] non est syllogizare vniuersaliter, sed quoniam nũc est, idest quoniam nunc erit, & aliquando non erit sic;igitur demonstratio est ex

perpetuis. ergo quæcunque habent p̄missas vniuersales, & de omni subiecto non possunt demonstrari: de illis non est demonstratio: corruptibilia sunt huiusmodi ergo. Vbi notandum est quod accipit hic Aristoteles vniuersale, vt supra accipiebatur, cum dicebat vniuersale autem dico, &c. propositiones vniuersales eas vocat, q̄ sunt secundum quod ipsum, & si sunt huiusmodi, impossibile est quod conclusio sit ex corruptibilibus. Secundo notandum est, quod dixit non esse scientiam corruptibilium nisi per accidens, quoniam scientia proprie sumpta, vt ad propositum facit est de ijs, quæ nō possunt aliter se habere: vt patet in secundo cap. huius. igitur scientia, & demōstratio proprie sumpta per se erūt vniuersalium incorruptibilium. quoniam vero sub vniuersalibus indiuidua continentur, & quodlibet illorum suo vniuersali accidit: hinc sequitur, quod dū habemus scientiam de illis indiuiduis dicimur habere scientiam per accidens. nanque accidit homini, quod sit Plato, quod sit Socrates, & sic de alijs indiuiduis sub vniuersalibus contētis.

Tex. 26. Similiter se vsque eorum autem, &c.

Tertiam conclusionem in præsenti contextu ponit: intendens hanc rationem, quod diffinitio nō est de rebus corruptibilibus: nanque diffinitio est principium demonstrationis. ideo dicit. [similiter se habet de diffinitione scilicet quod est ex perpetuis.] quoniā quidem diffinitio, aut est principium demonstrationis, [aut demonstratio ipsa est, positione differens. s. ab ipsa diffinitione,] aut est conclusio quædam, demonstrationis. Est enim diffinitio de omni, & est vniuersalis, & non corruptibilium sicut nec demonstratio. in secundo libro plura erunt dicenda de diffinitione. Notandum tamen quod diffinitio est duplex. s. quidditatiua, descriptiua, causalis, & quid nominis. Diffinitio quidditatiua seu essentialis est oratio quid est esse rei indicans per essentialia, vt homo est animal rationale mortale. Diffinitio descriptiua est oratio quid est esse rei indicās sed per accidentia, vt homo est animal gressibile bipes. Diffinitio causalis est, oratio quæ datur per causas, vel efficientem, vel materialem, vt ira est ascensio sanguinis circa cor. Diffinitio quid nominis est oratio indicans quid importatur per illud nomen, vt vacuum dicitur quid spacium, corpore non repletum, vt notat Versorius.

Tex. 27. Eorum vsque difficile autem est.

Vltima quatuor corrolaria videnda sunt in præsentia. Primum autē est huiusmodi cum subdit. d. [eorum autem quæ sæpe fiūt. scilicet de ijs dico,] sunt demonstrationes, & scientiæ, (vt defectus lunæ) non de ijs est demōstratio, vt sunt sæpe sed vt semp sunt, quia [manifestum est, quoniam secundum quod huiusmodi sunt. i. secundū quod demonstrabilia, & vniuersalia sunt,] semper sunt: sed inquantum nō semper sunt, sed inquantum sunt secūdum partem. i. secundum particularia non sunt demonstrabilia, & [sicut est de defectu lunæ, similiter de alijs est, quasi dicat, sicut non est demonstratio de eclypsi nisi inquantum est semper, similiter de alijs est dicendum, quod non sunt demonstrabilia nisi inquantum sunt semper. Septimum corrolarium est, cum ostendit demonstrationem non esse ex communibus principijs, sed proprijs cum dicit.] Quoniam autem est, quod demonstrare vnumquodque

quodque non est, idest non contingit ex vnoquoque principio communi, [sed aut.i.est, vel contingit demonstrare] ex vnoquoque principiorum. i. ex proprijs principijs,[si,i.quia [id quod demonstratur] oportet vt [sit secundũ quod est illud.i.secundum quod ipsum [non autem est demonstrare, vel contingit demonstrare, vel scire,[si [supple,illud quod demonstratur[ex veris & indemonstrabilibus, & immediatis monstratur.]quasi velit dicere Aristoteles, sint quantumcunque principia immediata indemonstrabilia, & vera, quod si non sunt propria non contingit demonstrare,]quia demonstrare sic.i. hoc modo [sicut Brison,] scilicet Philosophus quidam sic nuncupatus [tetragouismon] contingit demõstrare.Brison autem in demõstrando quadratum esse æqualem circulo, & quadrato: procedebat per quoddam commune principium, quod alteri inest a circulo,& quadrato: quare rationes illius alijs conuenire, non autem circulo & quadrato tanquam propinquis,& immediatis. igitur per communia, vt iste Brison faciebat, est scire per accidens,& non secundnm quod ipsum,& per se,& hoc est quod dicit sub.[Secundum commune, supple, principium] monstrant rationes huiusmodi, quod & alteri inest, supple hæ rationes alijs insunt ab illis principijs per quod accipiuntur, vt ipse insinuat. d. [vnde & in alijs conueniunt hæ rationes, nou congeneis.i.alijs conueniunt non eiusdem generis. [Non itaque secundum illud.i.vniuersaliter [scit, sed secundũ accidens.]propterea quod [demõstratio non conuenit,] vel non contingit ire, siue demõstrare ex ijs quæ sunt de vno genere [in aliud genus.] nanque [vnumquodque scimus non secundũ accidens,cum secundum illud.i.secundum quod ipsum] cognoscimus. [Secundum quod ex principijs illius, inquantum illud est.i.quatenus est tale,] vt habere æquales duobus rectis, cui inest per se.s.triangulo, [quod dictum est] hoc supra,[ex principijs illius]debet demonstrari. Octauum corrolariũ ponit deinde, cum dicit. [quare si per se inest,& illud.] i. & illa passio subiecto per se inest, [cui inest.] i.subiecto, [necesse est medium esse in eadẽ proximitate. i. in eodem genere, vel per proprium principium; non autem per commune. [Si vero non] supple demõstratur hoc modo, [sed] demonstratur [sicut armonica per arithmeticam,] quasi dicat,quæ sunt talia [demonstrãtur quidem similiter, sed differunt. i. quæ scientiæ sunt huiusmodi, vt musica cum arithmetica, quæ quidẽ scientia est subalternata, ex proprijs procedunt principijs: igitur si iste scientiæ, quæ sunt sub alijs procedunt ex proprijs principijs,tanto magis aliæ. Vbi notandum est quod istæ scientiæ differunt in hoc ab alijs,in procedendo: nã scire, quia, est scientiæ subalternatæ, quæ altera est a subalternãte, eo quod subiectum ipsius est alterum a subiecto alterius: sed scire propter quid,est scientiæ superioris cuius sunt per se passiones. ideo subdit. d.] nam ipsum quidem [scire,] quia, alterius quidem est scientiæ.i.subalternatæ. [Subiectũ enim genus] scientiæ subalternatæ, [est alterum genus] a scientia subalternãte: sed propter quid, est superioris scientiæ, cuius per se sunt passiones;[quasi dicat,dicere quia, est scientiæ subalternatæ,& propter quid,superioris: vt diximus. Vltimum corrolarium deinde ponit cum dicit. [Quare ex his,supple,quæ dicta sunt,[manifestum est,quod non sit demonstrare, siue contingit, vnumquodque simpliciter,aliter,]siue alio modo, [quam ex proprijs principijs vniuscuiusq;] subiecti: sed quoniam aliquæ scientiæ ꝓcedunt per communia: ideo dicit.[Sed

horum

horum principia.] i. horum specialiũ scientiarum, vt metaphisica [habent commune.] s. tam principia scientiæ superioris, quam scientiæ inferioris habent commune. per quæ probetur. Adde tu cum simplicio in primo Physic. non simpliciter, quia subalternaret sibi omnes scientias, sed neganti. d ein de. d. [Si autem manifestum est hoc: quod non est vniuscuiusque] scientiæ specialis [propria principia demonstrare: erunt enim illa.] s. principia communia [omnium principia,] idest aliorum principiorum, [& scientia eorum] principiorũ erit [domina omnium;] vt metaphisica, [& nanq; sciẽs scit magis ex superioribus causis,] supple, quam ex inferioribus. [ex prioribus enim scit, cum nõ ex causatis sciat causas.] i. cum a posteriori non scit. nec causas sit per causata siue per effectus: sed tunc scit ex superioribus, quando ex prioribus scit, & quando scit per cau sas effectus. ideo cõcludit. d. [quare si magis scit, ille qui maxime habet causas, & illa quoque scientia erit magis, & maxime,] idest erit scientia quæ magis, & maxime causas considerat. concludit intentum dicens. [Sed demonstrationum conuenit,] vel non recte ac conuenienter descendit de vno genere [in aliud genus, aliter] idest, eo modo [quam, vt dictum est gemetricæ] descedunt [in machinatiuas] siue mechanicas, [aut pspectiuas] siue speculatiuas; [& arithmeticæ in harmonicas,] vel musicalia. Vbi notandum est quod geometria dicitur transire in artes mechanicas seu machinatiuas quales sunt artes ædificandi, ars faciẽdi machinas, & consimilia: eo quod in exequendo finem; quem prædictæ artes intendunt modo practico, plurib. propositionibus vtuntur geometricis. Geometria etiam dicitur transire in speculatiuam, quoniam de visione, & linea visuali pertractat: visio autem fit mediante speculo. Arithmetica dicitur descendere in musicam, propterea quod de vocum consonantia determinat. Secundo notandũ quod licet scientia subalternata accipiat sua principia a superiori scientia, ista tamen eidem dicuntur principia, verbi gratia, impressio similitudinis dextrum, & sinistrum sunt termini naturales: diametraliter autem est geometricus, & sic de singulis.

Tex. 28. Difficile vsque dico.

QVartam & vltimam conclusionẽ ponit in præsentia Aristoteles: ostendens quod difficile est cognoscere, an nos sciamus habere principia. ideo dicit. [Difficile autem est nosse] per demonstrationẽ [si ex principijs] proprijs [vniuscuiusque scim⁹, [aut non quod vere est scire.] i. aut nõ est vere scire nisi ex proprijs principijs. [Opinamur autem hoc] scire [si habeamus syllogismum ex aliquibus veris, & primis,] idest ex vniuersalib. [sed hoc non est,] idest non contingit scire hoc modo ex vniuersalibus, & communibus. [Sed congenea oportet esse ex primis.] i. oportet vt sint vniuersalia eiusdem generis, vel oportet esse principia proxima. i. propria primis, idest cum primis, & cum communibus. simul enim cum primis principijs cõmunibus oportet habere principia propria siue proxima communia nanque non faciunt scire sine proximis. Vbi notandum est secundũ Off. quod principia proxima primis dupliciter intelligi potest. vno modo quia sint immediata conclusioni, quæ primo demonstrantur. Alio modo quia sint principia particularia, sed proxima tamen communibus, quę prima appellantur, & hæc quæ pro capitulo præsenti, volui.

Tex. 29.

Tex. 29. Dico autem vsque. Quasdam tamen. Cap. VIII.

QVindecim annotationes continẽtur in hoc capite. agitq; quod principia demonstratiuarum scientiarum alia sunt communia, & alia propria. Ostendit quoque differentiam inter suppositionem, dignitatem, petitionem, & diffinitionem. in prima annotatione ostendit quæ sint principia. in secunda comparat ea ad non principia. in tertia ostendit quædam esse communia, & quædã propria. in quarta quæ sint communia ostendit. in quinta verò circa, quæ sit demonstratiua scientia. Dicit igitur circa primam. dico vel describo illas esse principia in vnoquoque genere, quæ cum sint vera, non contingit ipsa demonstrare. Secunda est: quid igitur significent supple principia, & quæ sunt prima, & quæ sunt ex primis, [accipiendum, idest, supponitur, & assumitur, quasi dicat, quid quidem igitur significent, & prima. i. axiomata vel sententiæ, quæ occupant maioris locum, & quid significent ea, quæ sunt ex primis idest conclusiones est demonstrare, vel supponere, [quod autem sint principia necesse est accipere, ac supponere. Alia vero demonstrare. quasi dat differentiam inter principia, & ea quę non sunt principia, quia principia supponimus esse: alia vero demonstratione egent: vel alia demonstramus,] vt quid vnitas, aut quid rectum, & quid triangulus. i. accipimus, uel supponimus, tanquam principium vnitatem: quæ vnitas in arithmetica est tanquã principium, & quid triãgulus, & quid rectum quæ non sunt principia, sed passiones geometriæ, hæc in quã oportet demonstrare, quia [esse vnitatem, accipere, & magnitudinem,] idest accipienda tanquam principia: quoniam sic, & vnitatem, & magnitudinem accipit mathematicus esse. [Altera vero monstrare. i. quia non supponuntur esse, oportet demonstrare, quæ sunt passiones: vt angulum, triangulum, &cęt. erit igitur differentia, quod principia supponuntur: non vero principia demonstrantur. Deinde accedit ad tertiã. dic. [Sunt autem. s. principia, quibus vtuntur in demonstratiuis scientijs, alia propria vniuscuiusque scientiæ: alia vero communia, quasi dicat, quędam (principiorum) sunt communia, & quædam propria. [communia vero secundum analogiam,] quia aliquis dicere posset, quod scientiæ non vtuntur communibus principijs: ideo dicit, quod accipiuntur secundum analogiã quandam seu proportionem in scientijs: [quoniam vtile est, sup. huiusmodi principia in scientia aliqua accipere, [quantuncunque est in eo. i. quantum in eo genere spectat,] qđ est sub scientia, quasi dicat, quod principia communia vtilia sunt, siue utilitas illorũ tanta est, quantum spectat ad genus subiecti quod est sub illa scientia. genus subiecti dicitur esse sub illa scientia: quoniam considerationi ipsius scientiæ subijcitur. [propria principia supl. dico,] vt lineam esse huiusmodi, [puta longitudinem absque latitudine:] & rectum, [supple dico esse eiusmodi: puta quod non discrepat ab extremis: quæ sunt principia geometriæ. declarat. di. [Cõia autem] principia sunt, [vt æqualia si auferas, ab æqualib. qđ reliqua [siue q̃ remanent,] sunt æqualia.] Hæc enim & similia ad omnes, vel ad complures scientias adaptari possunt. sub. d. [sufficiens autem vnumquodque horum] communium principiorum, [quantuncunque in genere est.] q. d. scientia non eget vltra suum subiectum sed sufficit ei tantum accipere de huiusmodi principijs communibus,

nibus quātum pertinet ad genus subiecti sui,& hoc patet,quia] idem enim faciet [geometra ipse, [si non de omnibus] æqualibus [accipiat,sed in magnitudinibus solum,] idest cum geometra vult arguere , quod ab æqualib. æqualia demas, & non oportet,vt accipiat ipsum principium in sua tota vniuersalitate , sed sufficit, quòd accipiat illud contractum ad magnitudines solum . Sic , (cum non intendit arguere, nisi de magnitudinibus,) si ab æqualibus magnitudinibus , æquales magnitudines demas, q̄ remanent sunt ęquales,& sic de alijs.non autem in vniuersalitate illa tota. [Arithmeticæ autem in numeris.] i. idem faciet si accipiet in numeris solum. Quartam ponit annotatio.d.[Sunt autem propria quidē, & quæ accipiuntur esse.] i.subiecta ,ppria sunt quæ supponuntur in scientia illa: [circa q̄] subiecta [sciētia speculatur quæ sunt p se.] i. passiones per se subiectorum illorum, [vt arithmetica vnitates,] supponit esse , [geometria autem signa , & lineas,] esse supponit: [hæc enim] vnitates arithmetica,& lineas , & puncta geometria [recipiunt esse,] idest quia sunt, [& hoc esse.] & quid sunt supponunt:quasi dicat,quod supponunt,quia sunt,& quid sunt.[Horum autem passiones per se, quid quidem vnaquæq; significent, accipiunt,] idest , passiones horum subiectorum, quæ sibi per se insunt , qualibet scientia supponit quid significent,[vt arithmetica quidem quid par,] præsupponit quid sit , [& quid impar,] sit , [aut quid quadratus , aut cubus:] idest numerus cubus , & numerus quadratus. [Geometria vero] supponit , [quid irrationale, aut inflecti,aut cōcurrere,] idest quid sit inflecti,reflecti, curuare, & huiusmodi. [quod autem sint,]tales passiones prædictæ scientiæ , [demonstrant per communia,& ex ijs quę demonstrantur,] per cōmunia,[& astrologia similiter.] sicut dictum est de arithmetica,& geometria,idem iudiciū de astrologia,quasi dicat,& astrologia præsupponit de passionibus quid significent . Quinta annotatio est .[omnis demonstratiuā scientia circa tria est, circa quæ esse ponuntur.] i. quæ ponuntur circa præcognita. [Hæc autem sunt genus.] i. subiectum [cuius] sciētia subiecti [per se passionum est] ista scientia [speculatiua,] & quæ communes dicuntur dignitates, ex quibus primis demonstrant, [idest secundū , est principia, quæ dignitates dicuntur ex quibus dignitatibus tanquam ex primis demonstrationes fiunt ,] & tertiū passiones,quarum quid significet vnaquęque, accipit,] quasi dicat , tertium est passiones,de quibus passionib. vnaquęque scientia accipit, vel præsupponit quid significent. circa quos contextus multa essent dicenda , sed breuitatis gratia,omnitimus. tamen est notādum circa primum contex. quod illud est principium,quod est indemonstrabile, & si est simpliciter indemonstrabile,est principium simpliciter . si autem est indemōstrabile in aliqua sciētia,est principium in illa , & quemadmodum non demonstrantur principia nec opposita principiorū . Falsa enim non possunt demonstrari. circa quartam,notatione dignū est,quod de subiecto oportet præsupponere esse,idest quod sit,& hoc esse,idest, & quid sit.secundo notandum quod subiectum est duplex,scilicet, propinquum,& remotum. propinquum , vt numerus arithmeticę, & magnitudo geometrię subiectum est. Remotum vt vnitas potest dici subiectum arithmeticæ: & linea, vel punctus subiectū geometriæ.Quoniam punctus , seu linea est principiū magnitudinis , & vnitas principium numeri. circa quintam. notandum secundum Egid. quod licet circa multa versetur demonstratiua scientia , tria

tamen

tamen sunt præcognita circa quę versatur: videlicet subiectum, dignitas, & passio. Tu autem quod vis suscipias ex his quæ dicta sunt.

Tex. 30. Quasdam. Vsque. Amplius petitio.

Alias quinque annotationes in pręsentia ponit Aristoteles, & primo in hac sexta inquit, [nihil prohibet tamen quasdam scientias despicere.] i. supponere [quædam eorum, vt genus] subiecti [non supponere esse si sit, manifestum quoniam est,] quod est dicere, scientiæ demonstratiuæ in hoc differunt, eo quod quædam subiectum suum præsupponunt esse, & quædam habent illud tam manifeste, quod despiciunt ipsum, & præsupponitur esse, idest, quæ non habent subiectum tam manifestum, indigent mētione aliqua de illo in scientia: sed illæ scientiæ, quę habent tam manifestum, despiciūt facere mentionem de eo, quia omnia non sunt similiter manifesta, ideo non similiter præsupponenda. vnde sequitur. [Non enim similiter manifestum est, quoniam numerus sit: & quod calidum, & frigidum.] i. non omnia sunt similiter per se nota: vt numerus, calidum, & frigidum, licet per se nota sint non tamen similiter, ac eodem modo, & passiones non est recipere quid significent, si sint manifestæ,] quia vt diximus despiciunt præsupponere, quid significent, sicut etiam de quibusdam principijs communibus non curant; quale est hoc, si ab æqualibus æqualia demas quæ remanent sunt æqualia: ideo dicit ipse. [Sicut neque communia non recipit quid significent, quod est æqualia ab æqualibus demere, quoniam notū est. [nihilominus hæc tria] prædicta in omni demonstratione [natura sint,] naturaliter sunt, scilicet, [circa quod demonstrat,] idest subiectum, [& quæ demonstrat,] idest passiones, quæ demonstrantur, [& ex quibus.] i. dignitates, ex quibus fiunt demonstrationes. Septimam ponit annotationem. datque differentiam inter dignitatem, & suppositionem, & petitionem. dicens. [Non est autem suppositio neq; petitio, quod necesse est propter seipsum esse,] idest id quod necesse est propter seipsum esse, vt est dignitas, non est suppositio, neque petitio, & videri necesse est, [idest, & necesse est videri, quasi dicat, differunt dignitates a petitionibus, & suppositionib. hoc autem patet, quia petitio, & suppositio confirmari ac probari possunt exteriori ratione, dignitas vero non. ideo dicit [non est enim] demon. id est non refert dignitas [ad orationem exterius: sed ad eam quæ est in anima,] idest, sed sola ratione, quæ est interius in anima, fit nota. [quoniam neque syllogismus,] adducitur ad probandum dignitates; secundo probatur, quia [semper est monstrare orationē, sed ad interius orationem non semp.,] supple, est demonstrare, quod est aperte dicere petitio, & suppositio, eo quod probantur ratione exteriori, & syllogismo; ideo non sunt per se nota, & cōtingit contra illa instare: nec necesse sunt per se esse, nec per se videri: sed dignitas aut sola interiori ratione assentitur, contra illam dico, non cōtingit instare, & eam necesse est per se esse, & per se videri. Octaua annotatio est, cum ponit aliam differentiam inter petitionem, suppositionem, & quęstionem dic. [Quæcunque ergo quidē demōstrabilia esse accipit ipse nō demonstrans, hæc siquidem, quæ videntur accipiat, discenti suppositio, & nō est suppositio simpliciter, sed ad illū solum,] quasi dicat, si quis accipiat aliquam propositionem demonstrabilē, vtatur tamen ea, non demonstrans, tā-

quam indemonſtrabilis ſit, ſi ipſa diſcenti, vel diſcipulo apparuerit vera, diceretur ſuppoſitio, non ſimpliciter quidem ſuppoſitio, ſed ſolum ad illũ diſcipulum. [Si vero neque vnius opinionis, aut contraria eſt, accipiat, idem petit.] i. ſi vero ipſe Doctor, vel ſi addiſcens neque vnius fuerit opinionis, neque contrariæ cum Doctore, ſicut vel de neutra parte conſideret, vel dubitet vtranque partem, tunc dicitur petitio. Si vero erit contrariæ opinionis dicitur quæſtio, [& in hoc differt ſuppoſitio, & petitio: eſt enim petitio in contrarium diſcentis opinioni: [ideſt poſtulatum ſiue petitio,] quod eſt idem, eſt cõtrarium opinioni diſcentis, [aut quodcunque aliquis demonſtrabile cũ ſit, accipiat: & vtatur nõ demonſtrãs,] ideſt, aut quod cũ demonſtrari queat, ſumit quis vtiturque, cũ id non demonſtret, quaſi dicat, licet ſuppoſitio, petitio, & quæſtio differant, tamen in hoc conueniunt, quod vnoquoque eorum vtitur demonſtrator non demonſtrãs: cum demonſtrabile ſit. Nonam annotationem ponit deinde probans diffinitiones nõ eſſe ſuppoſitiones. cum d. [Termini igitur.] i. diffinitiones [non ſunt ſuppoſitiones,] quia ſuppoſitiones dicunt aliquid eſſe, vel non eſſe, ſed diffinitiones. [nihil dicunt eſſe, vel non eſſe.] [Sed in propoſitionib. ſunt ſuppoſitiones,] quaſi dicat, omnis ſuppoſitio eſt propoſitio, & quælibet propoſitio dicit eſſe, vel non eſſe: adde tu ſed diffinitio non eſt propoſitio, quia [terminos ſolum intelligere oportet,] per diffinitiones habetur operatio ſimplex intellectus, quæ dicitur intelligere, [hoc autem.] i. talis operatio intellectus [non eſt ſuppoſitio, niſi & audire aliquis ſuppoſitionem eſſe dicat,] ideſt niſi aliquis dicat vocem aliquam ſimplicem, quæ comprehenditur auditu, ſuppoſitionem eſſe, quaſi dicat, ſi ergo eſt audire voces ſimplices nõ dicimus ſuppoſitiones eſſe: ſic etiam nec diffinitiones. [Sed] ſupple ſuppoſitiones ſunt illæ [quibuſcunque exiſtentibus.] i. ſunt de numero propoſitionũ exiſtentium, [in eo quod illa ſunt, fit concluſio.] Quatenus huiuſmodi poſſunt eſſe præmiſſæ ad concludendum aliquam concluſionem. igitur, quia talia ſic exiſtentia nõ ſunt diffinitiones, ſed propoſitiones; ſequitur quod ſuppoſitiones non ſunt diffinitiones, ſed propoſitiones. Decimam ponit annotationem. dicens, quod demonſtrator non vtitur ſuppoſitionibus falſis: eo quod aliqui hic vti videntur: vt geometra qui videtur dicere ac ſupponere falſum dicens, eſſe rectum, quod nõ eſt rectum, & vnius pedis, quod nõ eſt vnius pedis idcirco oſtendit in hoc nõ eſſe falſitatem. d. ergo [neque autem geometra falſa ſuppouit, ſicut quidã affirmant, dicentes, oportet] in demõſtratione [non falſo] ſupponere, [vt geometram:] dicunt [mentiri dicentẽ eſſe lineam vnius pedis, quæ non eſt vnius pedis: aut rectam lineam non rectam exiſtentem.] i. eo quod dicunt illum mentiri, quia dicit lineam hanc, vel illam eſſe vnius pedis, quam ſic nõ eſt, & lineam illam eſſe rectam, quę tamen non eſt. [Sed geometra nihil ſecũdum hanc lineam concludit, quam ipſe poſuit, ſed quę per hęc oſtendũtur,] quaſi dicat. Reſpondens non oportet dicere geometram mẽtiri, aut falſum ſupponere: quia non facit demonſtrationem de linea illa particulari deſcripta in papiro, vel in puluere: ſed de linea vniuerſali: quam dat intelligere per illam particularem, exempli gratia, & ad maiorem facilitatem. quare ergo non erit de illa particulari ſuppoſitio; ſed de vniuerſali. hic autem eſt notandum, & primo ad illam ſextam annotationem. Secundum Egid. quod per hæc duo dignitas non eſt petitio. nec eſt ſuppoſitio. quoniam ſuppoſitio

&

& petitio possunt demonstrari:& ideo non sunt necessariæ per seipsas. Rursus petitio, & suppositio non statim se afferunt intellectui: ideo non oportet vt assentiamus eis per seipsas: nec qđ videantur nobis veræ per seipsas. igitur recte fuit dictum quod id quod necesse est per seipsum esse, & per seipsum videri cuiusmodi est dignitas, qđ tale quid nō est suppositio, & petitio. Circa nonam notandum est, quod diffinitiones dicuntur termini. quoniam genus, & differentia, per quæ diffinitiones assignantur sunt termini, per quos terminos res finita determinatur, vel restringitur, ad intra determinatam rei quidditatem. Item notandū quod suppositiones sunt in propositionibus, eo quod sub propositionibus continentur: quemadmodū pars subiectiua sub suo toto, & est Aristotelis consuetudo dicere aliquid in alio esse; cum species fuerit, quæ in genere continetur, vt homo in animali, & hęc satis.

Tex. 31. Amplius autem vsque. Si autem idem.

IN præsenti contextu vltimas ponit annotationes Aristoteles, & primo in hac vndecima ostendit idem, quod supra, alia ratione quod diffinitio non est petitio, neque suppositio. dicit igitur. Amplius quod est, item, [petitio, & suppositio omnis,] vel quælibet petitio, & quælibet suppositio, [aut est sicut totum,] idest, vniuersale, [aut in parte.] i. particularis, [termini autem neutrum horum.] i. diffinitiones, nec vniuersales nec particulares, quasi dicat, quod omnis suppositio siue omnis petitio est propositio vniuersalis, vel particularis: at diffinitio non est neque vniuersalis neque particularis propositio. Duodecima annotatio est, quia mentionem fecerat de vniuersali, scilicet, quod demonstratio ex vniuersalibus est. ideo in hac vult ostendere quomodo sit necessarium demonstratori. d. ergo. [Species quidem,] idest, Ideas [igitur esse,] non oportet ponere: [aut esse vnum aliquid extra multa, non necesse est esse, si demonstratio erit,] quasi dicat, quod propter hoc nō oportet ponere Ideas, siue species, esse quoddam separatum a multis singularibus, quod erit vniuersale: & nō est necesse esse ad hoc quod demonstratio sit, quod est aperte dicere, frustra sunt species, & vniuersalia quæ ab aliquibus ponuntur: quia talia sunt frustra, ad scientiam, eo quod absque illis potest demonstratio, & scientia esse. licet enim vniuersale non sit necesse esse aliquod separatum a multis siue a suis singularibus, vt illi volebant; [tamen necesse est dicere esse unū de multis,] idest quod sit prædicabile vnū de multis. illi philosophi volebant hanc vniuersalitatem animal, homo, equus, siue animalitas, humanitas, ęquinitas, esse quoddam vniuersale separatum à suis realiter indiuiduis, & dicebant hanc vniuersalitatem esse necessariā ad demonstrationem, & ad scientiam. omnes ferè expositores attribuunt hanc sententiam Platoni cum ipsomet Philosopho: sed hoc falsum est, vt potest videri in commentarijs apud Ticium in philebo, cap. 26. & apud Carpentarium super Alcinoum. Igitur sine vniuersali, vt illi posuerūt potest esse demonstratio: sed sine vniuersali, quod est vnum prædicabile de multis non potest esse remedium demonstrationis: igitur nec demonstratio, & hoc est quod dicit. d. [Non enim erit vniuersale nisi hoc sit.] i. non erit vniuersale nisi sit hoc particulare, & illud, vel tale vnum prædicabile de multis. [Si vero vniuersale non sit, mediū non erit,] demonstrationis, [quare neq; demonstra-

monstratio.] [Oportet itaque aliquod vnum, & idem de pluribus esse non æquiuocum.] i. igitur oportet quod in demonstratione sit aliquod vnum, & idem vniuersale, & secundum ratione͂ vnam, quod prædicetur de pluribus, sed non æquiuoce. cum igitur sit hæc vniuersalis ratio, quod prædicetur de pluribus non æquiuoce, oportet esse tale, ut sit medium in demonstratione. Tertiadecima est. cum ostendit qualiter se habeant scientiæ circa principia communia. quo ad propria vero in sequenti capitulo. d. igitur. quod nulla demonstratio oste͂siua, secundum vna͂ expositionem, assumit hoc principiu͂, [non contingere, vel non co͂tingit ide͂ affirmare simul, & negare: neque vna recipit demonstratio,] quasi dicat, qđ nulla demo͂stratio, vt dixi accipit hoc. si enim aliqua demonstratio eo vteretur ad ostendendum aliquam conclusionem: oporteret quod sic eo vteretur quod acciperet primum. i. maiorem extremitatem affirmari de medio, & non negari. vnde dicit. [Sed] sup. recipit hoc principium [si indigeat monstrare conclusionem sic.] declarat hoc dicens. [ostenditur autem sic accipientibus primum de medio quod verum, negare autem non uerum: medium autem nihil differt esse, & non esse accipere. Similiter aute͂, & tertium,] quasi dicat, quod ostenditur, sic accipientib. aut si demonstratio ostensiua uteretur hoc principio, aut esset ex parte maioris extremitatis sic arguendo, omnis homo est animal, & no͂ est no͂ animal. Calias est homo, igitur calias est animal, & non est non animal. Vbi patet quod maior extremitas sumitur negatiue, & affirmatiue, aut esset ex parte medij in maiori propositione, vel minoris in minori. Sed nullum illorum dicendum est, quia negatio ipsa cum affirmatione nil facit quo ad ueritatem, & si uirtute præmissarum aliquid faciat ad inferendum talem, uel talem conclusionem, uel construe sic, ostenditur siue monstratur conclusio sic accipientibus. s. si primum accipiunt. i. illam primam dignitate͂ de medio quoniam affirmare uerum sit, non sit aute͂ uerum negare, & nil differt seu refert medium esse, & non sumere, similiter autem & tertium terminum. ideo subdit [si enim assignetur de aliquo, hominem, uerum est dicere:] idest si dicatur uel ponatur hominem animal, & est uerum dicere: [& si non hominem uerum.] licet sit uerum dicere non hominem esse animal: tamen [si solum hominem animal: omne,] idest vniuersaliter [non animal autem, non,] quasi dicat, quoniam si assignetur medium homo, & hominem de aliquo: reuera est affirmare, & sumitur medium esse, & si sumatur medium non homo, de aliquo etiam uerum est affirmare; & sumitur non esse. sed si solum hominem mediu͂ sumimus: uerum est hominem, id totu͂ esse animal, & non esse non animal, quia [erit uerum dicere caliam, siue non caliam esse animal: non animal autem, no͂;] verum erit dicere, quasi dicat, quod erit ita de tertio termino. quoniam si sumetur caliam esse hominem: reuera est affirmare, & sumetur tertius terminus esse, & si non calliam esse hominem, etiam uerum est affirmare: & sumetur non esse. ueruntame͂ siue callias sumatur, siue non [callias animal esse, sed non esse non animal, oportet. causam dicti assignat dicens. [causa autem est,] quod non oportet addere affirmatiuum, & negatiuum ad medium, [quod] siue, quia, [primu͂] siue maior extremitas dicitur [non solum de medio, sed de alio] prędicatur: [propter id quod de pluribus,] idest, quia de pluribus prędicatur, quam medium, uel propter id quod oportet maiorem extremitatem esse in plus quam medium. [quare] oportet, hoc

posito

posito quod maior extremitas sit in plusquam in medium; [neque si medium,& idem est,& non idem] vel neque si medium secundum affirmationem,& negationem,accipiatur; [nihil differt ad conclusionem,] colligendã siue sic inferendam. quod est dicere; sufficit addere affirmatiuum, & negatiuum ad maiorem extremitatem;non autem oportet quod addatur ad medium, sed si solum medium est in minus,quam maior extremitas, vel minor extremitas sit in minus, quam medium, ad conclusionem sic inferendã nihil differt. Decimaquarta annotatio est ista, cum ostendit demonstrationẽ indigere hoc principio. dicens. [commune autẽ affirmare,aut negare, quæ est ad impossibile demonstratio, accipit:] idest demonstratio, quæ est ad impossibile, indiget hoc communi principio. omne ens contingit affirmare, aut negare,[& hoc neque semper vniuersaliter, sed quantum sufficiens est, sufficiens autem est in genere:dico autẽ in genere, vt circa quod genus demonstrationes fert: sicut dictum est prius,] idest, & hoc principium non semper accipit in sua vniuersitate, vel communitate, sed accipit inquantum requirit genus sui subiecti. Dico autẽ, vel intelligo per genus subiectum circa quod fiunt demonstrationes: vt dicebatur prius. sed quid dicebatur? q̃ sufficit de huiusmodi principijs communibus, accipere tantum quantum requirit genus subiecti circa quod fiunt demonstrationes, ut iteram repetam.Ostendit deinde in hac vltima annotatione scientias indigere, vel communicare in principijs communibus, dicens. [Communicant autem omnes scientię secundum cõmunia:] vel scientiæ communicant.i.conueniunt in cõmunibus principijs. [communiã autẽ dico, quibus vtuntur tanquam ex eis demonstrantes, sed non ex quibus demonstrant,neque quod demonstrant,] quasi dicat, illa dico communia quib. vtuntur scientiæ omnes tanquam ex eis aliquid demonstrantes: non sunt tamen demonstrantes ex eis. sed in ijsce non communicant ad inuicem scientiæ,ex quibus tãquam de subiectis demonstrant; neque in eo quod demonstrant,vel neque vt ab eis demonstrantur tanquam passiones, aut conclusiones demonstrationis.Deinde subdit.d. [Et dialectica quidem de omnibus,] supple principijs,potest probationem facere, [& si aliqua vniuersaliter tentet mõstrare communia,] vel si aliqua hoc idem facere probationem tentet, vt metaphisica, quæ vtitur principijs cõmunibus, cuiusmodi sunt [vt quod est affirmare omne, aut negare, aut q̃ est æqualia ab æqualib. demere,aut talium quælib.t.] Hoc est dicere, quod dialectica, & metaphisica habent viã, & modum ad probandum huiusmodi principia communia, qualia sunt; de quolibet verum est affirmare aut negare. si ab æqualib. ãs æqualia demas quæ remanent sunt æqualia: & quæcunque sunt huiusmodi. [Sed dialectica nõ est definitorum sic quorundam,] idest dialectica non est alicuius definiti ac determinati generis: [neque generis alicuius vnius,] neque alicuius vnius, quia si esset determinati generis [non interrogaret:] ratio autem quare non interrogaret,est, quod [demonstrantẽ non est.i. non contingit interrogare: propter id quod oppositorum esse nõ monstrat idem.] i.non interrogat propter id, quod idem demonstrator non demonstrat esse oppositorum,eo quod non habet opposita, vt dialecticus,vel dic sic, quoniam non probat opposita de eodem vtranque partem contradictionis [Ostensum autem est hoc in ijs quæ sunt de syllogismo.] idest in libris priorum. ubi circa principium inquit, quod dialectica procedit per hanc viã

&

& per quædam probabilia, quæ habēt vtranque partem probandam. hic autē sunt quædam notanda, & primo circa vndecimam annotationem, quod vniuersale dupliciter accipitur, vt facit ad rem. Primo modo pro eo, quod alteri competit per se, & secundum quod ipsum qualiter passio conuertibilis cū suo subiecto, est vniuersale subiecti, eodemque modo, diffinitio conuertibilis cum diffinito, est uniuersale diffinitio. Secundo modo accipitur pro propositione vniuersali: sic accipitur in proposito, tale uero vniuersale non est diffinitio. ideo non ualet diffinitio prædicatur. uniuersaliter de diffinito ergo. circa duodecimam notandum, quod in omni syllogismo demonstratiuo aliqua præmissarum est uniuersalis. Hoc enim requiritur ex natura syllogismi, ut syllogismus. cum ergo in vtraq; præmissarum ponatur mediū; sequitur, quod medinm in qualibet demōstratione sumitur vniuersaliter. quare non solum ex natura demōstrationis, sed etiam syllogismi, ut est demonstratio, & ut syllogismus. idcirco concludit Philosophus quod si non esset uniuersale non esset medium in demonstratione. circa decimamtertiam nota, quod demonstratio ostensiua nō assumit hoc principium. s. quod non contingit simul affirmare, & negare in sua totalitate: licet possit assumere aliquo modo: eo quod non indiget eo sub hac forma. sed potest demonstratio inducere ad impossibile. quoniam potest euenire, ut aliquis neget mihi veritatē tunc duco ad hoc impossibile, qđ hoc principium. s. quod non contingit simul affirmare, & negare, non sit verū. circa decimamquartam notatione est dignum quod aliqua sciētia vti potest in sua vniuersalitate sumpto principio communissimo: propterea quod subiecti sui limites non transcendit, ut metaphisica, quod est ens. Speciales vero scientiæ ad certā naturam ipsum contrahunt. quemadmodum sua subiecta sunt determinate contracta. ideo dixit [sed hoc non semper vniuersaliter.] Circa vltimam est notandum qđ dialectica aliter versatur circa cōmunia principia, & aliter metaphisica. item notandum secundum Egid. quod aliqua scientia potest se habere circa principia tripliciter, scilicet, probando aliquid per ipsa. probando ipsa, & probando aliquid de ipsis. per ipsa aliquid probare, omnes scientiæ conueniunt, quia accipiunt huiusmodi communia: & probant aliquid per ipsa. sed probare ipsa, & probare aliquid de ipsis principijs: scientiæ communes differunt a scientijs specialibus: quia speciales nō possunt probare ipsa principia, nec aliquid de ipsis principijs. Metaphisica vero probat ipsa secundū quod est possibile, & probat aliquid de principijs. probat nanque quod non possumus talibus principijs dissentire corde, & quod non possumus mente concipere opposita eorum, & hæc satis pro præsenti capitulo.

Tex. 32. Si autem vsque quoniam autem. Cap. IX.

IN præsenti capitulo ostendit Aristoteles qualiter se habeant sciētiæ, circa principia propria. continet autē in se tres conclusiones, septemque corrolaria, & tres quæstiones. cum dilutione. in præsenti contextu primam conclusionem, & quinque corrolaria ponit, quia igitur propriorum quædā spectant ad opponentem, & quædam ad respōdentē & quædā ad utrunq;: ad opponentē.n. spectat iterrogare, & ꝓponere ad rñdentem rñdere: ad vtrunque disputare. ideo Philosophus dare volens de vniuscuiusque scientiæ interrogatione: ostendit in qualibet sciētia esse proprias interrogationes, & quod sunt propriæ responsiones ac disputa-

ſputationes. vbi prius notãdum quod interrogatio, & propoſitio idem ſunt re, ratione vero differunt propoſitio multis nominibus decoratur.ſ.propoſitio,problema,enunciatio,concluſio, interrogatio, cum aduerſario reſpondere poſſumus, vel affirmatiuè,vel negatiuè tunc dicitur problema, cum vero affirmatiuè ſolum, aut negatiuè ſolum,dicitur Theorema. propoſitio dicitur quatenus per illam aliquid proponimus. dicitur concluſio quatenus probatur.interrogatio, vt interrogat. enunciatio vt verum,vel falſum enunciat.Dicit igitur. quælibet ſcientia habet proprias interrogationes ex proprijs terminis illius ſcientiæ, & probat,dicens quia [ſi idem eſt interrogatio ſyllogiſtica,] ideſt, quæ eſt ad vtrãque partem contradictionis, [&] ſi eſt idem [propoſitio contradictionis.] i. propoſitio alteram partem accipiens, [propoſitiones autem] tunc [ſunt] ꝓprie [ſecundum vnamquamque ſcientiam,ex quibus eſt ſyllogiſmus,] quaſi dicat, idem eſt interrogatio ſyllogiſtica,& propoſitio contradictionis: at in vnaquaq; ſcientia propoſitiones ſunt ex his,ex quibus fit ſyllogiſmus in eadem ſcientia. igitur interrogationes ſunt ex his in qualibet ſcientia,ex quibus fit ſyllogiſmus in eadem ſcientia. ideo dicit [ſecundum vnamquamque] ſupple ſcientiam,[erunt vtique aliquę interrogationes ſcientiales,] proprie, [ex quibus] interrogationibus ſcibilibus,[qui eſt ſecundum vnamquamque fit proprius ſyllogiſmus.] igitur proprię interrogationes ſunt in vnaquaq; ſcientia ex his, ex quibus fit proprius ſyllogiſmus in eadem ſcientia. primi corrolarium ponit.d.[manifeſtum itaque] eſt, [quod omnis interrogatio nõ erit geometrica,neque erit medicinalis: ſimiliter autem & in alijs:] ſupple ſcientijs ſe habet.quod non omnis interrogatio eſt cuiuſlibet diſciplinæ.nõ ſunt igitur omnes propoſitiones geometricæ [ſed] dicuntur illæ geometricæ [aut ex quibus monſtratur de quib. eſt geometrica.] i. ex quibus propoſitionibus oſtenditur aliquid in geometria, [aut] ſunt propoſitiones geometricæ [quod ex eiſdem monſtratur.] i. id quod oſtenditur ex eiſdem propoſitionibus geometricæ ſunt: [vt viſibilia:] i. vt propoſitiones ex quibus demonſtratur quod ſuper datam lineam contingit collocare triangulum æquilaterum. [Similiter autem & in alijs,] ſcientijs idem dicatur.Secundum corrolarium eſt, cum. d. [Et de ijs] manifeſtum eſt interrogationibus geometricis [quidem, & rationem ponendã eſſe ex geometricis principijs, & concluſionibus:] ideſt quod ponenda eſt ratio ſiue veritas ipſarum interrogationum,ex principijs,& concluſionib. geometrię.[Sed principiorum rationẽ non ponendam eſſe geometræ, ſecundum quod eſt geometra: ſimiliter autẽ & in alijs ſcientijs.] i.ſed non debet aſſignari ratio, vel veritas a geometra, ſecundum quod geometra, principiorum geometriæ, vel ratio principiorũ geometriæ non debet ab ipſo aſſignari ſecundum quod eſt geometra. ſimiliter eſt dicendum de alijs ſcientijs,eo quod nulla ſcientia probat ſua principia. Tertium corrolarium deinde ponit. d. [neque omne eſt vtique vnumquemque ſcientem interrogandũ, neq; ſecundum omne interrogatum eſſe reſpondendum de vnoquoque:] i.quia ſicut ſcientia habet proprias interrogationes,ſic habet & reſponſiones.igitur neque interrogandum ſcientem cõtingit de omni, vel circa omne.neque interrogatum circa omne,debet ſecundum omne reſpondere.[Sed]debet interrogare,& reſpondere,iuxta ea[quæ ſunt ſecundum ſcientiam determinata,] quia ſi geometra eſt interrogatus de circunferentia, ſi rectè lineæ congruant

gruant

gruant nec ne: oportet respondere, nō sunt geometricæ interrogationes. non est ergo ad omne respondendū. Quartum corrolarium est. [Si autem disputet] geometra [cum geometra, secundum quod est geometra:] tunc, [manifestum est quod sic] geometrice arguē do, [& bene, si demonstret aliquid ex ijs:] idest si de proprijs geometriæ, inter se disceptabunt. [Si vero non] geometricè arguēt, vel si de proprijs principijs geometriæ, non disputabunt, vel interrogabunt, ac respondebunt, [non bene,] eo quod non agunt geometricè. [manifestum autem est, quod non arguit geometram, sed aut secundum accidens,] quasi dicat, manifestum est quod non recte facit disputando cum geometra non geometrice: sed si arguit aliquid, aut non bene, aut est hoc secundum accidens, non autem proprie, & per se. Quintum corrolarium ponit: cum. d. [Quare non vtique erit in non geometricis disputandum de geometria.] ne similes simus, aut ne de nobis dicatur illud adagium. ne sutor vltra crepidam. [latebit enim] tūc [praue disputans,] idest non poterit cognosci quis, si recte ac praue disputet, in tali disceptatione. [Similiter autem, & in alijs scientijs se habet.] quēadmodum dictum est de geometria. concludamus ergo, quod in vnaquaq; scientia sunt propriæ interrogationes, & responsiones. iuxta consuetudinem hic sunt quædam notanda, & primo ad conclusionem, quod interrogatio syllogistica est proprie de cōclusione, & ad utranque partem est contradictionis: sed propositio demonstratiua est determinate ad alteram partē contradictionis. Secundo notādum quod propositio, conclusio, interrogatio idem. dicitur interrogatio aliqua oratio, cū sub forma dubitationis proponitur, propositio vt pmissa syllogismi: cōclusio, vt p syllogismū cōcludit, vt si q̄ratur num oīs homo sit capax disciplinę, hæc oratio est interrogatio, cum verò probatur arguendo hoc pacto, omne animal rationale est capax disciplinæ, omnis homo est animal rationale: omnis igitur homo est capax disciplinæ. hæc oratio dicitur conclusio, dicitur præmissa quasi pro alio posítio vt omnis homo est capax disciplinæ: Plato est homo. igitur, &c. item notandum quod dialecticus permittit aduersario quam velit partem: sciētificus vero nō, & in plus se habet interrogatio, quam interrogatio scibilis, item cum dicitur vtrum homo sit disciplinabilis, vel nō, illa propositio: homo est disciplinabilis est propositio contradictionis.

Tex. 33. Quoniam autem vsq; Non oportet.

TRes quæstiones in præsenti contentu ponit Aristoteles, & dilutionē, dicit igitur (& est prima q̄stio) [Quoniam sunt geometricæ interrogationes, non ne sunt & non geometricę?] idest cum sint quędam interrogationes geometrice, vt sunt quæ ex principijs geometricis concluduntur, nunquid aliæ sint quæ geometricæ non sint? secūda est, [& quæ sunt secundum vnamquanq; scientiam & quæ secūdum ignorantiam qualis geometrica est?] idest, propositiones quælibet secundum quā libet scientiam, & illæ propositiones quæ sunt secundum ignorantiam: qualis est harum geometricæ, quasi, dicat num quæcunque propositiones secundum unamquanq; scientiam, & secundum ignorantiam. s. propositiones secundum ignorantiam geometriæ, debent dici geometticæ, aut non? tertia quæstio est. [Et vtrum qui secundum ignorātiam syllogismus, qui est ex oppositis syllogismus, an paralogismus?] idest vtrum syllogismus qui fit ex his

quæ

quæ opponuntur principijs, sit dicẽdus syllogismus an paralogismus? vel, sit dicendus syllogismus secundum igno rantiam; an paralogismus? solutio primæ est talis: [secundum geometriam autem, aut ex alia arte vt musica, est in terrogatio non geometrica,] quasi di cat non sunt interrogationes musices, secundum geometriam, aut interroga tiones quæ fiũt in alia arte, puta ex mu sica, non sunt geometricæ, sed musicæ, ut vtrum septima ingrediatur compositionem, & cui inherere debeat: hæc est omnino non geometrica. Solutio se cundæ hæc est. [De geometria autem, vt ad inuicem paralellas concurrere opinari, geometrica quodammodo est, & non geometrica alio modo,] i. ex geometria vero, vt si quis arbitretur li neas paralellas concurrere: quoniam paralellas concurrere quodammodo geometricum est & nõ geometricum, [dupliciter enim hoc est,] idest dupli citer est non geometricum, [sicut] est dupliciter [arithmon.] idest inconsonans: namq; alterum est in non consonando, & alterum in praue consonando. declarat se.d. [alterum quidem nõ geometricum est in non habendo, alte rum vero in praue habendo,] idest vno modo, quod sit interrogatio ex terminis non geometricis, puta si esset musica, & hoc modo dicitur non geometrica. alio modo dicitur nõ geometrica, quia est quidem ex terminis geometricis, sed praue compositis, ut ista: lineæ para lellæ concurrunt, [& ignorantia hæc,] i. & interrogatio secundũ ignorantiam,] quæ est ex eius principijs,] praue dispositis ac ordinatis, [contraria est.] i. est contraria uero, & scientię geometricæ: quæ est ex bene ordinatis terminis. Solutio tertiæ quæstionis est. [In doctrinis autem,] vel in scientijs doctrinalibus, vel demonstratiuis. [non est similiter paralogismus.] i. nõ contingit, aut non fit paralogismus, ut fit in dialecticis, [quia] in scientijs demonstratiuis idem [medium] semper est dupliciter,] uel semper bis sumitur. [etenim de hoc omni.] i. quia de omni medio prædicatur maior extremitas, [& iterum hoc] medium, [dicitur de alio omni,] idest prædicatur de omni minori extremitate, & est bis summi quoniam semper comparatur ad maiorem, & minorem extremitatẽ, [quod autem prædicatur non dicitur omne, quasi dicat, quod prædicatum non debet assumi cum signo vniuersali. deinde subdit. [Hæc autem] supple scientiæ doctrinales, siue demonstratiuæ, [sunt in intellectu, ut est uidere,] idest offerunt se intellectui, ut ueræ res, uel sic cum Philopono, uidere hęc, siue hos terminos in doctrinis. non est similiter paralogismus, propter medij termini duplicitatem. quoniam unusquisque terminus diffinitus in doctrinis, est sicuti demonstratio. [sed in ora tionibus latet,] idest in dialecticis latent nomina, eo quòd non sunt diffinita. [utrum omnis circulus figura sit: si scribatur autem manifestum est. Quid autem sint ne carmina circulus? manifestum quoniam nõ sunt,] idest si quis interrogaret aliquem geometram, an omnis circulus sit figura; statim respõ debit quod sic. describens ipsum, aut in intellectu, aut in abaco, & si rursus interrogaret ipsum, sunt ne carmina circulus; minime dicet: ne possit concludere aduersarius, & dicere, ergo carmina sunt figura. Carmina circulũ uocat Aristoteles, ea quæ cõfecta sunt nõ ut dictionem finalem primi uersus principium secundi consequatur: & finalem secundi. principium tertij, & de reliquis: sed ut possit idem uersus, & principium, & finis fieri. est notatione dignum, quod scientiæ demonstratiuæ dicuntur doctrinales, eo quòd magis docent, quam non demonstratiuę. Phi loponus uero per doctrinales mathe-

maticas intellexit, & Linconienſis, & Egid. dicunturque huiuſmodi propterea quod maxime docent, & abſque formidine. Item notandum quod ſignũ uniuerſale non ponitur ad prædicatũ, eo quod ordo ſyllogiſticus hoc nõ poſtulat, uel quia ut quidam uolunt, prędicatum ſe habet ut forma, ſubiectum uero ut materia, ſed materia diuidi poteſt, quod non poteſt forma. tu quod uis capias.

Tex. 34. Non oportet vſque. Contingit autem.

SExtum corrolarium ponit Ariſtoteles. dicens non adduci inſtantiam contra demonſtratorem inductiuam, quemadmodum fit in dialecticis. dicit igitur. [non oportet autem inſtantiam inferre in ipſum, ſupple, demonſtratorem, ſi ſit propoſitio inductiua,] ideſt, particularis, [quæ] propoſitio [non eſt in pluribus; non enim erit in omnib.] quaſi dicat, ſi propoſitiones doctrinales debent eſſe in pluribus, & propoſitio inductiua non eſt in pluribus: igitur propoſitiones, & inſtantiæ doctrinales ſunt in pluribus, non autem in particularibus. [Ex uniuerſalibus autem ſyllogiſmus manifeſtum eſt, qđ neque inſtantia eſt:] ideſt doctrinalis ſyllogiſm° eſt ex uniuerſalib. & eſt manifeſtum quod nõ eſt ibi inſtantia particularis, ideſt in doctrinalibus, quoniam ſunt uniuerſales propoſitiones. [eædẽ enim ſunt propoſitiones, & inſtantiæ:] ideſt eædem enim enunciationes ſunt propoſitiones, & inſtantię, quia [quam fert inſtantiam] quis aduerſario, [hæc fiet utique propoſitio demonſtratiua, aut dialectica,] ideſt iſta inſtantia fiet propoſitio demonſtratiua in ſcientijs, aut dialectica in problematibus. igitur bene fuit dictũ, quod inſtantia in ſcientijs eſt uniuerſalis, non autem particularis. Vbi notandum eſt, quod ſicut interrogatio, & propoſitio ſunt unum & idem: ſic inſtantia & propoſitio, licet ratione differant, dicitur nanq; propoſitio pro quanto poteſt eſſe præmiſſa alicuius ſyllogiſmi, dicitur vero inſtantia, quia tanquam oppoſitum alicuius præmiſſarũ ſumitur, ad oſtendendum concluſionẽ non vere inferri ex præmiſſis: & tales inſtantiæ ſunt vniuerſales in ſciẽtijs de monſtratiuis. In dialecticis poteſt eſſe inſtantia particularis, cum ſuæ vniuerſales p inductionem vt plurimum probentur, & a ſigno, aut per ea quæ ſunt ſecundum accidens, in alijs ſcientijs, quam mathematicis cõtingere poteſt, dubitare poteſt quis quare in ſcientijs demonſtratiuis non contingit inſtare particulariter. R. Egidius, quia in talibus ſunt magis notæ cauſæ quam effectus, & vbi ſunt magis noti effectus vt in naturalibus, contingit aliquãdo procedere ex ſignis & ex his quæ ſunt per accidens, talia autem non ſemper ſunt de omni, & vniuerſaliter, vt hic debemus vniuerſaliter ſumere.

Tex. 34. Contingit autem vſque Conuertuntur.

HAEc eſt ſecunda concluſio, cum ſeptimo & vltimo corrolario, quã ponit Ariſtoteles in præſentia, dicens quod aliquando contingit ex præmiſſis acceptis, non debite ſyllogiſtice inferri concluſionem, quemadmodum, fit, cum accipitur medium quod affirmatiuè prædicatur tam de maiori quã de minori extremitate: quia tunc ex puris affirmatiuis arguitur: d, igitur, [contingit autem quoſdam non ſyllogiſtice dicere, ſiue ſyllogizare, propter id. i.

propter

propter mediū, quod accipiunt vtriusque consequentia,] idest quod inhæret affirmatiuè & maiori & minori extremitate, vel dicas sic, ꝓpter id quod ex vtrisq; affirmatiuis arguunt in secunda figura, [& vt Cęneus facit, quod ignis in multiplicata analogia fit, & nanque ignis cito generatur, sicut dicit: & hæc est analogia,] hoc est argumentum Cęnei philosophi, qui sic arguebatur, id quod cito fer. i. generatur multiplicata analogia, idest proportione, generatur cito: ignis generat cito: (& est hæc minor,) ergo ignis generatur siue fit in multiplicata proportione, & hæc analogia, idest proportio, scilicet, id quod cito generatur, & patet de medio quod dictum est ideo [sic] arguere [non est syllogismus] [sed si uelocissima analogia sequitur multiplicata,] idest sed si multiplicata proportio sequitur celerrimam generationem, [& ignem in velocissima mutatione analogia.] i. & celerrima generatio ignem sequitur: multiplicata proportio sequitur hoc pacto, quasi dicat, quod si conuertamus terminos maioris propositionis, & dicamus quod multiplicata ꝓportio sequitur celerrimæ generationi, tunc fiunt in prima figura duæ affirmatiuæ, & oratio est ad velocissimam, [& ignem velocissima in mutatione analogia,] quod est dicere, ignem celerime moueri, quod est minor propositio. Ponit vltimum corrolarium nempe quomodo contingant, & quomodo non contingat. d. [aliquando quidem igitur syllog..are non cōtingit ex acceptis,] idest ex talib. præmissis in secunda figura non infertur conclusio, [aliquando vero contingit,] videlicet cum arguitur ex terminis conuertibilibus, [sed non videtur,] idest, non tamen apparet syllogismum esse., propterea quod non sequitur, vel nō seruatur debita forma syllogistica, in illo. non igitur contingit ex puris affirmatiuis in secunda figura. [Si autem esset impossibile ex falsis] propositionibus [uerum,] vel conclusionem [monstrare,] & facile esset utique resoluere, scilicet, cōclusionem sine deceptione in sua principia: & conclusio conuerteretur cum præmissis: quantū ad uerum, & falsum. Hæc est differentia inter demonstratiuos syllogismos, & dialecticos, quoniam in demonstrationibus facilior est resolutio, quam in dialecticis, quare ergo si esset impossibile demonstrare uerum ex falsis, ita vt sint demonstrationes ex veris solis, facile esset resoluere conclusionem ad propositiones, & causa est, quia cōuertuntur ex necessitate, a propositionib. ad conclusionem, & econuerso a conclusione ad propositiones, quia propositiones tales sunt determinatę. sed in dialecticis non, ideo potest ex falsis verum concludere. igitur erit facilior resolutio hic, quam ibi in dialecticis, eo quod non est impossibile concludere verum ex falsis. Ponit exemplum. d. [sit enim a, ens:] idest sit hæc conclusio a, ens, probatum ac conclusum p b, hoc autem cum sit, ea vtique sunt quæ noui quoniam sunt, ut b, ex his igitur monstrabo quoniam illud est,] quasi dicat, hoc a, cum sit, ea sunt quæ noui. i. præmissæ, quæ sunt mihi notæ, vt b, per quod cōclusum est a, dico quod ex his præmissis monstrabo quoniam est cōclusio a, & sic non continget deceptionem fieri, vbi notandum est, quod in demonstrationibus est conuertibilitas præmissarum ad conclusionē, & econtra, ita vt si præmissæ sunt ueræ, & conclusio quoque, & econtra. quoniam ibi ex falsis non potest sequi verum. ideo non possumus decipi in doctrinalibus arguendo ex affirmatiuis in secunda figura. sed in dialecticis non contingit sic.

Tex. 35. Conuertuntur vsque sed quia differt.

TErtiam, & vltimam conclusionē ponit: in qua ostendit, quod in scientijs demonstratiuis, & præsertim, in mathematicis, præmissę, & conclusio magis ad inuicem assumuntur, quā in dialecticis. ideo. d. [conuertuntur magis quæ sunt in mathematicis, quoniam nullum recipiunt accidens, (& in hoc differunt ab ijs, quæ sunt in dialigis,) sed diffinitiones,] quod est aperte dicere, quod mathematicæ magis arguunt in terminis conuertibilibus, eo quòd ea quæ per se sunt recipiunt, & non ea quæ sunt per accidens; cum non habeant, & in hoc differunt a dialecticis, quæ sæpe assumūt propositiones, quæ sunt per accidens, & non ad inuicem conuertibiles. sed demōstratiuæ scientiæ pro medio diffinitiones sæpe assumunt, quæ quidem diffinitiones conuertuntur cum suis diffinitis. igitur, &c. declarat demōstratiuas has cum d. [augentur autem,] supple demonstrationes [non in latus, ut a, de c, & de e, ut est numerus quantus, uel infinitus,] quasi dicat, isto modo in infinitum non procedunt demonstrationes, quod est dicere demonstrationes posse augeri assumendo, aut in latus, aut in post, ut accipiendo subiectum sub subiecto, aut subiectum post subiectum, aut passionem post passionem, vtputa si hæc passio habere tres, quod primo inest triangulo, probetur de isoscele, & de alio inferiori ad isoscelem si inueniatur, & sic in omnibus: tunc hæc passio habere tres dicetur de omnib. istis, vnde dicit, si a, dicitur de b, habere tres, de b, uel de triangulo, & b, de c, idest, & triangulus de isoscele, & c, de d, idest isosceles de illo, qui est semicirculo, & sic in alijs, hæc passio habere tres dicet de omnibus. deinde exponit de numero. d. [Hoc autem in quo sit a, numerus impar quantus, in quo b, numerus impar in quo c, est, & itaque a, de c, & est par quantus numerus in quo sit d, par numerus in quo est e, est ergo a, de e,] quasi dicat, ista passio infinitus, & finitus, quæ debet probari de numero quanto, sit, uel intelligatur per hanc literam a, & impar numerus quantus in quo est b, uel intelligatur per b, impar uero numerus intelligatur per c, est & itaque a, de c, vel probatum est a, de c, vult deinde probare a, de e, dicens: sit igitur par quantus numerus in quo est d, siue intellligatur per literam d, & par numerus intelligatur per e, erit ergo a, de e, quasi dicat, quod par numerus est quantus: & quantus quod de pari prædicatur per, d, intelligatur, est ergo quantus in quo, d, par numerus in quo est e, est ergo a, de e, uariat terminus, nanque prius intellexit quantus per b, nunc vero per d, quod credo fecisse obscuratis causa, ut munus suum est. patet ergo, quod demonstrationes nō multiplicantur, eo quod ad eandem conclusionem adducantur plura media demonstratiua. sed ad unam conclusionem vnum tātum adducitur medium. in dialecticis uero non contingit sic, sed in ifinitū possunt multiplicari conclusiones. augentur igitur in latus demonstrationes sumendo plures minores extremitates sub medio, vel sub minori, & hęc satis sint pro præsenti capitulo.

Tex. 36. sed quia differt, vsq; Possibile. Cap. X.

HAbet hoc caput Aristotelis sex cōclusiones, in his sex context. in quibus agit de demonstratione quid & quia, & de eius speciebus, ac differentijs, & primo in hac prima conclusione

ne ostendit quod inter scire quid, & quia, duplex datur differentia, dicit igitur, [sed quia differt, & propter quid scire:] idest sed scire quia, a scire propter quid differt, [primum in eadem scientia; & in hac dupliciter,] idest sed, (& ista particula, sed, in eo iudicio hic ponẽda est, quod sic sit sensus,) sed differt primum in eadem scientia, scilicet in demonstratiua, & in hac scientia demonstratiua differt dupliciter, [vno quidem modo si nõ per immediata fiat syllogismus,] idest cum non sumitur causa immediata in syllogismo, [non enim accipitur prima causa;] uel causa propria, siue immediata, quando nõ fit ita syllogismus,] sed vel quia, illa [quæ est sciẽtia propter quid,] vel propter causam, [est secundum primã causam:] siue propriam, non autem secũdum remotam, & hæc est prima differẽtia: sed scire quia per causam remotam aut ab effectu ad causam, aut per causã nõ primam & immediatam. [Alio modo,] quia, differt a propter quid, [si per immediata quidem, sed non per causã, sed per conuertentia, & per notius:]. i. alio modo scimus quidem per immediata, & proxima, sed non per causam scimus; sed per effectum conuertibilẽ tamen cum sua causa, & notiorem illa causa. [prohibet enim nihil æquè prædicantium, notius aliquando esse non causa:] idest non enim est inconueniẽs, conuertibilium, quorum vnum est effectus, & alterum est causa, aliquando esse nobis notiorem effectum, quam ipsa causa, vt puta cum fumum video dico adesse ignem, [quare per hanc] vel per effectum quod est non causa erit demõstratio causæ, declarat deinde per exẽpla dicens, [vt quod prope sint planetæ, per illud quod non scintillare:] q. d. quod fiet demonstratio, quia, si arguatur planetas esse prope, propterea qđ non scintillant. v. g. sic, omnis stella nõ scintillans est prope, planetæ non scintillant, ergo planetæ sunt prope, ponatur igitur in terminis [sit in quo c, planetæ] . i. planetę sit minor extremitas accepta per hanc literam c, [in quo b, non scintillare,] idest, & medius terminus sit non scintillare, acceptus per hanc literam b, [in quo a propè esse:] idest propè esse sit maior extremitas, [verum igitur est de c, b, dicere,] idest verum erit dicere b, idest non scintillare de c, idest de planetis, [planetę enim non scintillant:] quia planetæ non scintillant, & hæc est minor, [sed & a,] idest non scintillare, [de b,] idest de prope esse, prædicabitur [nõ scintillans enim propè esse,] idest quia non scintillare propè esse, supple contingit, & ideo non est causa non scintillare quod sint propè, sed potius e, contra, sic ordinari so let iste syllogismus, sit a prope esse, b, vero stella non scintillans, c, autem sint planetæ. & sic dicatur: omne b, est a, omne c, est b, ergo omne c, est a, illa vero propositio stella nõ scintillans est propè, fiet per inductionem aut per sensũ manifesta, quia forte esset hæc maior dubia ideo d. [hoc aũt] stella nõ scintillans est propè [accipitur per inductionem, aut per sensum:] quia argentum propè non scintillat, procul vero scintillat. pari ratione lucernarium lumen procul existens scintillat, propè vero non, igitur non scintillans propè est, & sic maior est manifesta, & ex sensibus perspicua similiter de alijs cur nõ scintillant? Respondet Philoponus, quia intuitus in longum tracti, debiliores efficiuntur, & idcirco magis patientes a lumine habent phãtaliam scintillationis, concessa igitur hæc [necesse ergo a ipsi c, inesse: quare demonstratum est quod planetæ propè sunt,] idest necesse est prope esse quod est a, inesse planetis quod est c, quare ergo erit demonstratum quod planetæ erunt propè pp id quod non scintillãt, deinde sub. [Hic ergo syllogismus nõ est propter quid,

sed

ſed quia:non enim ex eo quod nō ſcintillant propè ſunt,ſed propter illud qđ propè ſunt non ſcintillant,]quaſi dicat quod iſte ſyllogiſmus non eſt propter quid, ſed quia:nanque non ſcintillare non eſt cauſa de propè eſſe, ſed propè eſſe eſt cauſa de non ſcintillare;per inductionem ex ſenſibus deductam, ubi per illam dictionem planetæ,ſtellæ erraticæ dicitur,ſcintillare aliquod corpus intelligi poteſt duobus modis:vno modo verè,alio uero apparenter,uerè ut ignis verè ſcitillare dicitur:eo quod ab ipſo ſcintillæ fluunt, apparenter vt ſtellæ fixæ,cum ſint inuariabiles ſubſtātię,non poſſunt defluere ab eis ſcintillæ verè:tanquam ab igne vt partes ſuæ fluunt,ſed apparenter ut experientia patet.Notandum quoq; eſt quod apparenter ſcintillare contingit dupliciter uno modo propter nimia ſuæ lucis intenſionem,vt patet de ſole.Alio modo propter nimiam diſtantiam luminoſi corporis ab oculo,& hoc modo uidentur ſtellæ fixæ ſcintillare, tertio notandum eſt quod cum arguitur a cauſa ad effectum,debet argui a notis ſimpliciter,ſi uero ab effectu ad cauſam, tunc argui debet a notis ſecundum nos, & nota ſecundū nos ſunt per inductionem,& per ſenſum accepta, & quia in hoc ſyllogiſmo arguitur ab effectu, oportet ut maior extremitas ſit nota ſecundum nos:& ſit accepta per inductionem,& per ſenſum,eſt igitur quia, non autem quid.

Tex.37.Poſſibilę eſt autem, vſque.In quibus autem.

HAEc eſt ſecunda concluſio in qua docet Philoſophus vertere hanc demonſtrationē quia ad propter quid, quoniam ibi cauſa per effectum oſtēditur,hic uero e contra,dicens,[poſſibile autem eſt, & per alterum alterum monſtrare,] ideſt contingit fieri demōſtrationem,demōſtrando alteram per alterum ideſt effectum per cauſam,[& tunc erit demonſtratio propter quid,] oſtendit quoq; per eaſdem literas d,[vt ſit c,planetæ,]ideſt minor extremitas, [in quo b., propè eſſe]ideſt propè eſſe accipiatur vt medius terminus,[a non ſcintillare:] ideſt ſit a non ſcintillare maior extremitas:[eſt igitur b,] ideſt prope eſſe uel medius terminus[in c,] ideſt in planetis [quod eſt non ſcintillare:quare & in c,] ideſt in planetis ſuple eſt a,ideſt non ſcintillare, [&] ſic [erit ſyllogiſmus propter quid,] quia accepta eſt cauſa immediata, ſic dicatur,omne b,eſt a, c, eſt b, ergo c, eſt a, vel ſic omne quod prope eſt nō ſcintillat,planetæ propè ſunt,ergo planetę non ſcintillant. Aliud exemplum. [iterum demonſtrant, quodquidem circularis: ſit per incrementa:] ideſt, iterum per demonſtrationem, quia, demonſtrant lunam eſſe circularem propter incrementa, vt quia creſcit in lumine circulariter. d. enim [ſi quod augetur circulare quidem ſit,] ſupple figuræ circularis, [augetur autem ſic luna: manifeſtum igitur eſt, quod ſit circularis figuræ. [Sic igitur] ſyllogizando, aut demonſtrando de luna [factus eſt ſyllogiſmus,]ſiue facta eſt demonſtratio [ipſius quia] non autem quid.[econuerſo autem poſito medio ipſius propter quid ſit ſyllogiſmus,] quaſi dicat, ſi demonſtramus medium econtra, quemadmodum nunc demonſtrauimus circularem de luna propterea quod circulariter augmentatur, quod eſt demonſtratio, quia:modo dicamus lunam circulariter augumentari propter hoc, quod eſt figurę circularis ipſa luna: tunc erit demonſtratio propter quid, quia [non eſt circularis propter ipſius augumenta: ſed quia ipſa circularis eſt ideo accipit huiuſmodi augumenta,] & ſic erit perfecta demonſtra-

monſtrato a propria, & propinqua cauſa, non autem ab effectu, vt ſtat in primo ſyllogiſmo:ponit hoc in terminis.d.[luna ſit in quo c,in quo b,ſit augmentum,ſit in quo a,circulare.] i.ſit c, luna minor extremitas: augmẽtum b, ſit medius terminus:a circulare,ſit maior extremitas: & deinde ſic formetur ſyllogiſmus. Omne b,eſt a,omne c,eſt b, ergo omne c,eſt a, ideſt omne quod augmentatur in lumine circulariter eſt circulare ;luna augmentatur in lumine circulariter, ergo luna eſt circularis. pro quo loco facit illud dictum Auerrois in 3. de anima, omne quod in alio recipitur,in eo recipitur ſecundum naturam recipientis. ſimiliter Ariſtot.in prædicamentis quantam ſuperficiem eſſe dicis: tantam albedinẽ eſſe dices.ſi ſubſtãtia eſt figuræ circularis ſimiliter ſuum accidens.

Tex. 38. In quibus vſque alio autem modo.

Tertiam cõcluſionem ponit Ariſtoteles in præſentia,dicens poſſe fieri demonſtrationem, quia ex effectu non conuertibili. ponitque exemplũ per cauſam remotam:ordinans ipſam demonſtrationem in terminis. d. igitur. [In quibus autem] demonſtrationibus [media vel medij termini] non conuertuntur [cum ſuis cauſis. i. illi effectus, qui non conuertuntur cum ſuis cauſis, & eſt notius] effectus [qd] vel quam ſic [non eſt cauſa, quia monſtratur,] i. erit demonſtratio hæc quoque, quia, [ſed & propter quid,non.] non autem erit demonſtratio propter quid. deinde ſubdit. [amplius in quibus] demonſtrationibus [medium extra ponitur:] vel in quibus cauſa pro medio accipitur, & iſtud medium extra ponit, ſupple non ſit demonſtratio propter quid, ideo. d. [etenim in his non propter quid: ſed ipſius quia demonſtratio,]eſt: propterea quod [non dicitur cauſa:] in illis demonſtrationibus medium non eſt cauſa, vel propria,aut imediata, ut debet eſſe, verbi gratia, [ut propter quid non reſpirat paries,quia non eſt animal: ſi enim nõ reſpirandi cauſa eſt hoc, oportet eſſe animal cauſa reſpirandi.] ſiquis oſtendat parietem non reſpirare, eo quod non eſt animal, tunc non contingit demonſtrare propter quid,quia ſi non eſſe animal, eſſet cauſa immediata,& propria quod non reſpiret paries: contingeret tunc econtra, ut aliquid animal eſſe,eſſet cauſa reſpirationis : ſed hoc eſt falſum, quoniam piſces nõ reſpirant, & tamen ſunt animalia.ergo non eſt hæc cauſa immediata, & patet conſequentia, quia [ut ſi negatio eſt cauſa non eſſe,] econtra [affirmatio eſt cauſa ipſius eſſe,]utputa,vel [ſicut ſi ſine menſura eſſe calida, & frigida,] animalia nempe cum febricitant] eſt cauſa non ſanandi: [&] cum debita proportione ſiue [menſura, erit huius cauſa ſanandi,] eo quod videtur tunc homo ſe recte habere. [Similiter autem] econtra ſe habet [ſi affirmatio eſt cauſa ipſius eſſe, & negatio ipſius non eſſe.] Stantibus igitur his dicit ipſe quod [non contingit in his] demonſtrationibus,[quod dictum,]ideſt demonſtratio propter quid:[nõ enim omne animal reſpirat,] ideſt, quia omne animal non reſpirat, ſed aliqua animalia ſunt non reſpirantia, ut dixi. [ſyllogiſmus autem huius cauſę,] ſcilicet remotæ [eſt in media figura,ut ſit a,animal,] ideſt medius terminus [in quo b,reſpirare.] i. ſit maior extremitas reſpirare ,[in quo c, paries.] i. ſit hæc minor extremitas paries. [in quo b,quidem igitur omni,eſt a.] i. in omni quod reſpirat eſt animal. Nanque hæc eſt maior [omne reſpirans eſt animal:] [in c, autem nullo.] i. in nullo pariete

pariete inest animal, & est hæc minor. [quare neque b,in c.nullo est.] i.quare nec respirans,est in nullo pariete: [nõ igitur respirat [paries,] & hæc est con clusio. formetur sic syllogismus omne respirans est animal, paries non est animal, ergo paries non respirans est, aut hoc modo omne b,est a,nullum c, est a, igitur nullum c, est b, subdit demum [comparantur autem huiusmodi causæ,] scilicet remotæ a suis effectibus [secundum excellentiã dictis.] i.secundum transcendentiam. i. sunt causæ transcendentes, & remotæ,quia medium dicitur distare plurimum. ideo.d. [hoc autem,] scilicet sic syllogizare [est plurimum distans medium dicere,] & est dicere simul: quod demonstrare sic est accipere causam, quæ multum distat ab effectu, pro medio.[sicut enim est illud, qđ Anacharsidis:] syllogizauit, [quod in scythis non sunt sibilatores, neque enim uites,] quasi dicat, quod iste Philosoph⁹ arguebat, quod homines scythiæ non sibilant,eo quod non habent vites: sed non habere uites, est causa nimis remota. dicebat autem sic. vites sunt causa uini: vinum causa potationis.potatio gaudij causa, gaudium uero est causa sibilationis: igitur a primo ad vltimum vitis est causa sibilationis. epilogat.d. [secundum igitur eandẽ scientiam.]i.demonstratiuam,aut aliam de quauis loquatur demonstrator, [& secundum positionem mediorum,] terminorum; in eadem scientia consideratorum, [hæ sunt differentię ipsius, quia,ad eum syllogismum qui est propter quid:]nam,quia, demonstratio fit tribus istis modis,scilicet,per causam remotam,per effectum adæquatum, & per effectum transcendentem.demonstratio autem propter quid, per causam propriam,& adequatam. Notatione dignum est, quod licet contingat demonstrare demonstratione, quia,tã per effectum conuertibilem, quã per non conuertibilem: tamen quod non est per effectum conuertibilem, est minoris virtutis ac efficaciæ, quam qui per effectum conuertibilem, ut patet in exemplo supra allato de luna, & in hoc quod nõ scintillat prope est, planetæ non scintillant ergo propè sunt. potest nanque conuerti iste effectus. Secundo notandum quod quãdo fit demonstratio conuertibilis ad suã causam potest fieri regressus a causa super effectum, sed quando effectus cũ sua causa non est conuertibilis,quæ assignatur in illa demonstratione, tunc nobis non licet uti regressu a causa super effectum.

Tex. 39. Alio autem modo vsque figurarum autem.

TRes demum vltimas huius capitis cõclusiones in præsentia declarat Aristoteles in quibus in hac prima, & quarta in ordine posita, docet qualiter differant in diuersis scientijs hæ demonstrationes quia, & propter quid. In secunda uel quinta ostendit, quod etiam sciẽtia subalternata dicit propter quid, non respectu subalternantis, sed respectu alterius cuiusdam in ultima uero ostendit,qđ quia, & propter quid, in scientijs non subalternatis differunt. dicit igitur ad primam. [alio autem modo differt ꝓpter quid ab ipso quia: quod.i.propterea quod est speculari utrunque per aliam scientiam,]quasi dicat,quod demonstratio propter quid differt a demonstratione quia, nou solum prout est utraque in eadem scientia.s.& quia & propter quid. Sed etiã differt prout contingit utrunque speculari per aliã & aliam scientiã ita ut quod una scientia propter quid alia uero quia considerabit. [Huiusmodi autem] scientiæ

sunt

sunt, quæcunque sic se habent ad inuicem, quod alterum sub altero est,] quæ vna scientia alteri scientiæ subalternatur: [ut] se habet [perspectiua,] vel speculatiua [ad geometriam:] illa enim sub hac dicitur esse, [& machinatiua,] siue quæ de re ædificia agit [ad stereometriam.] i. ad illā quæ est scientia de corporum mensuris, [& harmonica ad arithmeticam, & apparentia] siue naualis, [ad astrologiam.] hæ omnes vna subalternatur alteri. [ferè q̄dem vniuocæ sunt harum quædā scientiarum.] i. quædam harum scientiarum quasi vniuocæ sunt ad scientias subalternantes, [ut astrologia, mathematica & quæ naualis est.] i. sicut astrologia, mathematica, & astronomia naualis, [& harmonica, & mathematica, quæ est secundum auditum.] i. sicut etiam musica, & mathematica, & musica practica quæ est secundum auditum. [Hoc autem ipsum, quia, sensibilium est scire, sed propter quid, mathematicorū.] i. scire quia est scientiarum, quæ de sensibus sunt, utputa perspectiua, machinatiua, & Musica. Sed scire propter q̄d est mathematicarum scientiarum, quę magis abstractè considerant ut geometriæ, steriometriæ, arithmeticæ. Hoc autem patet; quia [hi.] i. scientiæ subalternantes siue mathematici, [habent demonstrationes causarum,] quod est apertè dicere, in hoc differunt scientia subalternans a subalternāte super modum sciendi, eo quod vnius est scire quia: alterius vero scire quid. sed quoniam posset aliquis credere, q̄d sciens propter quid alicuius effectus, scit etiā quia eiusdem effectus ideo, ut hoc remoueat subdit. d. [& frequenter nesciunt ipsum quia,] quasi dicat, & multoties scientiæ subalternantes, ignorant ipsum quia, quod non ignorant subalternatæ. [sicut illi uniuersale cōsiderantes, sępe quædam singularium nesciunt, propter id quod non intendunt.] i. sicut etiam contingit, quod illi considerant aliquod vniuersale, & sæpe nesciunt quædam eius singularia propter id quod de singularibus non considerant. [Sunt autem hæc quæcunque alterum quiddam sunt secundum substantiam, & utuntur speciebus.] i. hæ scientiæ subalternatæ, secundum subiectum siue secundum substantiā, sunt differentes à superioribus scientijs, vtuntur tamen speciebus, siue formis, aut principijs formalibus, quę accipiunt, vel quas species accipiunt à scientia subalternante siue superiori, & hoc est, quæcunque alterum, aut q̄d alterum, & quid diuersum vti formis, a sua superiori scientia: nam [mathematicæ enim] scientiæ subalternantes [sunt circa species.] i. circa formam, quia [non sunt de aliquo subiecto:] nel non sunt de aliqua speciali materia, & [si de aliquo subiecto] siue materia speciali [geometrica sunt, sed non] cōsiderantur talia à geometra, [secundū quod geometrica sunt.] nanque si considerat geometra lineam, considerat illā absque ligno, & sine aliqua materia alia. quintam deinde ponit conclusionem. d. [Habet autem se.] i. alia scientia puta naturalis [ad perspectiuam, sicut hæc.] s. perspectiua [ad geometriam, & alia.] s. scientia ad istam.] i. ad geometriā, [ut est id quod est de iride ipsum quidem, quia est scire phisici,] quasi dicat, ut manifestum est in in ea parte, quæ est agere de iride. i. de arco cęleste phisicus dico in hac parte subalternatur ipso perspectiuo, quoniam phisicus considerat quia, [sed ꝓpter quid est perspectiui, aut simpliciter, aut secundum disciplinam.] i. sed perspectiuus considerat, aut simpliciter, aut secundum disciplinam. i. aut omnino, aut quantum attinet suæ disciplinæ: agit perspectiuus. Vltima cōclusio est, cum. d. [Multæ autem, & non sub seinuicem scientiarum, habēt sic:]

I I idest

idest multæ sunt scientiæ, quæ nō sunt sibiinuicem subiectæ: [ut medicina ad geometriā,] se habet sic quod una scit quia & alia propter quid, [quod enim vulnera circularia tardius sanantur,] interest [medici scire quia,] sed [scire propter quid] interest geometræ. intellige per medicum cirurgū, iste enim scit quia, geometra uero propter quid. ratio huius est, quia vulnera circularia tardius sanantur, eo quòd non habēt angulos, & vulnera non circularia propter propinquitatem partium siue angulorum citius curātur, quam circularis, quæ partes propinquas non habet, & ideo sanatur tardius, & intellige secundum vnionem, & consolidationem partium. Notandum autem est quod scientiam subalternari alteri dicitur tripliciter. Primo modo secundū totum. Secundo secūdum partem. Tertio secundum propositionem tantum. secundum totum, ut musica subalternatur arithmeticæ. secundum partem vt naturalis, quo ad partem, quæ est de iride subalternatur perspectiuæ. secundum propositionem tantum, ut chirurgia quo ad illam propositionē, vulnera circularia tardius sanantur, ad geometriam comparantur, & hæc sint satis ad notitiam huius capitis.

Tex. 40. Figurarum vsque sicut autem a. Cap. XI.

Quinque conclusiones habet istud caput, quemadmodum, & quinque sunt cōtextus: sed, quia supra de materia syllogismi demonstratiui egit, ideo ī præsenti capitulo vult agere de forma ipsius. Ostendens quænam figura sit aptior pro isto sylllogismo, & primum in hac prima conclusione primam figuram esse magis accommodatam demonstrat. d. igitur. [figurarū autem faciens scire maxime prima est,] quasi dicat, quod inter figuras syllogismorum prima est magis ad generandam scientiam apta, & probatur quatuor rationibus. Prima a signo est. [mathematicæ scientiarum per hanc] sup. primam figuram [demōstrationes ferunt,] quasi dicat, q̄d scientiæ mathematicæ, formant demonstrationes suas per hanc primam: adde modo tu hanc minorem, sed istæ scientiæ mathemat. sūt certiores alijs. ergo, &c. & hoc assumptum est manifestum inductione, [vt arithmetica, & geometria, & perspectiua,] supple, sunt huius modi: ergo magis facit scire prima, quam aliæ figuræ. Secunda ratio est, [& ferè est dicere quæcunque propter q̄d speculari faciunt considerationem:] idest, & quasi est dicere vniuersaliter, quia quæcunque scientia procedit per demonstrationem propter quid, aut facit demonstrationem suā per causam [aut enim omnino,] vel aut semper, [aut sicut frequentius, & in plurimis] format demonstrationem, [quæ est ꝑpter quid.] i. per causam, [per hanc figuram,] scilicet primam, vel per hanc demonstratiuus [fit syllogismus. quare [ergo] & propter hoc. [i. quoniam propter quid facit scire,] erit maxime faciens scire: quia [proprijssimū scire] est [propter quid] siue causam [speculari.] Tertia ratio est, [postea,] vel post illa quæ assignata supra sunt [ipsius q̄d est scientiam.] i. scientiam propter causam contingit siue [possibile est, per hanc solam venari,] quasi dicat, quod non contingit uenari hanc scientiam, per causam, nisi per hanc primam figuram. [In media enim figura non fit syllogismus prædicatiuus.] i. syllogismus affirmatiuus: [sed ipsius quod quid est, scientia affirmationis est,] quasi dicat, quod in media figura semper negatiuè concluditur; sed scientia ipsius q̄d quid est. i. sciētia quæ est per diffinitionem semper affirmatiuè cōcludit. ideo

debet

debet fieri in prima,quæ concludit affirmatiue. [In ultima autē fit,] supple, affirmatio fit in ultima figura[quidem, sed non uniuersaliter.]i.sed concludit particulariter; [sed quod quid est.] i. sed sciētia diffinitiua[est] scientia[uniuersalium,]non autem particularium: quia [nō quodāmodo est animal bipes homo.]i.homo nō est bipes quodāmodo.i. particulariter, sed vniuersaliter. Quarta rō ē ista.[Amplius]uel itē[hęc qdē]figura pria[nihil idiget illis,]alijs figuris:sed[illæ,] & secūda,& tertia [p hanc]primam[densantur, & augumentantur.] i. reducuntur ad primam per condensationem,[& rarefactionem,& augumentationem] quousque veniant ad prima immediata.]i. ad prima. igitur illa figura facit magis scire, quæ alijs figuris non indiget, sed prima est talis.ergo epilogat.d.[manifestum est igitur, quod maxime propria scientiæ est prima figura,] quasi dicat, patet q; figura maxime propria scientiæ, siue quæ magis adaptatur scientiæ, est prima. aliæ vero non. Vbi notandum est quod prædictæ scientiæ mathem. vtuntur, ut plurimum primo modo primæ figurę: eo quod ut plurimum passiones proprias, per propriam causam demonstrant. aliquando tamen utuntur prima figura: ut perspectiua cum ab effectu arguit ad causam, ideo dixit, aut omnino aut frequentius. Notandū item quod aliæ figurę reducuntur ad ad primam dupliciter: primo quo ad formam syllogismi. secundo quo ad materiam eiusdem generantis aliquo modo scientiam.

Tex. 41. Sicut autem à vsque. Quod autem contingit.

SVpra mentionem de propositione affirmatiua immediata fecerat philosophus. in præsentia autem agit de immediatione negationis, & primum quomodo sit propositio negatiua mediata; secundo quomodo immediata, cum dicit si uero neutrum.d.igitur primum.[Sicut autem a.esse in b, contingit indiuisibiliter;]i.immediate.i.sicut est dare, quod a, sit in b, & prędicetur de b, & sit propositio affirmatiua immediata[sic, & non esse possibile est:] supple,contingit indiuisibiliter.i. a,in b,& remoueri a,ab ipso b,indiuisibiliter, & facere propositionem negatiuā immediatam quid per indiuisibiliter intelligat exponit.d.[dico autem indiuisibiliter esse.] i.propositionem affirmatiuam immediatam, [vel non esse,] i.aut propositionem negatiuam immediatam, [eo quod non est aliquid eorū medium.] i.cum non est dare medium ad cōcludendum prędicatum de subiecto, vel sit affirmatiua, vel negatiua propositio, tunc dicitur immediata. [Sic enim non erit secundum aliud esse.] i. quia sic possibile non erit prędicatum secūdum aliud inesse subiecto. de negatiua mediata. d. [cum igitur aut a,] i. aut prędicatum [aut b,] i. aut subiectum[in toto aliquo sit,] i.habeat supra se aliquod prędicatum [aut etiā ambo,]i.aut utrunque, & prędicatum, & subiectum habet aliquod supra se genus, [non contingit a,] idest prędicatum[in b,]idest in subiecto [primo] vel immediate [non esse,] quasi dicat, negatiua propositio erit tripliciter, aut quia prędicatum habet aliquod genus supra se, aut subiectum habet supra se huiusmodi genus, aut utrunque habent supra se genus. [Sit enim a, in toto c,]i.sit prędicatum in aliquo genere,capto pro litera c, [si igitur b, non est in toto c,]idest si subiectum (per b, captum) non est in illo genere, quod contingere potest. [(Potest enim a,idest prędicatum quidem esse in quodā toto] supple c,vel genere[sed b,nō esse in hoc,]) idest,sed subiectum nō es-

se in illo c, siue non esse in illo genere: tunc[syllogismus erit,]vel syllogizabitur,[quod non sit a,in b,] & per illud medium c, siue genus, quod prædicatũ a, non sit in b, subiecto. Declaro exemplo clariori. si talis propositio proponatur. nulla qualitas est æquus, quia prædicatum a, i. equus est in quodam genere. i. substantiæ quod est c, quia subiectum b, i. qualitas non est in c, i. in genere, quod est substantia, syllogizabitur per c, i. per substantiam, quod non sit a, in b, i. quod qualitas non sit equus. hoc est quod subdit. d. [Si enim a, quidem,] i. prædicatum a, vel equus omni est c,]i. est in genere c, i. substantia[in b, autem nullo est,]i. in subiecto vel qualitate nullo est, i. in c, idest, nulla qualitas est equus. [in nullo b, est a,] idest a, prædicatũ uel equus est in nullo b, aut in nulla qualitate. i. nulla qualitas est equus. erit igitur syllogismus, quod a, remouetur ab ipso b, i. quod qualitas non sit equus, per medium c, i. per substantiam. [Similiter autem, & si b, in aliquo toto est,] simili modo si subiectum b, utputa albedo est in toto [ut in d.]i. vt in genere quod est qualitas significata per literam. d. [d. enim.] i. qualitas [in omni b, est.]i. in omni albedine, [a, autem in nullo. d.] i. sed a, vel substantia concludetur esse in nullo b, siue in nulla qualitate. [quare a,] i. substantia[per syllogismum]factum [erit in nullo b,] i. in nulla albedine. determinat cum prædicatum, & subiectum sunt in aliquo genere. d. [Eodem autem modo demonstrabitur] supple a, non esse in b, uel substantia non esse in albedine, [& si utraque] tam prædicatum, quam subiectum [sit in aliquo toto.]i. in aliquo genere, ut si proponatur huiusmodi propositio nulla albedo est homo. quoniam utrunq; habent genus. poterit per quodlibet generum hæc propositio negatiua inferri. infertur per substantiam, ut omnis homo est substantia. nulla albedo est substãtia. ergo nulla albedo est homo, & est in camestres. infertur per qualitatem sic. nulla qualitas est homo. omnis albedo est qualitas. igitur nulla albedo est homo, & est in celarent. eodem modo fieret iste syllogismus. si conuerteretur maior, & fieret in Cesare.

Tex. 42. Quod autem contingit vsque si vero neutrum.

Hæc est quarta conclusio huius capitis, quia enim dixerat prædicatum esse in aliquo genere, quod non erat subiectum, & econtra. hic dicit esse manifestum, ex coordinationibus prædicamentalibus, quæ nõ inuicem permiscentur. dicit igitur, [quod autem contingit b,] i. subiectũ [non esse in quo toto est a,]i. in eodem toto siue genere cum a, [aut iterum a, in quo est b,] i. aut quod nõ contingat esse a, in quo est b, vel substantia non esse in albedine. [Manifestum est ex coordinationibus] prædicamentalib. [quæcumque] coordinationes, [non cõmutãtur ad inuicem:] ut coordinationes diuersorũ prædicamentorum. declarat in terminis. d. [si enim nihil eorũ, quæ sunt in a, c, d, coordinatione,]i. in aliqua coordinatione puta substantiæ, ut homo, corpus, substantiæ, [de nullo prædicatur eorum, quæ sunt in b, e, f,] i. si accipiatur in quantitate, linea, continuum, quantitas. [a, autem sit in toto g,] i. prædicatum intellectũ per a, aut homo, sit in aliquo prædicamento puta substantiæ, quod per g, significatur: [sic coordinatione existente.]i. existenti tali coordinatione intellecta per g, [manifestum est quod b,]i. linea[non erit in g,]i. in prædicamento substantiæ, quia [commutarentur coordinationes] prædicamentorum. Similiter autem est, & si b,] vel si subiectum,

iectum, siue linea sit in aliquo toto genere, in quo non sit a, vel in prædicamento substantiæ.

Tex. 43. Si vero neutrum vsq;. Ignorantia.

VT supra diximus, ostendit Aristoteles qualiter sit suppositio negatiua vera, immediata, & est quinta, & vltima conclusio huius capituli: in fine vero epilogat. dicit igitur [si uero neutrum] puta & a, & b, vel nec prædicatum, nec subiectum, [sit in toto aliquo nullo.] i. sit in nullo genere, vt, [nō sit autem a,] prædicatum [in b,] subiectum, aut si remoueatur hoc prædicatum a, ab ipso b, subiecto, [necesse est indiuisibiliter non esse:] i. tunc necesse est indiuisibiliter, siue immediate, vel necesse est, quod ista propositio nullū b, est a, sit immediata, quia [si erit aliquod medium,] supple, ad probandū, quod a, ab ipso b, remoueatur [necesse est alterum horum] hoc est aut a, aut b, [in quodam toto esse.] i. in quodam genere, quia [aut in prima figura, aut media erit syllogismus:] ratio est, quia vniuersalis negatiua non potest concludi in tertia, eo quod particulariter semper concludit. [Siquidem in prima figura b, erit in toto aliquo.] i. genere, quod est dicere, oportet vt subiectum sit in aliquo genere, quia [affirmatiuā ad hoc oportet fieri propositionem:] i. oportet hanc minorem fieri affirmatiuam si fiat syllogismus in prima figura, præsertim si directe concludatur, & per consequens illud medium de subiecto verè affirmabit: quare illud subiectum in aliquo genere continebitur superiori. sed hoc contradicit, quod suppositum est. [Si vero in media,] figura [vtrunque contingit.] i. quælibet ꝓpositio potest esse affirmatiua, & negatiua tam maior, quam minor, quoniā [ad vtrunque,] vel, ad quancunq; [posito priuatiuo erit syllogismus.] i. erit syllogismus in secunda figura, vel ad vtrunque posito priuatiuo. i. si syllogismus est in media figura cōtingit vtrūque, quod tam maior, quam minor potest esse affirmatiua, & negatiua. Dico vtrunque non simul, sed seorsum: quia [cum vtraque priuatiua fit.] i. cum ambæ sunt negatiuæ, [non erit,] vel nihil sequitur, ex puris negatiuis, vt si maior erit affirmatiua, prædicatum sub aliquo genere continebitur, vt omnis homo est substantia, nulla quantitas est substantia, igitur nulla quātitas est homo. Si autem minor est affirmatiua subiectum tunc sub aliquo superiori continebitur, vt, nullla quantitas est substantia, omnis homo est substantia, igitur nullus homo est quantitas. primus est in secundo secundæ figuræ, & secundus in primo secundæ nempe. in Cesare. demum epilogat. d. [manifestū igitur est quod contingit, & aliud in alio non esse indiuisibiliter.] i. patet quod sit aliqua propositio negatiua immediata: [& quando contingit, & quomodo contingat, diximus,] & hęc sint satis pro præsenti capitulo.

Tex. 44. Ignorantia vsque Contingit igitur. Cap. XII.

ISte est alius tractatus huius libri, q. tria capita continet. habetque per se sex cōclusiones. in primo distinguit ipsam ignorantiam, nempe vnam esse simpliciter ignorantiam, aliam vero innatam per syllogismum, & primo de simplici. dicit igitur. [Ignorantia autem non secundum negationem, sed secundum dispositionem dicta: est quidem] supple ignorantia dispositionis [per syllogismum facta deceptio.] hic implicite duplicem ponit ignorantiā, scilicet, puræ negationis, vt cum quis

nil nouit de aliqua re, vt sunt rustici, qui omnino ignorant, quod triágulus habet tres angulos æquales duob. rectis. ignorantia vero prauę dispositionis est cum quis habet habitum cõtrarium veræ scientiæ, vt si quis opinaretur cœlum non moueri. hæc enim potest fieri per syllogismum. & dupliciter. ideo. d. [Hæc autem] ignorantia prauę dispositionis [in ijs] propositionibus [quæ insunt primo.] i. immediatis [aut non insunt.] i. aut in ijs propositionibus non immediatis, [contingit dupliciter.] aut fit duobus modis, & primo [aut enim est cum simpliciter accipiat esse.] i. cum quis accipiat affirmatiuam falsam, [vel non esse] vel negatiuam falsam, [aut cum per syllogismum accipiat opinionem.] i. cum recipit falsam opinionem factam per syllogismũ. [Simplicis quidem ergo opinionis simplex deceptio:] i. ignorantia simplex fit simpliciter. i. vno modo: puta cum aliquis negat aliquam veritatẽ non tamen persuasus, vt sic neget, vel negat aliquam falsitatem. [Sed] ignorantia, [quæ est per syllogismum] facta, [plures sunt,] aut pluribus modis fit: & ratio est, quoniam possunt fieri plures syllogismi, ideo quot syllogismi erunt, tot etiam modi, & primo de hac agit. vnde subdit. [Non sit enim a, in nullo b, indiuisibiliter.] i. probetur siue syllogizetur, quod a, non sit in b, immediate. i. nulla substantia est quantitas. [ergo si syllogizet a, esse in b, accipiens mediũ c,] per a, intellige quantitatem, per b, substantiã, & per c, qualitatem. igitur si syllogizet, quod a, sit in b, vel quod quantitas sit substantia, per medium c, accipiens pro medio qualitatem [deceptus erit per syllogismum.] d. dicamus nos, hoc modo, omne c, est a, omne b, est c, igitur omne b, est a, vertamus in terminis signatis, & erit sic deceptio. Omnis qualitas est quantitas, omnis substantia est qualitas, ergo, omnis substantia est quantitas. quot modis deinde contingat fieri hanc deceptionem declarat. d. [contingit igitur] in causando ignorantiã [vtrasque propositiones esse falsas,] & [cõtingit alteram solum esse falsam.] declarat in terminis. d. [si enim neque a,] i. maior extremitas. l. prædicatum, quod est quantitas. [in nullo erit c,] i. in nullo medio, vel in nulla erit qualitate [neq; c, in nullo b, erit.] i. nec quantitas erit in nulla substantia. quoniam [accepta vtraq;.] i. si accipiantur vtræque affirmatiuæ, [ambæ erunt falsæ,] vt patet in exemplo, & erunt cõtrariæ his duabus propositionibus veris, & immediatis. nulla qualitas est substantia, & nulla qualitas est quantitas. deinde subdit. [Potest autẽ se habere c,] i. medium [ad a,] vel ad quantitatem, [& ad b,] i. & ad substantiam, [quod neque c,] vel qualitas [sub a, sit,] idest sub quantitate, [neque in b, vniuersaliter.] i. neq; vniuersaliter in substantia. q. d. quod potest se habere qualitas ad quãtitatem, & ad substantiam, quod neq; qualitas sit sub quantitate, neque vniuersaliter in substantia [b, quidem.] i. substãtia [impossibile est esse in aliquo toto.] i. genere, quia [primum dictum est in ipso a,] vt in ipsa quantitate [b, non esse.] i. substantia non esse. nanque [a, non est necesse inesse omnibus.] i. quantitas, [quæ sunt c, vniuersaliter.] i. nõ est necesse, quod c, medium. i. omnis qualitas, sit a, vel sit quantitas. igitur c, nec de b, prædicatur, nec subijcitur ipsi a, [quare vtręque falsæ sunt,] supple, ꝓpositiones, & hæc est vniuersalis affirmatiua immediata, quæ concluditur per ambas præmissas falsas. deinde sequitur, quod non contingit, per alteram ueram, & per alteram falsam. d. [sed alteram contingit verã accipere.] i. contingit aliquando fieri talem ignorantiam maiori falsa existente, & minori vera [non tamen quamlibet

bet contingit.] i. non tamen vtraq; vera existente falsum concludetur, [sed quę est a, c,] supple vera potest esse. siue maior, [nam c, b, propositio semper falsa erit,] idest, quoniam minor semper erit falsa; non enim econtra potest concludi, idest minori vera, & maiori non [propter id quod c,] siue qualitas [in nullo b, est.] i. in nulla substantia. [sed quæ est a, c,] i. maior propositio [potest:] supple vera esse, [vt si a,] idest quantitas [est indiuisibiliter.] i. immediate, [& in c, & in b,] i. & in numero, & in substantia. quoniam [cum primum prædicetur idem de plurib.] idest cum idem supple a, vel quantitas prædicetur primum aut immediate de pluribus. i. de b, & de c, puta de vno immediate verè, & de alio falsè: [neutrum in neutro erit.] i. a, non erit in b, propositio ergo c, b, i. minor erit falsa. aduerte quod isti termini non eodem, vt primum accipiendi sunt: sed ita vt de vno vere prædicetur immediate, & de alio non, vt quod a, i. quantitas de b, i. de substantia, & de c, i. non de qualitate sed de numero: quoniam de numero erit verum, & de substantia nō. deinde subdit [differt autem nihil, neque, si non diuisibiliter insit.] i. nihil differt, si maior extremitas non immediate insit medio, & minori extremitati. [Ipsius quidem esse igitur deceptio per ista, & sic fit solū.] q. d. quod deceptio, aut decipi de ipso esse, siue de ipsa affirmatiua vniuersali per ista. i. per primā figuram, sic fit solum quemadmodum dictum est, quia [non erat in alia figura ipsius esse syllogismus.] i. quia vniuersalis ipsius esse, vel affirmatiua nō poterat esse conclusio syllogistica in alia figura, quam in prima, quia secunda concludit negatiue, & tertia particulariter. [Qui vero ipsius non esse.] i. deceptio quæ est negatiuæ [in prima figura, & in media est,] quasi dicat, quod ignorantia aut deceptio, quæ est circa propositionem negatiuam oppositam affirmatiuę immediatę potest fieri tam in prima figura, quam in secunda. deinde d. [dicamus primū igitur quot modis] ignorantia [fit in prima] figura, [& quomodo se habentibus propositionibus.] i. qualiter se habentibus præmissis. Notatione dignum hic est, qđ Aristoteles non nominauit tertiam figuram, propterea quod propositio, quæ debet concludi in syllogismo ignorātiæ, vniuersalis oportet vt sit: sed quia tertia figura non concludit vniuersaliter, ideo de illa mentionem non fecit: & hæc ignorantia circa affirmatiuam, Est intelligendum, Aristotelem habuisse intentionem agere de illa, quæ est opposita negatiuæ immediate, vt diximus negatiua nanque immediata vniuersaliter est vera. igitur affirmatiua erit vniuersaliter falsa.

Tex. 45. Contingit igitur vsq;. Sed in media.

IN fine præcedentis contextus, dixerat Aristoteles, se dicturum quomodo contingat fieri deceptionem in prima figura ideo hic sequitur. Ponitque exemplum in terminis a, b, c, per a, intelligatur color. per b, albedo, & per c, nigredo. dicit igitur [contingit ergo vtrisque falsis:] quod est dicere potest contingere ignorantia in prima figura ex ambabus præmissis falsis, [vt si a,] i. color, [& in b, & in c, sit indiuisibiliter.] i. si color sit in albedine, & in nigredine immediate. tunc [si accipiatur a, in nullo c, esse,] i. si dicamus albedinem esse in nulla nigredine [c, autem aūt in omni b,] & nigredinem esse in omni albedine, tunc [falsæ sunt propositiones.] i. ambæ, vtputa nulla albedo est color, omnis albedo est nigredo, igitur nulla nigredo est color, & hic patet, quod conclusio est contraria huic affir-

affirmatiuæ veræ, omnis nigredo est color, & color immediate prædicatur de albedine,& nigredine, tanquam de speciebus proximis. deinde subdit qualiter conclusio falsa sequatur existente altera præmissarum falsa.d.[cõtingit autem,& altera falsa,] & supple ad concludendum immediate falsum, [& hac quacunque cõtingentem.] i.& ista poterit esse indifferenter, aut minor,aut maior, quia [potest quæ est a, c,vera esse.] i. maior propositio, [quæ vero b,c,] i. minor propositio [falsa.] accipiatur hoc in terminis,a,sit color b,albedo,c,vero nõ nigredo,vt prius, sed sit linea.dicit igitur.[quoniam non in omnibus quæ sunt, inest a, quasi dicat,sed quæ est a,c, i. minor poterit esse vera, quoniam a, i. color non inest omnibus,non enim inest c,i.lineæ,maior igitur quæ dicit negatiue nulla linea est color, vera est.[Sed quæ est c, b,]i. minor[falsa esse,] vt omnis albedo est linea. [quoniam impossibile est esse in b,c,]i. in minori, [in quo nullo est a,]i.color,quasi dicat,quia impossibile est lineam esse in b, siue in albedine,in qua nulla linea est a, siue color, quia [non etiam uera erit, quæ est a,c, propositio:]i. propositio negatiua a,c, siue maior; nulla linea est color: non posset esse vera, si minor esset etiam vera videlicet omnis albedo est linea; nanque si vera esset, tunc sequeretur conclusio vera. ideo. d. [simul autem, & si sint utræque veræ,& conclusio vera erit.]Sed agimus de ignorantiæ syllogismo. deinde ostendit qualiter per minorem veram, & maiorem falsam, demonstrare quimus conclusionẽ falsam.d.[Sed & etiam quæ est c,b,]i. minor,[cõtingit veram esse,cum altera.] i.maior [sit falsa,]dat exemplum.d.[vt si b,]i.albedo[in c,sit,& in a,]i.& in dissipatiuo, & in colore. quoniam omnis albedo est dissipatiua,& omnis albedo color.[Necesse enim alterum sub altero esse,]quasi dicat,non enim posset esse albedo in dissipatiuo, & in colore nisi alterum esset sub altero; siue nisi color prædicaretur vniuersaliter de dissipatiuo: [quare si accipiatur a,] idest color[in nullo c,esse,]i.maior propositio esse in nullo dissipatiuo [falsa erit propositio.] formetur igitur sic syllogismus iste. nullum dissipatiuum est color;omnis albedo est dissipatiua: ergo nulla albedo est color. patet qđ concluditur falsum per minorem veram,& maiorem falsam. demum concludit.d.[palã igitur] supple est,[quoniam, & cum altera propositio sit falsa,& in vtrisque.] s. præmissis tam in maiori, quam in minori [falsus erit syllogismus.] siue erit ignorantia per syllogismum in prima figura conflatũ & hæc satis pro præsenti.

Tex.46.Sed in media vsque. In ijs autem.

IN præsentia declarat Aristoteles quomodo contingat fieri ignorantiam in secunda figura,vt in fine primi contextus fuit propositum. primoque quõ possit ambab. præmissis existentibus falsis.Secundo altera tantum præmissa falsa. ibi cum dicit alteram autẽ falsam.d.igitur,[sed in media quidem figura totas propositiones esse vtrasq; falsas non contingit.]q.d.quod nõ contingit fieri deceptionem ignorantiæ existentibus ambabus præmissis totaliter falsis.[cũ.n.in oĩ b,a. sit.i.cũ oẽ a, uel color sit in oĩ b,i.in albedine]nihil erit accipere. i. cõtingere qđ ĩ altero erit oĩ, in altero vero nullo erit.] q. d. si ambę essent falsę totaliter oportebit aliquod medium inuenire, quod vniuersaliter ab vna remoueatur extremitate, & alteri vniuersaliter attribuaĩ, hoc patet quoniam medium in hac figura bis,de altero prædicatur affirmatiue, & de altero negatiue. [Oportet autem sic in media figura accipere propo-

propositiones, & quod in hoc quidem fit.] i. non potest inueniri medium, qd de uno uniuersaliter prædicetur, [& quod in hoc non fit,]i.& quod uniuersaliter ab alio remoueatur.[Siquidem erit syllogismus,]supple hoc modo,& syllogismus deceptionis non erit. quare[si accipiantur sic falsæ.] i. si ambæ præmissæ accipiantur sic. i. in toto, aut totaliter falsæ. [palam est quod cótrariæ e cóuerso se habebunt.]i.erunt totaliter ueræ, & sic erit nerus syllogismus. [Hoc auté impossibile est.]quoniam esset vera conclusio. demonstrat deinde qualiter possit concludi per ambas falsas in parte. d.[in aliquo auté.] i.in parte[utranque propositionem, nihil prohibet esse falsam : vt si c, in a,& in b, aliquo est.]i. in parte, medium sit in a,& in b, v.g. per c, intelligatur perfectum, per a, colorem, per b, albedinē, & sic dicamus, quod si perfectum sit in colore,& in albedine in parte : vt quidam color est perfectus, & quidā non; & quædam albedo est perfecta,& quædam non:& syllogizetur sic in Cesare. nullus color est perfectus, omnis albedo est perfecta. igitur nulla albedo est color. patet hic quod ambæ præmissæ sunt in parte falsæ: & est contraria conclusio huic immediate veræ: omnis albedo est color. d. ergo.[Si enim a,]idest color[in omni c,]i. perfecto [accipiatur esse b, autem.]i. albedo[in nullo.]i. nulla albedo est perfecta. [falsæ quidem utræque propositiones, non tamen totæ.] i. uniuersaliter [sed in aliquo]siue in parte. [Econuerso autem posito priuatiuo, similiter.]i.similiter erunt præmissæ in aliquo falsæ, ac concludetur conclusio immediate falsa, ut in exemplo manifestum est, ultimam conclusionem lemū ponit in qua ostēdit quomodo possit concludi per alteram propositionem falsam. cum dicit [alteram autem falsam, & quamlibet contingit:] quasi dicat, quod prædicta ignorantia potest nasci altera præmissarum existente falsa indifferenter. i. siue cum maiori vera, & minori falsa, aut econuerso, & primum de prima intendit.d.[quod enim est in a, omni.] i.in omni colore,[& in b, est.]i. in omni albedine. [Si igitur accipiatur in a, quidem toto esse c,]i. si accipiatur c, v. g. quātitas, aut qualitas pro medio, esse in a, i. in colore uniuersaliter,[in b, autem toto non.] i. & in omni albedine non, siue non vniuersaliter in albedine esse, [quæ quidem est c, a,] idest, quæ est maior propositio, aut extremitas, ut omnis color est qualitas, [erit uera: sed quæ est c, b,]i. minor extremitas[falsa,]supple erit. Ostendit deinde econuerso, cum minor est uera, & maior falsa dicens.[Item quod in b, nullo est.]i. quod in nulla albedine, [neque in a, omni erit.]i. neque in colore. [Si enim in a, est.]i. in colore, & in b,[i. & in albedine,[sed non inerat,] ponatur ergo c, pro sapore. [Si igitur accipiatur c,]i. sapor,[in toto quidem a, esse.] i.in colore, dicendo omnis color est sapor [in b, autem nullo quidem.]i. in albedine autem non, ut nulla albedo est sapor,[quæ est b.]i. ista minor propositio[uera est, altera uero.]i. maior extremitas [falsa.] Formetur ergo sic syllogismus iste. Omnis color est sapor, nulla albedo est sapor. ergo nulla albedo est color, quæ est contraria immediate huic uerè, omnis albedo est color, aut alio argumēto omne animal est inanimatum, nullus homo est inanimalis, igitur nullus homo est animal. Deinde ostendit hoc idem in primo modo secundæ figuræ. cum.d.[similiter autem fit transposito priuatiuo:]hoc est, conclusio fit immediate falsa per alteram præmissarum ueram, & per alterā falsam, transposito negatiuo, uel transposita propositione negatiua. quoniam fecimus syllogismum in secundo modo secundæ. habebatque maiorem af-

firmatiuam,& minorem negatiuam. si igitur transponatur negatiuum, & fiat affirmatiuum, aut affirmatiua maior extremitas,& minor negatiua, similiter concludetur falsum imediate. ideo d.[quod enim in nullo est a,]i. in nullo colore,[neque in b,nullo erit.]i. neque erit in nulla albedine. [Si autem accipiatur c,]i. sapor[in toto quidem a,]i. in colore[non esse,]ut nullus color est sapor[in b,]i. in albedine[autē esse toto.]v.g. omnis albedo est sapor, [quæ quidem est a,c,]i. maior extremitas siue maior,[propositio,uera est,altera autem,]supple minor extremitas est[fal sa,]ut nulls color est sapor,omnis albedo est sapor, ergo nulla albedo est color, & est in cesare. ostendit deinde cum maior sit falsa, & minor vera. cum subdit. d.[Et iterum]fit deceptior[quod in b, est.]i. in omni albedine[in nullo accipere a,esse.]i. in nullo colore,[falsum erit,] propterea quod, illud quod contingit omni albedini,a; colore non poterit remoueri vniuersaliter,[necesse enim est,si in omni b,] i. in omni albedine,[&]illud quoq,[in quodam a, esse.] i. in quodam colore. [Si igitur accipiatur quidem in omni a, esse e,[i. in omni albedine esse dissipatiuum,[in a,]i. in colore[autem nullo,quæ quidem est c,b,]i. minor extremitas[uera erit, quæ autem est a,c,]i. maior propositio,erit [falsa.] Formetur ergo sic syllogismus iste. Nullus color est dissipatiuum visus,omnis albedo est dissipatiua uisus. igitur nulla albedo est color. demum epilogat. d. [Manifestum igitur est, quod utrisque falsis[præmissis,[& altera solum]siue maior, siue minor in secunda figura fiat syllogismus,[erit syllogismus deceptiuus in indiuisibilibus.]i. in præmissis immediatis. igitur ex præmissis existentibus falsis, & ex altera tantū, cōcludit syllogismus ignorātiç in imediatis,& hæc satis pro pſenti capitulo.

Tex.47. In ijs vsque. Sed per mediam figuram. Cap.XV.

Istud est secundum caput huius tractatus. in quo ostendit Philosophus qualiter possit cōcludi propositio vniuersalis falsa opposita mediatę uerę, & primo quomodo concludatur per medium proprium. propter quod est notandum secundum Ęgid. quod medium se habet in triplici habitudine. qm aliqñ est propriū, aliqñ simile proprio,& aliqñ extraneū,ut si debeat cōcludi hæc propositio mediata omnis homo est substantia: dicetur medium quicquid est in prædicamento substantiæ,inter hominem,& substantiā,utputa genera subalterna, & species subalternæ. nempe animal, corpus, & similia, licet forsan inter hæc propria media sit dare gradus; ut unum medium sit magis proprium altero, omnia tamen, illa media possunt dici propria. Medium vero simile proprio potest dici aliquod medium accidentale per quod potest talis conclusio concludi, vt si omnis homo esset albus, & omne album esset substantia, si albū pro medio acciperetur ad concludendum omnem hominem esse substantiam diceretur tunc accipi medium simile proprio. Medium uero extraneum dicitur omne id p quod nullo modo uere potest concludi talis conclusio, utputa lignum, lapis, & similia. Sic de reliquis dicendum est, Diuiditur hoc caput in sex cōclusiones. dicit igitur in prima. [In ijs autem] propositionibus, [quæ non diuisibiliter]siue immediate, sed mediate[insunt, aut non]mediate insunt, cum quidem per proprium medium falsitatis fiat syllogismus,[idest cum concludatur huiusmodi conclusio ignorantiæ per proprium medium [non possibile est falsas utrasque esse propositiones,sed solum,quæ ante maius

ius extremum.]i. sed solum maior extremitas erit falsa si accipiatur mediũ proprium,& minor semper vera, vt puta si fiat iste syllogismus nullum corpus est substantia,omnis homo est corpus, igitur nullus homo est substantia & est in celarẽt. declarat quid propriũ dicat.[Dico autem proprium medium per quod fit syllogismus contradictionis.]i. per quod fit syllogismus cõcludens propositionem contrariam, vt si debeat concludi hæc negatiua falsa, nullus homo est substantia medium proprium erit id quod est contrarium, scilicet,omnis homo est substantia.declarat exemplo,puta, intellige substãtiam,per b,hominem per c,medium.i. corpus. d.[sit enim a,] i. substantia [in b,]i. in homine[per medium c,] idest, per corpus. [quoniam igitur necesse est c,b,]i.illam,quæ minor est[affirmatiuam accipi syllogismo facto.] s.per medium:[manifestum est quod hæc.]i. minor [semper est vera.]propterea qđ [non conuertitur.] s.in oppositam,sed affirmatiua sicuti prius remanet. [sed quæ est a,c,falsa,]vt nullum corpus est substantia,[hac enim conuersa]supple in oppositam qualitatem ,[econtrario fiet syllogismus.] i. erit syllogismus contrarius concludens propositionẽ contrariam . deinde subdit quomodo fiat conclusio falsa per medium proprio simile.d. similiter autem est, & si ex alia coordinatione accipiatur medium.]i. si accipiatur non medium ꝓprium , sed aliquod accidentale, puta gressibile ; quod intelligatur per literam.d.dicit ergo,[ut d,] idest gressibile,[& in toto a,]idest substantiæ subijciatur vniuersaliter; [& prædicatur de omni b,]i. de homine[necesse est enim (quæ quidem est,d,b,]) (idest minor extremitas, omnis homo est gressibile) [propositionem manere,]supple ueram [alteram autem conuerti,] scilicet maior, per oppositam qualitatem: [Quare hæc quidem]minor[semper uera] erit, [illa vero]maior[semper falsa,& ferè huiusmodi deceptio,] quæ fit per medium simile proprio, [eadem est ei,quæ fit per medium proprium.] quoniam si fiat iste syllogism⁹ uerus,per medium non proprium,sed simile proprio, omne gressibile est substantia,omnis homo est gressibilis, igitur omnis homo est substantia,tunc si debeat fieri syllogismus ignorantiæ, & contrarius, vt concludat nullum hominem esse substantiã , oportet vt accipiatur maior negatiua falsa: & minor nõ mutabitur. Maior erit hæc,nullum gressibile est substãtia, & erit semper falsa,minor autem uera: ut sic nullum gressibile est substantia,omnis homo est gressibilis, igitur nullum gressibile est substantia. Ad secundam conclusionẽ accedit deinde. ostenditque qualiter, si prædictus syllogismus fiat per medium extraneum,habeat inferri huiusmodi negatiua falsa in prima figura, & primo quomodo ex ambab. Secundo quomodo ex altera tantum. d.ergo.[Si vero non per proprium medium fiat syllogismus,] sed per extraneum medium, [cum quidem sub a,fit medium .] i. cum medium puta d, fit sub maiori extremitate, uerbi gratia, sub substantia significata per literam a,[in b, autem nullo.] i. in minori extremitate vero nullo est, [necesse est utrasque esse falsas,]quasi dicat, quod si medium extraneum debeat accipi,ꝑ quod medium extraneum,debeat probari hæc propositio negatiua mediata falsa, utputa nullus homo est substantia: oportet accipere aliquod medium quod uniuersaliter ab homine remouetur, & de substantia uniuersaliter prædicetur,ut leo,tunc enim erunt ambæ falsæ, vt nullus lapis est substantia, omnis homo est lapis , igitur nullus homo est substantia.d. igitur.[sumendæ enim econtrario sunt, quam ut se

habeant propositiones, si debeat syllogismus esse.] q. d. si debeat fieri syllogismus ignorantiæ debent ambę præmissæ aliter accipi, quam se habent, s. ad contrariam qualitatem. quoniam [sic acceptis, utraque fiunt falsę,] & maior extremitas, & minor, [ut si a,] i. substantia [quidem in toto d, est.] i. in toto lapide, siue in omni lapide, [d, autem] siue lapis [in nullo b,] i. in nullo homine: [conuersis enim ijs] propositionibus [syllogismus erit,] supple ignorantiæ, [& propositiones utræque falsæ,] ut patet in exemplo supra allato. accedit ad tertiam conclusionem, scilicet, qualiter ex altera falsa concludi potest deceptiue. dicens. [cum uero non sit sub a,] i. sub substantia [mediū, vt d,] i. vt logica, aut scientia quæ significatur per literam d, quod medium est, [quæ quidem est a, d,] i. maior extremitas, ut nulla substantia est scientia [vera erit, quæ vero d, b,] i. minor extremitas, omnis homo est scientia, erit [falsa.] Sic est syllogismus ex maiori vera. Nulla substantia est scientia, omnis homo est scientia, igitur, nullus homo est substantia, & erit syllogismus in Cęsare. quoniam, quæ est b, d, [idest maior propositio nulla substantia est scientia,] quia non erit in a, d, [supple, d, b, vel minor propositio capta pro d, b, non erit in a, d, siue in maiori extremitate,] quæ uero est d, b, [i. minor] falsa, [erit,] quia si uera esset, & conclusio [esset vera] & sic non esset deceptiuus, [sed falsa erat.] i. sed dicebatur quod minor erat falsa: propterea quod agitur de deceptione, & conclusio igitur sit falsa per tale medium extraneum. ergo per maiorem ueram, & minorem falsam concludi potest (medio extraneo existente syllogismus deceptiuus, siue syllogismus ignorantiæ.

Tex. 48. Sed per mediam figuram vsque. Manifestum est autem.

HAec est quarta conclusio huius capitis. in qua ostendit Philosoph' qualiter possit cōcludi deceptoriè ne in secunda figura: quoniam supra egit quomodo contingat in prima, & primo cum ambæ præmissæ sunt falsæ, secundo cum maior est falsa, & minor uera, tertio cum minor est uera, & maior falsa. d. igitur. [Sed per mediam figuram facta deceptione, non cōtingit quidem utrasque falsas esse propositiones totas.] i. uniuersaliter falsæ. quoniam] cum b, quidem sit sub a, [i. cum b, siue minor extremitas sit sub a, aut sub maiori extremitate,] nihil contingit in hoc quidem omni; [i. non contingit sumere neutram propositionem totaliter falsam. [in illo autem nullo esse.] q. d. non possunt ambæ præmissæ esse in toto falsæ: quia si possent, oporteret inuenire aliquod medium, quod uniuersaliter ab vna extremitate remoueatur, & alteri extremitati attribuatur. at non est possibile. ergo [Sicut dictum est, & prius.] in capite præcedenti. de uniuersali falsa. igitur nō possunt ambæ esse totaliter falsę. quoniā medium bis, & uniuersaliter prædicatur de uno affirmatiue, & de altero negatiue. Quare conclusio est uera. possunt tamen esse falsę secundum partē, vt sic omnis substantia est rationalis, Nullum animal est rationale, igitur nullum animal est substantia. deinde ostendit cum maior est uera, & minor falsa. d. [Altera uero potest esse falsa,] ut minor, [& quæcunque contingit,] supple uicem minoris gerere. [Sic. n. c, & in b, & in a, est,] per c, intellige medium. i. substantia, per b, uero hominē. per a, autem corpus, & fiat hoc pacto syllogismus. Omne corpus est substantia,

tia,(est uera) nullus homo est substantia,ergo nullus homo est corpus. dicit ipse,si c,est in b, & in a, vel si substantia est in homine. [Si accipiatur in a, quidem esse.]i.si accipiatur c, vel substantia esse in a, aut in corpore, [in b, vero non esse.]i.& non esse in homine, [quæ quidem a,c,] i.maior extremitas siue omne corpus est substantia, [vera erit,altera autem.]i.minor extremitas vt nullus homo est substantia [falsa.] Deinde quomodo contingat econtra, ostendit cum dicit.[Item si in b,] idest in homine[accipiatur c, esse,]siue substantia;[in a,autem nullo est,]i.in corpore nulla esse substãtia, aut sic dicas. Item si accipiatur c,aut substantia,esse in b,aut in homine, & est minor extremitas, vt omnis homo est substantia: & si accipiatur a,siue in corpore nullo esse substantia, tunc fiet syllogismus, per minorem veram, & maiorem falsam hoc modo.nullum corpus est substantia,omnis homo est substantia, ergo nullus homo est corpus.ideo. d. [q̃ quidem est c, b.] i. minor extremitas, omnis homo est substantia.[vera erit, altera autem falsa.] i. maior propositio. Deinde quoddam epilogum facit. d.[Siquidem igitur priuatiuus fit deceptionis syllogismus.] i. si syllogismus adest, qui concludat per ignorantiam negatiuam falsam, [dictum est quando,]uel in qua figura, [& per quæ erit deceptio.]siue per quas propositiones falsas erit iste syllogismus. accedit deinde ad quintam conclusionem. in qua ostendit,ac determinat de syllogismo ignorantiæ non negatiuo, sed de affirmatiuo in propositionib. mediatis nunc,& primo quomodo per medium proprium. secundo per medium simile proprio. Tertio per medium extraneum, & hoc fit nisi in prima figura, quæ concludit sola vniuersaliter affirmatiue.d.ergo.[Si vero sit affirmatiu⁹,] siue syllogismus deceptionis concludendo affirmatiue,[tunc cum per proprium medium] fit syllogismus[impossibile est vtrasque esse falsas,] supple præmissas. [Necesse est enim]illã propositionem,[quæ est c,b,] i. minor extremitas [manere,] ut patet in hoc exemplo omnis substantia est quantitas,omnis homo est substantia, igitur omnis homo est quantitas, & hoc est, quod dicit. [Siquidem erit syllogism⁹ sicut dictum est,& prius.]i. si recte seruabitur ibi forma syllogistica, vt dictum est cum de syllogismo priuatiuo agebatur.[quare,c,a,]i.maior extremitas, ut omnis substantia est quantitas [semper erit falsa, hæc enim est conuersa.]i.in oppositam qualitatem.propterea quod si acciperetur in syllogismo non ignorantiæ esset hæc maior negatiua, & uera, ut nulla substantia est quantitas. Deinde subdit: si mediũ accipiatur simile proprio, utpota ex alia coordinatione, vt in hoc exẽplo. omne coloratum est quantitas omnis homo est coloratus, igitur omnis homo est quantitas. vbi patet coloratum esse qualitatis, quæ qualitas est diuersum prædicamentum a,quantitate.dicit igitur. [Similiter autẽ est] syllogismus deceptorius, quod maior semper erit falsa, & minor vera, & si ex alia coordinatione accipiatur medium,sicut dictũ est, & in priuatiua deceptione.]q. d. quod similiter continget deceptio, si accipiatur medium ex coordinatione accidentali, quod medium est simile proprio,eo q̃d diximus syllogismum ignorantiæ esse in concludendo priuatiuam falsam,vel affirmatiuã, per medium proprium, vel per simile proprio, deceptione in prima figura. Semper enim uera erit minor extremitas,& falsa maior, & variabitur. [Necesse enim est, quæ quidem est d, b,] i. minor extremitas, omnis homo est coloratus[manere,quæ uero est a,d,] idest maior, puta omne coloratum est

quantitas

quantitas[conuerti.]i.se habere econtra,& erit falsa. accedit demum ad vltimam conclusionem dicens. in qua demõstrat qualiter se habeat fieri per syllogismum in quo medium est non proprium,& extraneum. Primum ubi medium est non proprium.d.[cum uero sic non per proprium:] supple medium, fiat deceptio, aut per medium extraneum.[Siquidem sit d,]i. mediũ sub maiori extremitate[sub a,hęc quidem,]a siue maior extremitas [erit vera,altera uero falsa.] i. minor. formetur vnus syllogismus hoc pacto,omne lignum est inanimatum, omnis homo est lignum,ergo omnis homo est inanimatus.[Potest enim esse a, in plurib.] per a,intellige inanimatum,in maiori extremitate positum, de pluribus dicens,[quæ non sunt sub se inuicem.]i. prædicatur de pluribus medijs, q̃ sunt extranea à minori extremitate,utputa de ferro, auro, ere, & huiusmodi,quæ sunt extranea à minori extranea ab homine.[Si vero non sit d,]i. medium, [sub a,]i. sub maiori extremitate[hæc quidem,] scilicet maior [manifestum est quoniam semper est falsa:affirmatiua enim accipiatur.] aut dicas hoc modo, ut habet alius textus, affirmatiua enim hæc accipitur;[quæ uero est d, b,]i.minor extremitas[contingit,&veram esse, & falsam:] propterea quod nihil prohibet a,quidem in nullo d,esse,d,autem in omnibus] declarat quid per has literas intelligat. d. ut animal in scientia.]i.ut nulli scientiæ inest animal,[scietia autem,ut musica.]i.& omni musicæ inest scientia,[neque utique a,in nullo d,neque d, in nullo b, esse.] q.d.quare sequitur,quod a, sit in nullo d,& d,in nullo b,ut dictum est. formetur sic syllogismus in terminis philosophi.Omnis scientia est animal, omnis musica est scientia, igitur omnis musica est animal, animal quæ est maior remouetur ab omni scientia uniuersaliter, & est falsa: minor uero est vera,sed conclusio est contraria negatiue mediate uerę.[Manifestum igitur est, quoniam cum nõ sit medium proprium, & utręque possunt simul esse falsæ,& quæcunque contingit,] quasi dicat,quod cum medium non contineatur sub maiori extremitate,possunt esse utręque falsę, & altera earum quæcunque contingit.Demum epilogat.d. [quot quidem igitur modis possunt fieri deceptiones per syllogismum, & p̃ quæ siue per quas pręmissas,&in alijs, quæ sunt sine medio.]i. in pręmissis immediatis, & in ijs quæ sunt per demonstrationem,] idest in præmissis mediatis,[manifestum est:]ac declaratum.

Tex.49.Manifestum vsque. Est autem. Cap. XIIII.

EGit supra de ignorãtia aggenerata per syllogismum, quæ dicebatur ignorantia prauæ dispositionis. in præsenti capitulo agit Aristoteles de ignorantia puræ negationis. vltimum caput est huius tractatus, quod continet unam tantum conclusionem. intẽdens huiusmodi scientiam nos docere quod si deficit nobis aliquis sensus,deficit & scientia illius, uerbi gratia, si quis caret uisu, caret etiam scientia colorum. si quis auditu caret, caret etiam scientia harmonicorum, & hoc est quod dicit ipse.[Manifestum est autem, & si aliquis sensus defecerit, necesse est aliquam scientiam deficere, quam impossibile est accipere:] nanq; qui caret auditu, impossibile est ut sciat ac discat fidibus.[Siquidem dicimus, aut per inductionem, aut per demonstrationem.]q.d.quod uerum est,quod deficiente sensu,& scientia quoq;,propterea quod sciẽtia aggeneratur,aut p inductionem siue per particularia,quę supponunt sensum, aut per demõstrationem.

tionem. [Est autem demonstratio ex vniuersalibus: inductio autem ex ijs, quæ sunt particularia,]& hæc est differentia inter scire per demonstrationē, quæ procedit ex uniuersalibus, & per inductionem, quæ per singularia. Deinde subdit [impossibile autem est uniuersalia speculari, nisi per inductionem,[quasi dicat,quod scientia de uniuersalibus non potest sciri, nisi inducendo, igitur nisi præcedente notitia singularium, non potest haberi scientia uniuersalium, & ratio est in promptu,]quoniam & quæ [scientiæ]ex abstractione,[ut mathematicæ]dicuntur est per inductionem notā facere, si quis vult nota facere,[tanto igitur magis, quæ non sunt per abstrationem oportet, ut faciant nota per inductionem: nanque mathematici assignant lineam quæ non est in materia abstracta,vtputa hanc in marmore, uel ligno, [quia sunt in vnoquoque genere quædam,& si non separabilia sint secundum quod huiusmodi unumquodque est,] idest quia sunt in unoquoque genere abstractorum quędam particularia,quę licet non sint separabilia secundum,]quod huiusmodi sunt,tamen omnia uia sensus sunt separabilia, & si non possunt a materia separari secundum rem, tamen secundum intentionem possunt. igitur.[Inducere nō habentes sensum, impossibile est:quoniam sensus est singularium: nanque non contingit accipere scientiam ipsorum,] supple particularium, nisi per inductionem, & per sensum,[neque enim est ex uniuersalibus sine inductione, neque per inductionem sine sensu,]quasi dicat,non est scientia ex uniuersalibus,sine inductione,neque est scientia per inductionem sine sensu.igitur cum nihil scitur nisi hoc modo dicto, relinquitur quod deficiēte sensu, deficit,& scientia.Aduerte tamen, quod Aristoteles intelligit de illo qui semper priuatus fuit illo sensu, utputa qui cęcus fuit a natiuitate. quoniam si vidisset prius, tunc etiam posset habere scientiam colorū: similiter & musicus, si prius auditum habuit, quia tunc priuatus sensus potest habere scientiam. Notatione dignum est secundum Egid. quod vniuersales ꝓpositiones mediate possunt sciri per uniuersales propositiones immediatas, & per principia, siue per dignitates: ipsa uero principia, & dignitates sciuntur uia sensus, & per inductionem. Ad hoc ergo uadit Philosophi ratio, quod non contingit scire per vniuersalia principia, & per dignitates. nisi sciuerimus ipsa principia uniuersalia,& ipsas dignitates. hæc autem non possumus scire nisi uia sensus & per inductionem.igitur nihil est scire per uniuersalia nisi uia sensus, & per inductionem,& hæc satis pro præsenti capitulo.

Tex. 59. Est autem omnis syllogismus, vsque si igi. Cap. XV.

Iste est tertius tractatus huius libri, vsque ad cap. 10. nequis putet dari infinitatem in prædicatis ad hoc,ut recedamus ab hac scientia, ideo in præsenti capitulo docet,omnem syllogismum constare ex tribus terminis, scilicet maiori,minori,medio, & hos terminos tam in propositionibus,affirmatiuis,quam negatiuis in infinitum abire non posse demonstrat.continet hoc caput quinque suppositiones, & tres quęstiones,cum uno corrolario,& vna conclusione. in præsentia sunt suppositiones, & corrolarium. quantum ad primam inquit ipse. [Est autem omnis syllogismus per tres terminos,& quidem monstrare possibilis est.]i. omnis syllogismus est per tres terminos ordinatos in modo & figura. s. maiorē extremi-

tremitatem, & minorem extremitatẽ, & medium, & facilis ac possibilis est declarare istum syllogismum. Declarat deinde in terminis fiat primum sic syllogismus omne b, est a, omne c, est b, igitur omne c, est a, maior terminus sit a, siue maior extremitas, minor extremitas, siue minor terminus sit c, medius autem b, dicit ergo. hoc patet qđ potest demonstrari. [quoniam a,]i. maior terminus [est in c,]i. in minori termino, aut maior extremitas est in minori. [Propter id quod est in b,]i. in medio, [& hoc,] supple b, [in c,] & est minor. Secunda suppositio est ista cum. d. [Sed priuatiuus.]i. sed forma syllogismi priuatiui. i. negatiui [est quidem habens alteram propositionem, quoniã est aliquid aliud in alio, alteram autẽ. quoniam non est.] q. d. quod syllogismus negatiuus. i. concludens, negatiue, ne cesse est alteram præmissarum esse negatiuam, & aliam affirmatiuam, affirmatiua est quippiam significans aliud de alio. negatiua vero, quod non sit aliud in alio. [Manifestum est igitur quod principia, & quæ suppositiones sunt dicta, hæc sunt.] q. d. quod est manifestum (ad tradendam formam syllogisticam, constare omnem syllogismum affirmatiuũ verum, vel negatiuũ, & ad probandum hoc,) quod hæ sunt suppositiones, & principia. quoniam [accipientem hæc sic,] scilicet quod syllogismus ex tribus terminis cõstet, & sit sic forma syllogistica, [necesse est monstrare:] datque exemplum in terminis: [vt] demonstrando, [quod a, sit in c, per hoc medium b, iterum] si uolumus demonstrare, [quod a, sit in b, per aliud medium.] Præterea, [& [si volumus ostendere [similiter quod b, sit in c,] nempe per aliud medium, hic quæritur si hoc in infinitum possit fieri. Tertiam deinde suppositionem ponit cum dicit [secundum igitur opinionem syllogizantibus, & solum dialectice,] scilicet secundum argumẽtationem dialecticam solum, [manifestum est, quod hoc solum intendendum si ex quibus contingit maxime fiat syllogismus,] quasi dicat, ubi fiat syllogismus dialecticus opinionem inducens, sufficit solum ad hoc intendere, quod omnes p̃missæ sint probabiles, siue uerisimiles, & opinabiles, quæcunque fuerint indifferenter, vel per se, vel per accidẽs. Accedit deinde ad corrolariũ d. [Quare & si est aliquid in veritate eorum, quæ sunt a, b, medium: videtur autem non esse per hoc syllogizans, syllogizat dialectice.] q. d. quare si occurrat in syllogizando aliqua propositio dialectico, quæ habeat medium. i. sit propositio mediata, sed propter eius probabilitatem per se nota videatur, sufficiet dialectico, & syllogizabit dialectice, uel sic dicat, quod si eorum q̃ sunt a, b, medium. i. hæc propositio in veritate sit mediata: si tamen uideatur, ac probabiliter immediata appareat esse, vel non mediata, sufficit ad hoc, ut dialectice syllogizet. quartam suppositionem deinde ponit. d. [Ad ueritatẽ autem.]i. ad syllogizandum demonstratiue [ex ijs quæ sunt oportet intendere,]i. spectat, ut ex his procedat quæ secundum veritatem sint immediata, [habet autem se] demonstrator [sic.] siue per hanc uiã procedit. hæc est quinta suppositio cum dicit. [Quoniam autem est quod ipsum quidem de alia p̃dicatur, non secundum accidens:] idest, quia est dare quædam quæ per se p̃dicantur, & non secundum accidens. [Dico autem secundum accidens, ut album aliquãdo dicimus illud esse hominem, non similiter dicentes, & hominem album,] idest hæ duæ propositiones sunt secundum accidens, sed nõ similiter: ut homo est albus, & albũ est homo. in prima enim accidens prædicatur de subiecto. in secũda uero subiectum prædicatur de accidente: & nõ

sunt

sunt similes hi modi. [Cum enim non sit alterum, aliquod album est,] quasi dicat, album prædicatur de homine, non quod album sit aliquod alterum, sed [quoniam homini accidit esse album.] i. illud prędicatum cum dicim' album est homo, homo non dicitur de albo, nisi quia dicitur de eo, cui accidit esse album. [sunt igitur quædam huius modi, quæcunque secundum se prædi cantur.] i. talia sunt prædicata ex quibus demonstrator procedit: quæ sunt per se, non autem per accidēs: sed dialecticus potest uti propositionib. quæ sunt per accidens, & quæ sunt per se. Vbi notandum quod ex puris negatiuis nihil sequitur, & ex puris affirmatiuis non potest sequi conclusio negatiua. igitur syllogismus priuatiuus debet habere alteram præmissarum ueram, & alteram falsam ad hoc, ut negatiue concludat. Secundo notandum est propositionem immediatam, (ut ad hoc spectat) posse dici dupliciter. Primo modo secundum ueritatem, ut supra ostensum est, quæ est illa qua non est altera prior: & hanc semper accipit demonstrator ex illa mediate, vel immediate demonstrando. Secundo modo, dicitur immediata secundū apparentiam, & hāc accipere potest dialecticus; propositio immediata secundum apparentiam est, quæ uel plurib. uel omnibus apparet per se nota, & hæc dialectico sufficit, ut inducat opinionem, quia ut in Rhetoricis dixim' dialecticus opinionem generat, & demonstrator veritatem. Tertio notandum est, Aristotelem distinxisse per se, & per accidens: ad hoc vt ostenderet, quod demonstrator non abit in infinitum, & quod non est demonstratio cuiusque rei. nanque si posset accipere ea quæ sunt per accidēs, iret quodammodo in infinitum: quia huiusmodi sunt indeterminata, ac infinita quodāmodo. patet igitur, quod dictum est.

Tex. 51. Si igitur C. vsque. Quoniam igitur.

TRes ut in principio capitis diximus, mouet Philosophus quęstiones, & prima pertinet ad minorem extremitatem. Secunda ad maiorem. Tertia ad media pertinet. Quantum ad primum mouet hoc modo nunquid contingat abire in infinitum in ascendendo. dicit igitur. [si igitur c,] i. minor extremitas, [quod ipsum quidem non sit in alio,] i. quod ita sit quod nihil sit sub eo, uel quod de nullo per se superiori prædicetur. [in hoc autem] supple c, [b, sit primo,] i. de c, immediate prædicetur b, [& nō per aliud mediū.] i. & nō sit inter hęc aliud medium. [Iterum e, de d, sit.] i. & iterum e, prædicetur de d, [& similiter, & hoc] supple d, sit [in B, nunquid igitur hoc necesse est stare, an cōtingit in infinitum ire?] quasi dicat, si habeant hæc quatuor hoc modo, c, b, e, d, c, autem sit specialissimum, & supra c, immediate sit b, & supra b, e, & supra e, sit d, quæritur an ibi sit status aut est abire in infinitū? v. g. ab homine incipiendo, quod est specialissimū, deinde ad animal, postmodum ad corpus, & similiter? secundam quæstionem ponit cum. d. & est de maiori extremitate in descendēdo. [Et iterum] siue, & idem [si de a, quidē nihil prædicatur per se.] i. de maiori extremitate, & nihil sit supra ipsum, [a, autem est in f, primo.] i. immediate a, prædicetur, [medium autem] supple f, quod erit medium inter a, & alia sit [in nullo priori,] idest nō sit in aliquo priore, quam in a, i. sit immediate in a, [& f,] quod est medium inter a, & alia sit [in a, & hoc] supple a, sit [in b,] i. se habeant in descendendo a, f, in b, [nunquid, & hoc stare necesse est?] siue permanere in hoc? [an & hic contingit in infinitum abire?] i. aut debet fieri iste

processus in descendendo, incipiendo ab a, supra quo non est dare aliud supremum, aut est descendere in infinitum? dat deinde differentiam inter has quęstiones. d. [differt autem hoc à priori intantum quoniam hoc quidem.] i. quæstio quæ posita est prius; [est] quæstio [nunquid contingit incepturum ab huiusmodi, quod in nullo est altero sed aliud in illo, in sursum in infinitũ abire.] i. nunquid contingit ab vltimo incipere, & ire sursum in infinitum: [alterum autem incepturum ab huiusmodi, quod ipsum quidem de alio, de illo autem nihil prædicatur, in deorsum intendentem si contingit in infinitum ire,] quasi dicat, quod altera quęstio est quæ quærit vtrum incipere ab aliquo sic supremo, quod nihil de ipso prædicatur: sed ipsum cõtingit de alijs deorsum descendere, & sic ire in infinitum? & hoc est dicere, vt breuiter dicam, prima præsupponit vltimum, & quærit nunquid sit descendere sursum in infinitum. Tertiam quæstionem ponit deinde. d. [Amplius, media] supple cõtingit quærere nunquid media [contingit infinita esse determinatis terminis?] i. nunquid existentibus extremis aut terminis finitis, contingat media ipsa esse infinita? [dico autẽ, vt si a, in c, sit.] q.d. quod si sint determinata, vt nihil sit supra c, & [medium ipsorum] inter a, & c, [sit b, ab ipso autem b, & ab a, altera.] i. ab ipso b, & ab a, vel inter b, & a, alterum sit medium, puta q. [Sed horũ alia.] i. sed inter hęc media sint alia media, quæritur [nunquid & hæc] media [in infinitum cõtingit abire? an impossibile est] in infinitum ire? ita vt sint semper media, & media mediorum. Ostendit quid (quasi soluendo) quærant hæ quæstiones cum dicit, [est autẽ hoc quidem intendere idem, & si demonstrationes in infinitum veniunt.] i. idem est hæc quæstio ac si quæratur nunquid demonstrationes in infinitũ procedant, & nunquid si cuiuslibet rei demonstratio: vt ipse subdit. d. [& si est demonstratio omnis rei, an ad inuicẽ concludantur.] i. vtrum sit demonstratio omnium rerum, vel ipse demõstrationes intra terminos finitos includantur. Dicit deinde quod prædictæ quæstiones possunt formari in negatiuis syllogismis cum dicit. [Similiter autẽ dico c, in priuatiuis syllogismis.] i. in syllogismis negatiuis, [& propositionibus; vt si a, non inest b, nulli,] vt nullum b, est a, cũ sit negatiua vera, quærendum erit nunquid a, [primo] siue immediate remoueatur ab ipso b, [aut est aliquid medium cui priori non inest a,] i. aut sit aliquod medium cui nõ inest a principaliter, [aut si sit c, quod omni b, inest, & iterum hoc non etiam alij priori, vt si a, est quod sit in omni b,] quasi dicat quærendum esset num a immediate ab ipso b, remoueatur, aut mediante alio priori, & si mediante aliquo priori, igitur c, quod vniuersaliter de b, prædicatur, iterum quærendũ erit, num a, ab ipso c, remoueatur, mediante priori aliquo, vt si esset aliquid quod vniuersaliter prædicaretur de c, & sic dicẽdo esset dubium nunquid in infinitum sit procedendum: [nanque in his, aut infinita sunt uidelicet priora [in quibus non est in prioribus aut statur.] i. in quibus prioribus non insit a, aut statur, & non est processus in infinitũ, verbi gratia, nullus homo est qualitas. est vera; sed per hanc probatur nullũ aïal est qualitas: qualitas enim primũ remouet ab animali, dein de ab homine: quoniam ista propositio nullum animal est qualitas est magis propinqua immediate, quam illa nullus homo est qualitas: & per consequẽs dubium erit nunquid hoc modo procedatur in infinitum. Ostendit demum quod hæ quæstiones non habent locũ in propositionibus conuertibilibus, & hæc est conclusio huius capitis. d. [Sed in

in conuertibilibus non similiter se habet:quia non est in eque prædicabilib. de quo primo pdicatur,aut vltimo:] i. quoniam non est dare aliquid, de quo aliquid primo prædicetur,aut vltimo: ita ut prius de uno prædicetur , quam de alio, & patet hæc consequentia,eo quod prædictæ quæstiones non fiunt nisi ascensu, & descensu prædicatorum. nanque [omnia ad omnia sic similiter se habent,[quasi dicat,quod conuertũtur,& sunt eodem modo,[sine sunt infinita]talia conuertibilia [de ipso prædicata, [siue de aliquo conuertibili, [siue utraque sunt dubitata infinita: nisi similiter conuerti contingat:sed hoc quidem sicut accidens,illud uero sicut prædicatum,]quasi dicat, quod omnia conuertibilia similiter se habent ad inuicem in prædicando, propterea qđ vnumquodque illorum de quolibet vniuersaliter prædicatur:si autem sint infinita conuertibilia,tunc ex utraque parte subiecti,& prædicati sunt infinita ;quoniam quoddam istorum est accidentale,sicut passio,alterum uero est prædicatum essentiale: uti diffinitio. Notandum autem quod in infinitis nõ est dare primum , quare si mundus esset ab æterno non esset dare primum hominem; ita quod nullus esset homo, qui ab alio homine non esset genitus. Sic ergo si præmissæ demonstratiuæ irent in infinitum,nulla erit prima ꝑpositio. quare, &c. Notat hic Lincon. quod hoc caput est potius de complectione bonitatis huius scientiæ, quam de complectione substantiæ. Item notandum, quod quædam est prædicatio impropria , & quædam propria. propria est cum diffinitio de diffinito prædicatur. prædicatio vero impropria se habet econtra,& hæc pro præsenti.

Tex. 52. Quoniam igitur vsque. Manifestum autem.Cap.XVI.

IN præsenti capitulo demõstrat Philosophus solutionem aliquarũ quæstionum,& illas reduci ad aliarum solutionem. nempe non esse infinita media si stent prædicata in sursum, & deorsum. Primum ostendit quod dubitatio de medijs reducitur ad dubitationem,quæ de extremis mouetur . Quæstiones autem de negatiuis,ad quæstiones de affirmatiuis reducuntur. Dicit igitur primum .[Quoniam igitur media non contingit infinita esse:si insursum,& deorsum stent prædicata, manifestum est.) q. d. quod manifestum est cum sit status in extremis, quod non contingit in infinitum nec ascendere, igitur nec media erunt infinita, quæ sunt inter ista extrema . exponit deinde.d.[dico autẽ sursum quidem , quod vniuersale magis est.]i.per ire sursum intelligo ad magis vniuersale procedere: [deorsum autem, quod particulare est.]i.& procedere deorsum est ad minus vniuersale . quemadmodum est eadem uia qua itur ab Athenis ad Thebas & a Thebis ad Athenas: sic idem est spacium per quod ascenditur, & descenditur in prædicamentali linea. Sed ascensus incipit a particulari, & tendit ad magis vniuersale . descensus vero ab vniuersale ad minus uniuersale descendit, & differunt ratione. [Si enim à prædicante de c , infinita sunt media in quibus b,]i.sit a,vnum extremum magis vniuersale , & c, sit aliud extremum specialissimum particulare, & sint infinita media inter a , & c, quorum quodlibet uocetur b.[Manifestum est quod continget utrique.]i.extremitati contingit stare.Declarat deinde, [ut ab a , in deorsum alterum de altero contingit prædicari in infinitũ,

antequã enim in c, ueniat, infinita sunt media,] quasi dicat, quod manifestum est tunc sequi, quod a, prædicatur de alio medio inferiori, cum igitur media sint infinita, sequitur etiam quod prædicatio in deorsum procederet in infinitum: sicque per consequens descendendo non posset ad extremum infinitum perueniri: sed est contra id quod positum est. Eodem modo arguitur, [& ab c. in sursum infinita antequã in a, veniat,] idest cõ tingit pertransire ascendendo ab ipso c, versus a, nunquã ad a, posset perueniri, eo quod infinita sunt media, per quæ media fierent ascẽdendo prædicationes. [Quare si hæc impossibilia sunt.] i. ambo extrema esse infinita, [& ipsius a, & c, impossibile est infinita esse media.] i. similiter quæ sunt med a ipsius a, & impossibile est, vt sint infinita. Dubitationem remouet d. [Neque enim si aliquis dicat, quod hæc quidem] supple media, [quæ] sunt [a b c, contingentia sunt adinuicem, vt & non sint media, illa vero non esse acciperes. nihil differt.] i. nihil refert si media, & extranea, quæ per a, b, c, intelliguntur sunt propinqua, ac contingẽtia siue proxima adinuicem. quoniam [quodcunque accipio eorum quæ sunt b, erunt ab a, aut c, infinita media.] q. d. si accipio quædam eorum, quæ sunt b, erunt infinita media, aut ad a, aut ad c, aut nõ erunt, vt subdit statim, [An nõ a, quo iam prima sint infinita siue statim, siue non statim, nihil differt? quæ enim sunt post hæc infinita sunt,] vel fiat punctus ibi infinita media. Deinde sequatur hoc modo interrogatiue. an non erunt infinita media ex quo iam primum positum est, quod sint infinita siue talia media statim accipiantur, aut nihil differt si non accipiantur statim? nam quæ sunt post hæc infinita esse ponuntur. Vbi notandum est de intẽtione Philosophi. esse impossibile pertransire infinita media, sed oportet stare tum in extremis esse. Ponatur quod a, sit substantia, & quod c, sit homo b, autem sit corpus, corpus animatum, animal, &c. patet quod antequam ab ipso a, in c, perueniretur esset pertransire infinita, & nunquam deueniemus in ipso c, ab a, incipiendo descensum. igitur si hæc sunt impossibilia necesse est, quod ascensus, & descẽsus siue media quæ inter hæc extrema reperiũtur esse finita, per a, & c, extrema ĩtelliguntur & per b, media: esse uero contingentia est media cum extremis adinuicem esse continua, & consequenter se habentia, & hæc sufficiant.

Tex. 53. Manifestum autem. vsque. Manifestum. Cap. XVII.

PRæsens caput continet vnam conclusionem, & vnum corrolarium. demonstrat enim, quod sicut in affirmatiuis prædicationibus non est procedere in infinitum, nec etiam in negatiuis est procedere in infinitum. probatque hoc in prima, in secunda, & in tertia figura. quantum autem spectat. ad primum inquit ipse. [Manifestum autem, & in priuatiua demonstratione quoniam statur siquidem in prædicatiua statur in vtrisque.] i. manifestũ est quod statur in priuatiua seu negatiua demonstratione propterea quod, & in prædicatiua, seu affirmatiua statur in vtrisque, s. & in deorsum, & in sursum ab vltimo in infinitum ire, neque a primo in vltimo.] i. sit in affirmatiua in quo statur neque ab vltimo sursum ascendendo in infinitum ire, neq; a primo in quo statur non cõtingat in infinitum ire. [Dico autem in quo statur, quod ipsum quidem in alio nullo est. sed in illo aliud vt c,)] i. voco vltimum in quo statur, quod de nullo alio inferiori prædicatur, aut in nullo inferiori

riori est: sed in illo est aliquod superius, vt c, si est vltimum vsq; ad a, ascendens, sub ipso vero nullum aliud est. [Dico autem primum, quod ipsum quidem de alio, sed de illo nullum aliud dicitur.] i. & primum illud dico, quod de alio dicitur, sed de illo nullum dicitur, vt est generalissimum de alijs dicitur sed supra illud nullum aliud est. Specialissimum vero contra. sequitur ergo quod [si hæc erunt.] i. si in prædicatiuis aut affirmatiuis erunt hæc. i. status in ascēdēdo, & descēdēdo: [manifestum est, & in negatione stabitur.] i. patet etiam quod nec contingit in negatiuis in infinitum ire, sed erit ibi status & in sursum, & in deorsum. Probat primum in prima figura. Sed primum fiat iste syllogismus nullum b, est a, omne c, est b, ergo nullum c, est a, aut sic nullum corpus animatum est quantitas, omnis homo est corpus animatum er go nullus homo est quantitas. stantib. his inquit ipse [tripliciter autem monstratur non esse.] i. propositio negatiua demonstratur tripliciter, [aut enim in quo quidem est c, b,] i. minor extremitas omne b, est c, uel omnis homo est corpus animatum [inest omni, sed in quo est b, nulli inest a,] i. sed maior extremitas, nullum b, est a, insit nulli, idest sed non insit quantitas nulli corpori: [ipsum igitur b, c,] i. minor quæ est affirmatiua propositio, omne c, est b, [& semper alterum spacium.] i. ista minor si fuerit mediata quantacunque distantia fuerit inter subiectum, & prędicatum, tamen [necesse est ire ad immediata.] i. ad immediata reducetur: nanque in affirmatiuis hoc patet. [prædicatiuum enim est hoc spacium.] i. manifestum est, quod in affirmatiuis est spacium, eo quod non contingit abire in infinitum. igitur erit reducere hæc minor ad immediata, in quibus sit status. Deinde ostendit quomodo negatiua reducatur. s. nullum b, est a, dicens. [Sed alterum manifestum est,] vel sed altera propositio, nullum b, est a, aut nullum corpus animatum est quantitas, [quod si in alio non est priori, vt in d,] i. si quantitas, vel ista propositio nullum corpus animatum est quantitas, si non fuerit immediata, uel si non remouetur ab ipso d, hoc erit, quoniam quantitas ab alio prius remouetur, quam a corpore. [Hoc indigebit in omni b, esse.] i. oportebit hoc d, esse in omni b, per d, intelligatur corpus, & per b, animatum, [& sic iterum a,] i. quantitas [in alio priore, quam d, non fuerit: illud indigebit in omni d, esse.] i. si quantitas ab alio prius remouebitur puta a substantia, quam ab ipso d, uel quam a corpore: oportebit esse in omni d, i. oportebit substantia esse in omni corpore. [Quare quoniam in deorsum stat uia, & quæ in sursum stabit, & erit aliquid in quo primo non erit.] q. d. cum igitur in affirmatiuis procedamus sic ascendendo in quibus affirmatiuis erit deuenire ad aliquod supremum, & sicut in eis statur in deorsum, sic quoque stabit in sursum: tunc sequitur, quod erit deuenire ad aliquod primum, a quo primo remouetur quātitas capta pro litera a, ut nulla substātia est quantitas, & hic est status. igitur & in priuatiuis propositionibus erit status, quemadmodum, & in prædicatiuis. probat deinde in secunda figura, vt omne a, est b, uel omnis homo est animal, nullum c, est b, aut nulla quantitas est animal, ergo nullum c, est a, vel ergo nulla quantitas est animal, a, sit homo, b, animal, c, quantitas. Stante hoc dictum fuit, quod concluditur negatiue per primam figuram, quomodo vero per secundam nunc dicamus. [itē si b, quidem,] idest animal [in omni a,] i. sit in omni a, ut omne a, est b, & est maior extremitas, [in c, autem nullo,] idest, & b, sit in nullo c, & est minor, ut nullum c, est b, [a, in c, uullo erit.] idest

est concludetur, quod nullum c, est a, idest si b, medium de a, & de b, prædicetur in propositionibus de vno affirmatiue, & de alio negatiue, per secundam figuram concludetur, quod nullũ c, est a, quomodo reducatur ad immediata ostendit dicens. [Iterum hoc si oportet monstrare.] i. reducẽdo ad immediata, [manifestum est, quod aut p superiorem modum sursum monstrabitur, aut per hunc, aut per tertium.] i. patet quod demonstrabitur per ea q̃ sursum dicta sunt. i. per primam figuram, aut per hunc. i. per secundam figuram, aut per tertiam. [Primus quidem igitur dictus est.] i. primus modus, vel per primam figuram. [Secundus autẽ monstrabitur.] i. per secundam figurã. Deinde exemplificat per literas. per d intelligatur animatum, per b, animal, per c, autem quantitas. Dicit ergo. [sic autem vtique monstrabitur: vt quod d:] i. animatum [in omni b, est,] i. in omni animali, [in c, autem nullo,] i. sed in nulla quantitate; [si necesse est aliquid esse in b.] i. in animali, [& iterũ si hoc.] i. d, siue animatum [in c, non erit.] i. in quantitate immediate, [aliud vero in d, est.] i. in animato est, [quod in c, non est.] i. quod non est in quantitate. [igitur quoniã esse semper superiori stat, Stabit, & non esse.] q. d. cum igitur non sit procedere in infinitum in talibus, sed sit status in ascendendo, sequitur etiam quod in demonstrationibus negatiuis, seu priuatiuis non erit procedere in infinitum. Ostendit per tertiã figuram cum dicit. [Tertius autem modus est.] i. quod concludatur negatiue, scilicet tertia figura, est huiusmodi. formetur prius iste syllogismus nullũ b, est a, uel nullum animal est quantitas, omne b, est a, uel omne animal est corpus animatum. ergo aliquod a, nõ est c, vel ergo aliquod corpus animatum non est quantitas. Stantibus his. Per b, intelligatur animal, per c, quantitas, & per a, corpus animatum, [si a,] i. corpus animatum [omni b, insit.] i. omni animali, & est minor, [c, uero.] i. quantitas [in nullo b, sit.] i. in nullo animali, & est maior, ergo [non in omni c,] i. in quantitate [in quo est a,] i. corpus animatum est c, & est conclusio nempe aliquod a, nõ est c, vel aliquod corpus animatum non est quantitas. Quomodo fiat reductio ad immediata subdit cum dicit. [Iterum autem hoc per superius dicta, aut similiter demõstrabitur,] quasi dicat, quod iterũ hoc supple nullum b, est c, si non est immediata oporteтque ad immediata reduci, per superius dicta, vel per primam, & secundam figuram, vt demonstratũ fuit, & demonstrabitur, aut similiter. i. per tertiã. [illis igitur modis statur. s. per primam, & secundam figuram cũ fit reductio ad immediata, quasi dicat, restat, ut ostendamus quomodo fiat reductio per tertiã figuram. ideo subdit. [Si vero sic est,] quod oportet, vt fiat reductio per tertiam figurã, quod hæc non sit immediata, nullum e, est c, & oportet in tertia reduci [accipietur b, in e, esse,] i. accipietur e, medium esse sub b, per b, intellige corpus, per c, incorporeum, per e, uero animal, & formetur sic, nullum e, est c, vel nullum animal est incorporeum, omne e, est b, i. omne animal est corpus, igitur, quoddam b, non est c, vel ergo quoddam corpus non est incorporeũ. stante hoc, [in quo c,] i. incorporeum [in omni e,] i. in omni animali: [& hoc iterum similiter.] i. iterum sub b, accipiatur aliquid quod ab ipso c, remoueatur. [quoniam suppositum est stare, & in deorsum; manifestum est quod stabit, & quod in c, non est.] q. d. & quia suppositum est in affirmatiuis secundũ descensum esse statum, sequitur etiam quod manifestum est, & in negatiuis statum esse, secundum eundem. Notandum autem est Aristotelem dixisse si

in

in deorsum est status,& i sursum quoque. mentionem fecit de deorsum,eo quod sensui magis patent particularia quæ sunt vltima,& vbi fit status,quam magis vniuersalia. Item notatione dignum est,quod reducere propositionē mediatam ad immediatam nil aliud est facere,quam propositio,quę est mediata,vt fit immediata,& hoc est procedere vsque accipiatur ista propositio, verbi gratia, si iste syllogismus habet conclusionem immediatam(factum in tertia figura,) nullum b,est c, omne b, est a,ergo quoddam a, non est c,habetur intentum, quod si illa propositio maior nullum b, est c, quæ est negatiua non est immediata, tunc debemus iterum syllogizare, vsque deueniatur ad immediata.

Tex.54. Manifestum autem vsque. Sed quod.

HOc est corrolariū huius capitis. in quo remouet dubitationem, quæ posset mouere quorundam animos,nempe,quod & si in propositionibus negatiuis fit status aliquando, vbi in vna figura tm̄ fiat demonstratio, tamen vbi in prima nunc, & nunc in secunda, nunc uero in tertia continget in infinitum abire:remouens ipse hoc, inquit.[Manifestum autem est quoniā, & si non vna via monstretur,sed omnibus] supple vijs, quoniam monstrantur fieri tales reductiones [aliquando ex prima figura,aliquando vero ex secunda,aut tertia,quoniam sic stabitur: finitæ enim sunt viæ,]quasi dicat,quod existente statu in affirmatiuis, scilicet, quod est deuenire ad immediata, sic oportebit esse statum in negatiuis, qa huiusmodi viæ demonstrandi diuersę, sunt finitę.[Finita autem finite sumpta pluries,necesse est finiri omnia,] quasi dicat,si finita finities accipiantur necesse est totum esse finitum. demum epilogat.d.[quod quidem igitur in priuatione siquidem, & inesse statur, manifestum est,]quasi dicat, manifestū est, quod necessarium est esse statum in negatiuis siue priuatiuis,si est status in affirmatiuis,& hæc sufficiunt pro pręsenti capitulo.

Tex.55. Sed quod vsque. Vniuersaliter. Cap.XVIII.

IN pręsenti capitulo ostendit Aristoteles, quod in prædicamentis nō est processus in infinitum. Primo præmittit vnam conclusionem. Secundo dat tres modos demonstrandi. Tertio & vltimo ponit vnum corrolarium, ibi si vero.secundum autem, vbi dicit. Vniuersaliter.quantum pertinet ad primū inquit ipse, & est conclusio,[sed quod qui.] i. quod aliqui [quidem speculantur logicè.] i. per rationes logicas [in illis]extremis in quibus non est abire in infinitum[sic manifestum fit.]ex dictis,& primo in substantialibus seu essentialibus prædicatis, ideo subdit[in ijs quidem igitur, quæ quidem in eo quod quid est prædicantur, manifestū est,] quasi dicat, manifestum est, quod in ijs quæ prædicātur quidditatiue seu diffinitiue, non contingit abire in infinitum. rationem ponit. d. quia [si est,] vel si contingit [diffinire] aliquid,[aut si notum est, quod quid erat esse.] i. si erat notū diffinitio alicuius, vel si erat notum quod est dare diffinitionem alicuius[infinita autem non est transire.] i.non contingit transire infinita, quoniam si esset pertransire non esset diffinire aliquid.sed diffinitio datur, & per nota, & in diffinitione continentur essentialia illorum prædicatorum, igitur,non ibi adest infinitas.[Necesse est autem finiri in eo quod quid est prædicatiua,]quasi dicat, quod prædicatiua,

vel

vel prædicata essentialia necesse est finiri, aut esse finita. Vbi notandum est, quod per rationes logicas intelligit rationes procedētes ex communibus. Alber. uero dicit quod possumus intelligere ea quæ procedunt per modum inuentionis. Analyticæ vero quæ procedunt via iudicij principiatum, resoluendo in sua principia. possumus quoque notare, quod si prædicata essentialia essent infinita, nihil esset diffinibile, at hoc est vanum, igitur, &c.

Tex. 56. Vniuersaliter autem vsque. Si igitur.

ISte est primus modus demonstrandi, vt diximus, ostenditque Aristoteles quod in omnibus prædicatis non sit abire in infinitum. dicit ergo primum. [Vniuersaliter autem sic dicimus.] i. dicimus vniuersaliter, quod in omnibus prædicatis sic. i. quod non sit abire in infinitum. Deinde sequitur qđ tres sunt modi prædicationis accidentalis. s. vel accidens de accidente prędicatur, vt album ambulat, aut substantia de accidente, ut magnum est lignū aut econtra accidens de substantia prędicatur, vt lignum est magnum. ideo dicit. [est enim uere dicere album ambulare,] & est accidens de accidente, & magnum illud lignum esse, [& est substantia de accidente prædicari, & iterum lignum magnum esse, & hominem ambulare,] & est accidens de substantia, [sed alterum est sic dicere,] supple a dictis prioribus, [aut illo modo] supple alterum est, quasi dicat, hi modi inter se sunt differentes. [cum enim album quidem esse dico, quod cui accidit album esse, lignum est: sed non quod subiectum ligno, album sit,] idest cum album non subijcitur per se ligno, sed accidit alicui album esse, qđ per se subijcitur ligno; ideo sequitur, aut dico album esse, [& nanque neque quod album est,] supple vere est lignū [neque quod quidem album aliquod est, factum vere lignum est.] deinde subdit [quare non est aliter, quam secundum accidens,] quasi dicat, quare non est vniuersale vere prædicari lignum de albo, sed aliquid secundum accidens. demonstrat quomodo accidens de substantia prædicetur. d. [cum autem lignum album esse dico, non qđ alterum sit album illi autem accidit lignum esse.] i. cum dico quod lignum est album, lignum subijcitur albo, non per aliquid aliud essentialiter a ligno, sed albū subijcitur ligno per aliquid aliud essentialiter ab albo, nempe per aliquod particulare lignum. Deinde subdit quomodo accidens de accidente. d. [vt cum musicum album esse dico, tunc enim quoniam homo est albus, cui accidit esse musicum, dico,] quasi dicat, cum accidens de accidente prædicatur, tunc subiectum subijcitur per accidens ratione eius cui musica accidit: vt cum dico musicum album, quoniam talia verificantur, quod accidens de accidente prędicetur: eo quod ambo insunt eidem subiecto: nam album de musico, vtrunque homini accidit. Deinde subdit. [Sed lignum est subiectum, quod quidem, & factum est non cum alterum aliquid sit, quā quod quidem lignū est, aut lignum aliquod] quasi dicat, quod si lignum est subiectum albi, aut si subijcitur albo, hoc non est quod sit factum album aliud, quam lignum: aut lignum aliquod particulare. Hic autem notandum est secundum Egid. quod cum posuisset tres modos prædicationum accidentaliū innuit esse duos modos cum dicit, qđ dicere hoc modo est alterum ab illo. quoniam quidem duo primi modi incidunt quodāmodo ad inuicem. nempe in prædicationem indirectam: nam quod accidens accidenti, & accidens substan-

substãtiæ subijcitur, est prædicatio indirecta, & demonstrator non vtitur talibus prædicationibus. cum autem accidens, aut de substantia, aut de subiecto prædicatur, tunc est prædicatio directa.

Tex. 57. Si igitur vsque. Quæcunque uero non substantiam significant, oportet.

HIc alia pars huius contex. poni potest. Deinde in præsentia inter hos tres modos prædicandi, qualis sit modus rectus prædicationis cum dicit.[Si igitur oportet nomina ponere.] i.quæ sunt prædicationes rectę,& propriæ,[sit sic dicere prædicari.] i. hoc modo dicamus prædicari . s. quando substantia, vel subiectum subijcitur; [sed illo modo] nõ.s. cum accidens de accidente, vel de accidente substantia prædicatur,[aut nullo modo prædicari] debetur in demonstrationibus,[aut prædicari quidem,non simpliciter,sed secundum accidens prædicatur.] q. d. quoniam hæc prædicatio per se nõ est sed secundum accidens, quia accidit accidentibus quod subijciantur. [est autem tanquam album quidem quod prædicatur .] i. id quod prædicatur se habet tanquam accidens, eo quod accidens non debet subijci,sed debet prędicari:vt sic homo est albus, nõ autem albus est homo.ideo.d.[sed sicut lignũ est de quo prædicatur.]q.d. illud quod se habet sicut lignum , aut sicut subiectum,illud est de quo prædicatur.sicut lignum.i.sicut substantia , vt supra patet. [supponatur ergo prædicatũ prædicari semper de quo prædicatur simpliciter , sed non secundum accidens. sic enim demõstrationes demonstrãt.] i.supponatur, quod prædicatum in demonstrationibus simpliciter,non autẽ hoc modo secundum accidens,quoniã sic demonstrationes procedunt , scilicet simpliciter,& per se. [Quare]quæcunque prædicantur, aut [in eo quod quid est.] s. substantialiter , siue essentialiter, prædicantur , [aut quoniam quale.] i. secundum qualitatis prædicamentum, [aut quantum.] i. secundũ quantitatem,[aut ad aliquid,]vel relatiue,[aut faciens.]i. agere [aut patiẽs] siue secundum pati,[aut vbi,aut quando,]& secundum omnia prædicamenta [cum vnum de vno prædicabitur.] q.d.debent prædicata accipi,quod vnũ prædicetur de vno.prædicata essentialia sunt cum dicit.[Amplius significantia quidem substantiam.]i. prædicata essentialia,[illud quod est,] prædicantur , [aut aliquod illud quidem significant de quo prædicantur.]i. aut prædicantur illud quod vere aliquod est, de quo vere prædicantur. [Quæcunq; vero non substantiam significant , sed de aliquo subiecto dicuntur.] i. quæ non sunt essentialia prædicata , sed de alio dicuntur, [quod non] vere [est, neque quod illud est.] i. neque totum subiectum,aut tota essentia subiecti est,[neque quod quidem illud aliquid est.] i. neq; aliqua pars essentialis illius subiecti,ideo talia,[accidentia sunt, vt de homine]est [album]prædicatum accidentale.[Neque enim est homo,neque quod quidem album est , neque quod quidem album est aliquid, sed animal forsan: quod quidem enim animal est: homo est.]q.d.album nec est homo,neque pars hominis , siue neque aliquid ipsius hominis, eo quod est prædicatũ accidentale, sed animal forsitan est aliquid, quoniam homo est animal , & hæc sunt prędicata essentialia,scilicet, quæ substantiam significant, vt homo est animal, quia subiectum est aliquid prædicati , quæ vero non significant substantiam,est vt ista,homo est albus. hic non est aliquid prædicati.

Tex.58. Quæcunque,&c.

HAec est alia pars huius contextus, in qua cauillationes quasdam remouet Philosophus. d. [quæcunque uero non substantiam significant.]i.omnia prædicata accidentalia [oportet de aliquo subiecto prædicari, & non esse quid album] supple non oportet, [quod non cum alterum aliquod sit album est,] quasi dicat, qđ illud est per se albū subiectiue, quod non est album per alterum subiectum, vt homo non est essentialiter album, neque aliquid albi.deinde aliam cauillationem ponit. d. [species enim. ideæ valeant. i.abeant, & genera, monstra enim sunt.]i. vana sunt, aut nihil sunt, [& si sint, nihil ad rationem sunt.] i.ad scientiam demonstratiuam; quia [demōstrationes de huiusmodi sunt.]i. de ijs quæ sunt in sensibilibus.non autem sunt de huiusmodi separatis. propterea quod diximus, qđ prædicata substantialia,sunt essentialiter subiectum aut aliquid subiecti. sed istę Ideę nil deseruiunt demōstrationi.deinde subdit.[Amplius,si non est hoc.]i.si subiectum non est [qualitas huius,] vel dispositio prædicati,[& illud] prædicatum non est [huius, neque qualitatis qualitas,] vel neque dispositionis dispositio: nam subiectum non se habet, vt dispositio,sed vt dispositum; & prędicatū nō est dispositionis dispositio, sed dispositi dispositio,& si sic est[ipossibile est æque prædicari ab inuicem sic.]i.ita æque subiectum de prædicato prædicetur sicut econtra. [Sed verum quidem contingit dicere sic: æque autem vere prædicari non contingit.] s. facere huiusmodi cōuersionem,vt homo est albus, & albus est homo, quasi dicat, quod & si sit utrunque verum,tamen vtrobique non est æque prædicatio. [An enim] supple prædicatum [pdicabitur sicut substantia,aut ut genus aut vt differentia prædicari?] supple contingit? quasi dicat,quod prędicata essentialia sunt, vt genus, & differentia, sed species inter hæc essentialia non connumeratur: eo quod prædicatur de indiuiduis,vel quia potest reduci ad genus. [Hęc autem] prædicata substantialia. [quoniam non erunt infinita,neque in sursum, neque in deorsum: vt homo bipes, hoc animal, hoc autem alterum est,] quasi dicat, quia supra ostensum est, quod in his essentialibus prædicatis, neque in sursum, neque in deorsum est processus in infinitum. ideo in deorsum,ut si quis diceret bipes de homine prædicari, tanquam genus, & animal de bipede, & aliud de animali,& sic in infinitum est, in sursum cum.d.[neque animal de homine, hoc] supple homo [de Callia, hoc autem] Callias [de alio in eo quod quid est.] i.essentiale de alio dicatur aliquo, sic enim est impossibile in infinitum procedere, sicut & deorsum. [Substantiam enim omnem est diffinire huiusmodi: infinita autem non est transire intelligentem.] q.d.quod dictum est, quod huiusmodi substantia est diffinibilis.i.prædicata media:si autem essent infinita, non contingeret diffinire. [quare neque in sursum, neq; in deorsum infinita sunt: illam enim] supple substantiam[non est.]i. contingit[diffinire; de qua infinita prædicantur,]quod est aperte dicere,ponere diffinientia esse infinita,est,acsi diceretur nihil est diffinibile. Notandum autem hic est, quod non quælibet substantia est diffinibilis: nam substantia generalissima non diffinitur, eo quod non habet supra se genus;per quod possit assignari diffinitio. differentia quoq; non recipit diffinitionem; quoniam cum diffinitio sit ex genere, & differentia, differentias differentiarum haberet,& sic esset processus in infinitum. igitur ista substantia media solum diffinitur,

quæ

quæ est species specialissima, aut species subalterna.

Tex. 59. Sic igitur vsque. Adhuc autem alius.

IDem ostendit in hac vltima parte huius contextus, quod non contingit ire in infinitum, & primo ostendit quod non contingit ire sic, in circulũ. Secũdo in rectum.d. igitur. [Sic igitur genera ad inuicem non æqualiter prædicantur.]f. si genera extrema ponuntur adinuicem prædicari, ita quod æque sit substantia est animal, & animal substantia: [erit enim ipsum] genus, [quod quidem ipsum aliquid est, neque tamen de qualitate, aut aliorum nullo, nisi secundum accidens prædica bitur,] quasi dicat, quod genus superius quod est quid magis vniuersale, vere est ipsum aliquid, neque tamen est conuersio de qualitate, ita vt qualitas de substantia, & econtra, prædicetur, aut nullum aliorum accidentium de substantia prædicetur, sed solum hæc omnia secundum accidens prædicantur. quoniam, [hæc omnia accidunt] substantiæ, [& de substantijs prædicatur,] non.f. econtra est. [sed quoniam neque in sursum infinita sunt.] i. sed quia prędicata in sursum infinita non sunt, igitur nec in deorsum: propterea quod omne quod prædicatur, [de unoquoq; quod significat prædicatur.] i. de suo prædicamento, [aut quantum aliquid, aut quale aliquid, aut huiusmodi quæ sunt in substantia.] i. aut quæcunque sunt in substantia. [hæc autem,] quæ sunt in substantia finita sunt, & genera prædicamentorum sunt finita,] id est prædicata, & omnia quæ sunt in substantia sunt finita, quia genera prædicamentorum sunt finita: nam quodlibet prædicamentum, quod in illa est, [aut quale, aut quantum, ad aliquid, aut facere, aut pati, aut vbi, aut quando,] supple significat. hæc per se clara. [suppositum est vnum de vno prædica ri,] quasi dicat, quod talia prædicata secundum compositionem nõ possint ire in infinitum patet, quia concessum est in demonstrationibus, quod vnum de vno prædicatur, & hoc dixit ad remouendam hanc dubitationem, quod quis posset dicere, quod quantitas prædicetur de substantia, & qualitas de qualitate, & in infinitum sic: excludit per hoc cum dixit, quod prædicamenta sunt finita, & quia etiam quis posset dubitare, quod primum prædicabitur vnum de vno, vt animal de homine, & ista prædicatio multiplicabitur vsque ad vnum nempe ad substantiam, deinde finito hoc, item diceret quis quod duo prædicamenta de vno prædicabũtur, vt homo est animal album, deinde tria de vno, vt homo est animal album magnum, & semper sic addendo in infinitum; ideo dixit, ad hoc remouendum, quod vnum de vno prædicatur. [Ipsa autem] substantia [de ipsis quæcunque non ad aliquid sunt, prædicari non dicimus.] i. quæcunquæ non sunt ad aliquid per se, sed sunt aliquid in alio, non dicimus prædicari supple in demonstrationibus, quia [accidentia sunt omnia:] neq; possunt per se subijci. [sed hęc quidem] subiecta [secundũ seipsa] subijciuntur [alia vero] accidentia [secundum alterum modum] subijciuntur. i. per accidens, vel sic dicas, quod hæc accidentia secundum seipsa prædicatur de subiectis; illa vero subiecta secundum alterum modum, idest per accidens de accidentibus prædicantur. [Hæc autem omnia] accidentia [dicimus prædicari de quodam subiecto, accidens autem.] i. quæ sunt secundum accidens dicimus [non esse aliquod subiectum,] quoniam [nihil talium] accidentium [ponimus esse, non quod alterum aliquod esse dicitur, sed

ipsum de alijs] supple ipsum euidens est in alijs, [& alia quidem de alio;] s. & alia quæ prædicantur de accidente, de altero prædicantur. i. de subiecto accidentis. quare ergo [neque in sursum vnum de vno, neque in deorsum.] i. in infinitum [esse dicetur] processus in prædicatis per se. [Sed quibus enim dicuntur accidentia, quæcunq; in substantia vniuscuiusque sunt hæc autem non sunt infinita,] quasi dicat, quod illa sunt subiecta per se quæcunq; sunt in substantiali diffinitione vniuscuiusque talium accidentium: quia diffinientia hæc non sunt infinita. igitur quoniam non est processus in infinitum in substantiali diffinitione: ideo in prædicatis per se in deorsum non est processus in infinitum. Ostendit quoq; quod est status in sursum. d. [sed sursum ipsa quoque] subiecta, [& accidentia vtraque.] s. tam subiecta, quam accidentia [non sunt infinita. Necesse est ergo esse aliquid de qua primum prædicetur, & de hoc aliud,] verbi gratia, simum primum, & per se de naso prædicatur, & de simo aliud, & ibi est stat⁹. ideo dicit, [& hoc stare, & esse aliquid, quod non amplius] vltra proceditur. [neq; de alio priori, neque de illo.] vbi est status [aliud prius prædicetur,] verbi gratia, si vsque ad substantiam deueniretur, de illa enim non dicitur aliquid prius. igitur & insursum est status. [Vnus quidem igitur modus demonstrationis, dicitur hic,] scilicet, quod dictum, & est quædam conclusio. hæc de primo modo.

Tex. 60. Adhuc vsque Analytice.

Alium modum demonstrandi ponit Aristoteles in præsenti contextu. dicens quod posteriora per priora sciuntur: nec possunt sciri ignoratis prioribus. Deinde quod oportet esse statum. dicit igitur. [Adhuc autē alius] supple est modus probandi, quod in prædicatis est status. hic supponere oportet, quod si quædam propositiones fuerint, quæ habent priora supra se quod per ista priora debent demonstrari, verbi gratia, homo est substantia, demonstratur per hanc omne animal est substantia: nanque substantia per prius demonstratur de animali, quam de homine. ideo dicit. [si de quibus priora quædam prædicantur, est horum] supple priorum, prius [demōstratio: quorum autem est demonstratio, neque potius habere possibile est ad ipsa.] i. non possunt se habere potius, vel melius ad ipsa posteriora, [quam scire] ipsa priora, [neque scire est,] vel neque contingit ipsa posteriora scire, [sine demonstratione. [si autē hoc,] quasi dicat, si aliquid posterius [sit notum per hæc.] i. per ista priora. [Hæc autem] priora [nescimus, neque melius habemus ad ipsa,] posteriora, [quam scire, neque per hæc notum sciemus,] idest neq; sciemus illud posterius, quod dicitur notum esse per priora. ergo. ignoratis prioribus, est necesse, & posteriora ignorare, quasi dicat, quod si volumus scire aliqua posteriora, necesse est nos scire priora, aut necesse est nos habere melius ad illa, quam scire. quoniam si illa sunt prima, & indemonstrabilia simpliciter, tunc necesse est nos habere melius quam scire, eo quod non est scientia talium sed intellectus. si vero illa priora alia priora habeant supra, tunc poterunt per illa sciri ac demonstrari. [si igitur est] aut contingit [aliquid scire per demonstrationem simpliciter, & non ex aliquibus; neque ex suppositione, necesse est stare prędicationes mediorum,] quasi dicat, quod si contingit aliquid simpliciter scire per demonstrationem, & non ex aliquibus concessis,

cessis, neque ex supppositione, necesse est quod sit status in prędicatis, quę accipiuntur, ut media.[si enim non steterint, sed semper est acceptio in superius, omnium erit demonstratio.] i. si non steterint prędicationes, sed erit semper accipere aliquod superius, tūc erit omnium demonstratio, sed hoc non est. ideo sub.[quare si infinita non impossibile est pertransire.] i. infinita media[quorum est demonstratio, hæc non sciemus per demonstrationem,] quasi dicat, cum ergo ea infinita, quorum est demonstratio, non contingat pertransire, sequitur quod non sciem⁹ hæc infinita per demonstrationem. [si igitur neque melius habemus ad ipsa, quam scire]huiusmodi priora,[non erit scire per demonstrationem simpliciter sed ex suppositione,] quasi dicat, quod nihil contingit scire per demonstrationem simpliciter; sed solum ex suppositionē, quod est oppositum antecedentis. Deinde epilogat. d.[Logice quidem,] vel per logicas rationes [igitur ex his vtique] dictis, [aliquis credat: de eo quod dictum est.] i. quod sit status; non autem processus in infinitum. Notandum hic est secundum Egidium, quod scientia præsupponit intellectum, intellectus autem non est nisi primorum, & immediatorum; igitur si non esset status in sursum non esset deuenire ad aliqua immediata, nullorum ergo esset intellectus, & per consequens nullius esset scientia. hoc igitur posito, priora non sciremus: quia non esset ea resoluere in immediata nec haberemus de prioribus nobiliorem cognitionem, quam scientiā vtputa intellectum: quoniam nō esset dare prius nisi in respectu: nihil igitur esset primum simpliciter.

Tex. 61. Analytice vsque. Neque tamen.

Ostenderat esse statum in prędicatis logice. hic probat esse statum analytice, & magis ꝓpria. distinguitque duos modos dicendi per se. Deinde quod in istis nō sit processus in infinitum. primum dicit Analytice autem,] idest per magis proprias rationes [manifestum est per hęc,] quę dicenda sunt [uelocius,] idest citius. q. d. quod per rationes Analyticas, quam per rationes logicas potest manifestari, quod[neque in sursum, neq; in deorsum infinita prædicata contingit esse in demonstratiuis scientijs de quibus intentio est:] in scientijs demonstratiuis, de quibus hic maximè intendimus non contingat ire prædicationes infinitum, secundum sursum, & deorsum. [Demonstratio enim est ex his quæcūque ipsa quidem insunt secundum seipsa rebus,] quasi dicat, demonstratio est solum circa illa, quæ per se insunt rebus. [Secundum seipsa,] idest per se [vero dupliciter.] i. dicuntur dupliciter. vno modo sunt per se[quæcunque enim] prædicata in illis[subiectis[insunt in eo quod quid est.] i. in eorū diffinitione, vt supra. i. primus modus dicendi per se est cum prædicatū est de diffinitione subiecti, [&] supple sunt prædicata per se, [in quibus ipsa,] idest in quibus prædicatis ipsa subiecta [in eo quod quidem est, insunt ipsis.] i. insunt ipsis prædicatis, in diffinitione ipsorum, quasi dicat, quod alius est cū subiectum est de diffinitione prædicati, verbi gratia, [vt in numero impar, quod] supple impar[inest quidem numero,] idest in secundo modo dicendi per se, quoniam[est ipse numerus in ratione,] idest in diffinitione[ipsius] imparis: [& iterum multitudo, aut diuisibile] est[in ratione] seu diffinitione [numeri.]

[numeri.] ideo inſunt per ſe numero, quaſi dicat, quod numerus per ſe comparatur ad impar, vt ad ſecundum modum ſpectat. propterea quod ingreditur diffinitionem imparis. iterum comparatur numerus per ſe ad diuiſibile, & ad multitudinem ſiue quantitatem, & hoc ſpectat ad primum modum dicendi per ſe; quoniam multitudo ponitur in diffinitione numeri. [horum autem] (ponit duas rationes) ſupple modorum per ſe [neutra contingit infinita eſſe] prædicata, [neque] contingit abire in infinitum, [vt impar numeri.] quantum ad ſecundum modum dicendi per ſe. [Iterum enim ſi impari aliud inſit, cui inerat exiſtenti: hoc ſi eſt primum numerus, erit in ijs, quę inſunt ipſi] quaſi dicat, quod ſi impar eſt propria paſſio numeri, ſi iterum impari inſit aliquid tanquam propria paſſio, oportet quod & numerus, qui ſubiectum primum ponitur, in diffinitione illius proprietatis quæ ponitur ineſſe impari ponatur. [ſi igitur non contingit infinita huiuſmodi eſſe in vno,] id eſt in deorſum, [neque in ſurſum erũt infinita.] igitur in talibus per ſe nõ eſt proceſſus in infinitum. Deinde ſubdit ſecundam rationem. [at vero neceſſe eſt omnia ineſſe primo:] i. omnes per ſe paſſiones neceſſe eſt ineſſe primo ſubiecto, [vtputa numero, & in illis numerum: quare conuertibilia erunt.] q.d. quod non poſſunt poni per ſe multæ tales paſſiones niſi ſubiecto inſint, & ſubiectum ſit in diffinitione illorũ. ergo omnia talia ſunt conuertibilia. hæ duæ rationes ſunt huiuſmodi. Prima ſic, ſi dicatur, quod impar inſit numero tanquam ipſius paſſio, & aliud inſit impari, ſequitur quod impar ponitur in diffinitione illius paſſionis inherentis ſibi, cum igitur numerus ponatur in diffinitione imparis, ponetur etiam in diffinitione illius alterius paſſionis: ſequitur ergo cum non ſit abire in infinitum, quod in ſecundo modo per ſe, non procedent in infinitum prędicationes. Secunda ratio eſt, quod omnes paſſiones huiuſmodi inſunt numero tanquam primo ſubiecto: & numerus ponetur in diffinitione omnium illorum: igitur cum ſint paſſiones proprię, omnes cum ſubiecto, & ſecum inuicem conuertentur, & hęc de ſecundo modo dicendi per ſe.

Tex. 62. Neque tamen vſque. Monſtratis.

IN hoc vltimo contextu oſtẽdit Philoſophus non eſſe procedere in infinitum in per ſe prędicatis quantum ad primum modum dicendi per ſe. cum dicit. [Neque tamen quæcunque] prædicata [ſunt in eo, quod quid eſt.] i. quæ ponuntur in diffinitione ſubiectorum, vt quæ in primo modo dicendi per ſe dicuntur, [neque hęc] prædicata inquã [infinita ſunt, neque eſſet diffinire.] q. dicat, quod ſi poneretur hoc, nil contingeret diffinire. [quare ſi prædicata per ſe quidem omnia dicuntur,] ſcilicet prædictis modis, id eſt cum ponuntur in diffinitione ſubiecti, & cum ponuntur in diffinitione prędicati, [hæc autem non infinita ſunt,] id eſt hæc diffinientia, [ſtabunt vtique] prędicata, & [in ſurſum, & in deorſum. Si autem ſic eſt,] ſcilicet, quod non ſit proceſſus in infinitum, [& quæ ſunt in medio duorum terminorum.] i. duorũ extremorum, puta à generaliſſimo, ad ſpecialiſſimum [ſemper ſunt finita. ſi vero hoc eſt,] quod media non ſint infinita, & quod in deorſum, & in ſurſum ſit ſtatus; [manifeſtum iam eſt, & demonſtratum quod neceſſe eſt principia eſſe, & non omnium eſſe demonſtrationem,] quaſi dicat manifeſtum eſt quod oportet eſſe aliqua principia demonſtrationum, & non eſſe demonſtrationem

nem omnium, [quod quidem diximus quosdã dicere iuxta principiũ,] idest, vt diximus in principio libri, secundum quod quidam dicunt. i. si hæc vera sunt, necesse est esse aliqua principia demonstrationum, quæ non demõstrantur, & sic non erit omnium demõstratio, vt quidam volunt. [si enim principia sint] supple demonstrationum, [non omnia sunt demonstrabilia, neq; in infinitum possibile ire,] supple demonstrationes, [esse enim horũ quodlibet,]. scilicet vel quod demonstrationes procedunt in infinitum, vel qđ omnia sunt demonstrabilia, vel quod nulla sint demonstrationum principia [nihil est aliud] supple ponere, [quam esse nullum spatium sine medio,] idest immediatum, [& indiuisibile,] idest nullius diuisionis, [sed omnia diuisibilia,] quasi dicat, quod nil aliud est dicere, quam quod nullum est spatium sine medio, & quod quęlibet propositio est mediata. quoniam [intus immitendo terminum, sed non assumendo demõstratur, quod demonstratur,] quasi dicat, cum aliqua propositio per mediũ intus sumptum demonstratur, & non post assumendo sequeretur infinitas tunc. quoniam propositio immediata indemonstrabilis est: nanque cum aliquid demonstratur, oportet sumere terminum immittendo, scilicet, quod sit infra prędicatum, & subiectum, de quo per prius prędicetur prędicatum, quam de subiecto, aut a quo prius remoueatur. [quare si hoc in infinitum contingit ire,] s. quod nulla sit propositio immediata, tunc [contingit vtiq; duorum terminorum infinita esse interius media,] quasi dicat, quod si demõstrationes in infinitum procederent, infinita quoq; essent media inter duos terminos: [sed hoc impossibile est, si prędicationes steterint in superius, & inferius:] idest si in prędicatis est status in sursum, & in deorsum, [& quod stent monstratum est logice prius, analytice verò nunc.] ergo non est in prędicatis processus in infinitum. vbi notandum est, quod circa principium libri dixit impossibile esse demonstrare circulo. Dixit non omnium esse demonstratiuam scientiam, & in persona sui; hic vero iuxta aliorum sententiam.

Tex. 63. Monstratis autem his vsque. Manifestum est autem.

IN pręsenti capitulo docet Aristoteles quo pacto propositiones mediatę ad immediatas deduci possint continet autem sex conclusiones, & vnum corrolarium. Dicit igitur ad primam. [Monstratis autem his,] scilicet, quod non contingit ire in infinitum, nec in sursum, nec in deorsum: sic quoque qđ non cõtingit esse inter duos terminos infinita media, [manifestum est si aliquid idem insit duobus.] i. si aliquod prędicatum de duobus prędicetur, [vt a, & in c, & d, [sicut a, de c, & de d,] non de prędicante altero de altero, aut nullo modo, aut non de omni, quod non semper secundum commune aliquid inerit, [quasi dicat, si aliquod prędicatum de duobus prędicetur, quorum vnum de nullo altero dicitur, vel saltem non de omni, & illud prędicatum insit ambobus per aliquod commune, non oportet, vt insit eis iterum p aliud commune, dictum per aliud: & sic in infinitum, verbi gratia, [vt isosceli, & scaleno, ęquales duobus rectis habere secundum commune aliquid inest: secundum enim, quod figura quędam sunt, & non secundum alterum,] quasi dicat, cum habere tres ęquales duob. rectis, & scalenoni, & isosceli insit quę figurę, sunt duę species trianguli, & cum insit eis per aliquod commune. s.

per triangulum, quæ est figura communis illis, non oportet vt triangulus insit per aliquod commune, & alteri p alterum commune, & sic in infinitum. [Hoc autem non semper sic se habet,] scilicet, quod semper sit accipere commune post commune. [sit enim b,] idest subiectum medium [secundum, qđ a,] i. secundum quod est passio, [in c, & in d,] i. in duobus aliquibus subiectis, [erit manifestum, quod b, in c, d, secundum aliud commune est, & illud secũdum alterum,] quod est dicere, si non est status in huiusmodi illud commune inerit secundum alterum, & aliud secundum alterum, [quare duorum terminorum medij infiniti vtique incident termini, sed hoc est impossibile,] vt supra ostensum fuit. [Secundum igitur aliquid commune inesse, non necesse est semper idem pluribus, quoniam quidem erunt immediata spatia.] q.d. quare cum idem de duobus prædicatur, non semper de illis dicitur p aliud commune: sed deueniendum est ad immediata spatia. i. ad propositiones immediatas, siue prædicationes. Accedit deinde ad secundam conclusionem. d. [In eodem tamen genere, & ex eisdem atomis,] vel & ex eisdem terminis, [necesse est accipere terminos: siquidem ijs quæ per se sunt erit commune,] idest siquidem commune erit acceptum ex ijs quæ per se sunt, quia [non inerat ex alio genere in aliud genus descendere, quæ demonstrantur.] q. d. quod si media quæ accipiuntur inter illa. s. a, c, d, fiut media per se, oportet vt sint ex eisdem atomis, & ex eodem genere: propterea quod si aliter se haberet res tunc contingeret demonstratorẽ transcendere de genere in genus. Sed hoc non fuit concessum. dixit atomos terminos demonstrationis, qui sunt tanquam indiuisibiles termini. Vbi notandum est, quod aliquando prædicatum prædicatur de duobus, quorum alterũ ab altero penitus remouetur, verbi gratia, quando animal prædicatur de homine, & de asino: aliquando vero alterum ab altero non omnino remouetur, sed singulariter tantum, verbi gratia, qualiter animal de homine, & de masculo prædicatur. Secundo notandũ est, quod medium est aliquando in eodem genere cum subiecto: vt si demonstretur quod homo sit risibilis, eo quod disciplinabilis est, & aliquando est in eodem genere cum passione, & aliquãdo cum vtroque, vt si per animal concludamus hominem esse substantiam, vel per diffinitionẽ coloris aliqua passio de ipso demonstretur.

Tex. 64. Manifestum vsque. Cum ergo.

Duas alias conclusiones ponit Aristoteles, cum vno corrolario in pręsenti, probatq; quod fuit dictum prius, nempe quod est deuenire ad immedia ta, & in hac prima conclusione, & tertia in ordine posita, ostendit hoc in affirmatiuis propositionibus, in secunda verò in negatiuis. quantum spectat ad primum inquit ipse. [Manifestum est autem quoniam, & cum a, in b, sit, siquidem est aliquid medium, est demonstrare, quod a, in b, sit,] idest manifestum est quoniam cum a, insit b, per aliquod medium, per illud mediũ contingit demonstrare, quod insit b, [& elementa] ad probandum, quod ipsi b, insit a, [sunt hæc.] i. quæ inter a, & b, sunt, [&] talia elementa [tot] sunt ad probandum hoc, scilicet, quod ipsi b, insit a, [quot media sunt,] inter a, & b, quoniam [immediatæ propositiones sunt elementa, aut omnes, aut vniuersales.] i. sunt principia demonstrationis. [Si vero non est medium.] i. inter a, & b, [non amplius erit demonstratio.] i. ipsa propositio omne b, & est a, non amplius

amplius demonstrabitur [sed in principia via est hæc] i. sed erit prima, & immediata, & hæc est via deueniendi in affirmatiuis ad prima principia, in negatiuis vero subdic.d.[Similiter autem erit]deuenire ad prima principia, [& si a, in b, non sit.]i. in negatiuis, vt puta nullum b, est a, [siquidem enim, aut medium est, aut prius cui non inest, erit demonstratio,]quasi dicat, si a, ab ipso b, remouetur, vt nullum b, est a, aut igitur est aliquod medium, a quo medio prius remouetur ipsum a, quã ipsum b, aut non erit: si sic tunc demonstrabitur ipsum b, non esse a, per illud medium.[Si vero non sit medium non est demonstratio, sed]huiusmodi propositiones acceptæ, erunt[principia] demonstrationum, [& elementa]supple earundem b,&[tot sunt, quot sunt termini,]scilicet inter medij, in quib. terminis inter medijs vltimo statur. [Horum enim]terminorum [propositiones, sunt principia demonstrationis.]i. propositiones ex illis terminis constitutæ sunt principia demonstrationis ex quibus colligitur, quod[sicut quædam principia sunt indemonstrabilia, quod sit hoc illud, & quod sit hoc in illo, sic quod non erit hoc illud, neque quod sit hoc in illo,] quasi dicat, sicut quædam sunt principia demonstrationis affirmatiue significantia, verbi gratia, quod hoc est illud, vt omne b est a, vel quod hoc est i illo, idest quod a, insit b, sic erunt quædam principia negatiua, quæ hoc modo ratiocinantur hoc non est illud, idest nullum b, est a, vel hoc non esse in illo, ponit deinde corrolarium. d. [Quare hæc quidem]erunt principia [esse aliquid.] i. principia in affirmatiuis, [alia non esse aliquid,] i. alia in negatiuis, [erunt principia,]& hæc sunt per se manifesta.

Tex.65.Cum ergo vsque. Cum autem.

Vult in duobus istis tex. Aristoteles docere quomodo deueniendũ est ad immediata, & primum in prædicatiuis seu affirmatiuis: deinde in priuatiuis, & est hæc quinta conclusio, cũ subdit dicens.[Cum ergo indigeat] aliquis[demonstrare aliquid,] verbi gratia, quod probare velit, quod omne a, est b, [accipiendum] est, [quod de b, primum prædicetur,] idest immediate.[sit c,& de hoc similiter a,& sic semper eunti nunquam extra,]quasi dicat, quod si uelimus probare, aut demonstrare, quod omne b, est a,(per b, intellige hominem, & per a, substantiam, per c, vero animal,) accipi debet medium, quod immediate prædicetur de subiecto, de quo tamen prędicetur p̃dicatum, vtputa c, siue animal, & sic semper est procedendum, ita vt nulla propositio extra prædictos terminos accipiatur, scilicet extra a, & b,[neq; si esse ipsius a, accipiatur, vt demõstretur,]idest neque terminus medius acceptus nunquam debet esse extra substantiæ prædicamentum : [sed semper medium densetur, quousque indiuisibilia fiant, & vnum,] idest sed densetur medium vsque deueniatur ad immediata, quæ indiuisibilia sunt, & vnum: quoniam[est vnum cum immediatum fiat,&] illa[est vna ꝓpositio simplex.] Cum[est immediata: & quemadmodũ in alijs] rebus illud, [est principium simplex,] quod est in aliquo genere principium, sic etiam est in demonstratione, & syllogismo, tamen[hoc non idem vbique est,] principium: [sed in graui quidem]principium est [unica: in melodia autem diesis,] aliqui textus habent tonus, & melius; quoniam diesis non est principium simplex melodię, sed sequitur principium, statim

post tonum: & in pronunciando, vox extollitur non prorsus vsque ad alium tonum, sed aliquantulum quasi per quartam partem vocis, [aliud autem in alio,] quasi dicat, quod in alio genere est dare aliud simplex principium. [Sic est in syllogismo vnum,] quod est sicut principium, vt propositio immediata. [In demonstratione autem, & scientia,] quia demonstratio aggenerat scientiam, & scientia ipsa, quæ est veri, pro principio simplici habet vnũ tale, quod est sicut principium, & mensura, & est [intellectus in ostẽsiuis agitur syllogismis.] i. in demonstratiuis, [eius quod est,] idest medium [nihil cadit extra,] quasi dicat, quod in syllogismis demonstratiuis medium non cadit inter extrema. i. non cadit extra extremitates. Vltimam demum ponit conclusionem huius capituli, scilicet in negatiuis qualiter ad immediata fit progressus. dicit ergo. [Sed in priuatiuis] seu negatis, aut negatiuis, vbi quidem quod oportet, nihil cadit extra hoc:] quasi dicat, sed in negatiuis syllogismis medium oportet esse, quod nihil cadat extra propositionem negatiuã. Ponitque exemplum in prima figura, deinde in secunda, tertiam non esse vtilem ostendit. d. [vt si a, in b, per c, non inest,] idest, vt hęc propositio negatiua nullum b, est a, & medium sit c, per a, intellige quantitatem, per b, animal, per c, vero corpus. [Si enim in b,] idest in animali [quidem omni c,] i. omni corpore, & hæc erit minor, vt omne b, est c, vel omne animal est corpus. [Est autem a, in nullo c,] idest sit a, vel quãtitas in nullo c, vel in nullo corpore, & erit maior, vt nullum c, est a, vel nullum corpus est quantitas: tunc sequitur conclusio in prima figura, vt nullũ c, est a, omne b, est c, ergo nullũ b, est a, vel nullum corpus est quantitas, omne animal est corpus, igitur nullum animal est quantitas. [iterum si indigeat] aliquis ꝓbare, [quod in e, a, nullo sit,] idest quod nullum corpus est quãtitas, quæ erat maior, [medium accipiendũ est ipsius a, & e,] idest inter quantitatẽ, & ipsum corpus, [& sic semper procedet.] i. donec ad immediata deueniendum est, idest ad illam propositionem nulla substantia est quantitas. in secunda figura ostendit cum dicit. [Si vero indigeat monstrare, quod d, in e, non sit,] idest ut nullum est quantitas, [eo quod est c,] idest medium [in d, quidẽ omni.] i. corpus in omni animali, [in e, autem nullo.] i. in nulla quantitate, [aut in omni:] siue non in omni quantitate: tunc [e, nunquam extra cadit,] quasi dicat, quod medium acceptum, quod est c, nunquam extra negatiuam ipsius e, cadet, quia c, semper negabitur ab ipso e, [Hoc autem est,] supple e, c, [cui non oportet inesse.] i. negatiuæ. est huiusmodi syllogismus omne d est c, nullum e, est c, ergo nullum e, est d, vel sic, omne animal est corpus, nulla quãtitas est corpus, ergo nulla quãtitas est animal. hic per medium. s. corpus probatur, quod animal non sit in quantitate, & si econtra poneretur negatiuum conuersa concluderetur. s. quod nullum animal esset quantitas. Deinde subdit [in tertio autẽ modo.] i. in tertia figura [neq; a, quo oportet] supple priuari, [neque quod oportet priuari, nequaquam extra ibit,] quasi dicat, quod in tertia figura medium, quod assumetur, neque cadet extra prędicatum, quod negatur, nec extra subiectum, a quo negatur prædicatum. Hoc autem est, quia medium in tertia figura subijcitur vtrique, quod est dicere, quod medium nec est extra minorem extremitatem a qua negetur maior extremitas: nec est extra maiorem extremitatem, quæ negetur a minori: ideo per tertiam figuram non reducũtur propositiones ad imediata, & hæc sint satis pro præsenti capitulo.

Tex 66.

Tex. 66. Cum autem vſque. Videtur igitur. Cap. XX.

VLtimus tractatus eſt iſte huius libri. ipſaſque ſpecies demonſtrationum ad inuicem comparat,& oſtẽdit,quæ ſit illarum potior: propterea, quod ex illa aggeneratur ſcientia.continet hoc primum caput vnam dubitationem,quod demonſtratio particularis præſtabilior.Duaſque rationes vna cum dilutionibus: rationes ſeptem qđ demonſtratio vniuerſalis eſt potior ipſa particulari.dubitationem primo ponit cum dicit: [Cum autem ſit omnis demonſtratio alia quidem vniuerſalis, alia vero particularis,& hæc quidem] ſupple tam vniuerſalis,quam particularis,vna ſit[cathegorica.]i. affirmatiua, [illa vero priuatiua,] idest aliaque ſit negatiua', conſequenter [dubitatur qualis potior ſit:] nempe aut particularis, aut vniuerſalis : & vtrum ſit potior affirmatiua,quam negatiua.[Similiter autem,& de ea]ſupple demõſtratione,[quæ demonſtrare dicitur.]idest quæ dicitur demonſtratio oſtenſiua, [& deducenti ad impoſſibile demonſtratione:]i.ſimiliter dubitatur,quę ſit potior an oſtenſiua,aut illa quæ ad impoſſibile deducit. [Primum quidem igitur intendamus de vniuerſali,& particulari,oſtendentes autem hoc, & de ea quæ demonſtrare dicitur, & quę eſt ad impoſſibile dicemus,] quaſi dicat, quod primum eſt dicere, aut oſtendere hoc, ſcilicet, quæ nam ſcit digni or an vniuerſalis, an particularis demonſtratio: deinde dicemus de oſtenſiua, & de illa, quæ ducit ad impoſſibile: Vbi notandum eſt quod ſupra, vt vidimus dixit demonſtrationem duplicẽ eſſe,ſcilicet, quia & propter quid,nũc alias diſtinctiones ponit ſcilicet,quod demonſtratio alia eſt vniuerſalis, alia particularis, ſecunda diſtinctio eſt, quod demonſtratio alia eſt affirmatiua, & alia negatiua, tertia, quod demonſtratio alia eſt oſtenſiua, & alia ducens ad impoſſibile.

Tex. 67. Videbitur vſque. Amplius.

HIs ſtantibus,'duas rationes ponit, quod demonſtratio particularis ſit potior vniuerſali. Deinde ſoluit illas. prima ratio eſt huiuſmodi. [Videbitur igitur fortaſſis vtique] quibuſdã ſic intendentibus,]aut ſic ratiocinantibus, [quod particularis]demonſtratio]eſt potior: [quoniam eſt]hæc virtus demonſtrationis,]ſcilicet, quod faciat nos ſcire, & illa quæ facit magis ſcire potior eſt; ſed [magis ſcimus vnumquodque, cum ipſum cognoſcimus ſecundum ipſum , quam ſecundũ aliud.]i.in propria forma,vt ſit in particularibus, quam ſecundum aliud. i. quam per vniuerſale,[vt muſicum Coriſcum , quando cognoſcemus ,quod Coriſcus muſicus eſt.] i. magis ſcimus cum vidimus Coriſcum , aut Petrum eſſe muſicum , [quam quod homo muſicus ſit,ſimiliter autem,& in alijs]ſupple ſciendum eſt, vt magis eſt ſcire hominem quatenus homo , quam quatenus animal. [Sed vniuerſalis quoniam aliud.]i.quod vniuerſali ſubiecto conuenit,demonſtrat, &[non quoniam ipſum fortaſſe demonſtrat, vt quoniam iſoſceles habet tres angulos æquales duobus rectis, non,]competit[quoniã iſoſceles, ſed quoniam triangulus] eo quod propoſitio vniuerſalis dicit, quod omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis:[ſed particularis] demonſtratio [quoniam ipſum eſt.]i. quoniam ſenſibiliter apparet,& concludit hanc paſſionem, habere tres in ſe.i. in ipſo iſoſcele , igitur, & erit concluſio , [ſi potior eſt] illa;

[quæ est secundum ipsum,]idest secundum particularem,[huiusmodi est particularis,]demonstratio,scilicet est secundum ipsum,[& vniuersalis magis, & potior vtique secundum partē demonstratio erit,]quasi dicat,vtique aut si est sic, demonstratio illa erit potior quæ est secundum partem.s.particularis erit magis faciens scire, quam vniuersalis. Vbi notandum est quod demonstratio vniuersalis,est cum demōstratur vniuersalis passio de subiecto vniuersali: vt passio quæ subiecto vniuersaliter ineſt,quod subijcitur vniuersaliter: quia si esse rationale demōstretur de animali, tunc non esset vniuersalis demonstratio,eo quod rationalis, non subijcitur tali passioni: nam non omne animal est rationale.

Tex. 68. Amplius vsque. Et primum.

SEcundam rationem ostendit, quod demōstratio particularis sit potior ipsa vniuersali,& est ista cum subdit dicens.[Amplius,]vel item,[si vniuersale quidem non est aliquid præter singularia, demonstratio autem] vniuersalis,[opinionem conficit:] i.dat modum opinandi [esse aliquid hoc de quo demonstrat, & quandam naturam esse hanc in ijs quæ sunt,] quasi dicat, pręterea vniuersale non est aliud à singularibus realiter, & demonstratio vniuersalis facit opinari ex modo procedendi, & etiam esse vniuersale naturā quandam realiter a suis singularibus distinctam.[(vt trianguli pręter quosdam,& figuræ præter quasdam, & numeri pręter quosdam numeros,)]quasi dicat,cum demonstratur de triangulo,vel de figura, aut de numero; nullū particularem triāgulum aut figuram, aut numerum exprimit.[Potior autē est,quę est de esse, quam de non esse,& propter quam errabitur,]quasi dicat, videtur esse potior particularis, quam vniuersalis,quia potior est demonstratio de ente,vel quæ est de esse,quam de non esse, siue non ente, & illa non est potior propter quam errabitur; sed [est vniuersalis huiusmodi] patet qđ particularis est potior.[(procedentes enim] demonstrariue, [demonstrant vniuersale quemadmodum de eo, qđ est proportionale,vt quod sit tale: erit proportionale, quod neque linea, neque numerus, neque solidum, neque planum est, sed præter hæc aliquid,)] quasi dicat,quod sit particularis magis de ente, quam vniuersalis patet, quia demōstratur passio vniuersalis de subiecto vniuersali, tāquē de re aliā a suis singularibus,sicut demonstrantes commutari proportionabiliter, de quodā demonstrant,quod neque est numerus neque linea,neque planum,&c.[si igitur vniuersalis magis hæc est,]idest habet magis ista duo, scilicet, [& de eo quidem quod est minus,] idest de esse siue de minori ente, [vniuersalis] scilicet est, [quam particularis, & facit opinionem falsam,] quasi dicat,quod vniuersalis facit opinionem, singularis autem non. igitur [indignior erit vniuersalis] demonstratio,ipsa [particulari.] propter rationes prædictas,& hæc sunt rationes,quæ pro parte particulari faciunt.

Tex. 69. Et primum vsque. Amplius siquidem sit.

DIlutionem primę rationis ponit in præsenti contextu Aristoteles. dicens, primam rationem non magis vniuersali demōstrationi obstare, quā particulari,immo potius se habet e cōtra.dicit igitur.[Et primum quidem nihil magis in vniuersali quam in particulari altera ratio est:]quod est dicere, rationem

rationem factam primum de magis scire, non esse magis contra vniuersalem, quam, contra particularem. quoniam [si quod duobus rectis inest,] hæc passio habere æquales duobus rectis, [non est secundum quod est isosceles, sed secũdum quoniam triangulus est:] idcirco hoc modo [cognoscens quoniam isosceles habet tres inquantum ipsum est,].i. inquantum in se consideratũ, vt particularis [minus cognouit,] hoc modo cognoscẽdo, [quam cognoscens quoniam triangulus est:].q. d. si scire est secundum quod ipsum scire, magis erit scire vniuersaliter, quã particulariter, i. secundum quod triangulus est, [& omnino si non quidem secũdum quod sit triangulus, & postea mõstrat, non erit vtique demonstratio:].q. d. Et omnino si non nouit isoscelem habere tres vt triãgulus est, & postea mõstret isoscelem habere tres non vt triãgulus, nulla erit demonstratio, [si verò sit cognoscens vnumquodque secundũ quod vnumquodque est, magis cognouit.].q. d. si verò sit cognoscens. i. sciẽs per vniuersalem demõstrationem quã per particularem, tunc est magis sciẽs, quia sciet secundum quod ipsum. [si igitur triangulus in plus est, & eadem ratio & non secundum æquiuocationẽ triangulus est, & inest omni triangulo qđ est duobus rectis æquales habens:] q. d. si ergo triãgulus in plus est quam isosceles, & est eadem ratio non secundum æquiuocationem, triangulus est in isoscele & in suis alijs speciebus, & hæc passio habere tres omni triangulo inest: [non vtique est triangulus inquãtum isosceles, sed isosceles secundum quod triangulus huiusmodi habet tres angulos.].q. d. non vtique triangulus secũdum quod isosceles, sed isosceles secundum quod triangulus. i. vniuersaliter habet tres angulos. erit igitur hæc conclusio. [Quare vniuersaliter sciens].i. secundum vniuersale [magis cognouit secundum quod est].i. secundum quod huiusmodi passio inest, [quã particulariter. igitur potior est vniuersalis] demonstratio, [quam particularis.] est hæc dilutio primæ rationis, quã posuit Aristoteles pro defensione vniuersalis demonstrationis. per hanc igitur patet quod vniuersalis demonstratio est potior ipsa particulari, non autem econtra vt dicebatur in prima ratione.

Tex. 70. Amplius siquidem vsque Amplius si demonstratio.

Dilutionem secũdæ rationis ponit in præsentia Aristoteles. ideo subdit dicens. [Amplius siquidem sit quædã ratio vna, & non æquiuocatio.].q. d. si vniuersale de inferioribus dicatur secundũ vnam rationem seu difinitionem: tunc [vniuersale erit vtique nil minus secundum partem quibusdam, sed magis est, quanto incorruptibiliora sunt illis: quæ verò secundum partẽ sunt corruptibilia magis.] q. d. vniuersale nõ habebit minus de entitate quã quæ sunt secundum partem, siue quam particularia, sed habebit magis entitatem quam particulare, quãto magis sunt illis particularibus incorruptibilia: quoniam quæ sunt secundum partem. i. particularia, magis sunt corruptibilia deinde subdit [Amplius, nec vna necessitas est opinari aliquid esse hoc præter hæc, quoniam ostendunt vnum nihil magis, quam in alijs quęcũque non aliquid significãt, sed aut quale, aut ad aliquid, aut agere: si ergo, nõ demonstratio causa est, sed audiens.].q. d. præterea nulla necessitas aliquid esse compellit præter singulas res, vel præter particularia: quoniam ostẽdunt nihil magis in substãtijs, quam in alijs, quæcunque non aliquid. i. particulare

& substãtiam gnificant, sed quæ significant, aut quale, aut ad aliquid, aut agere, quasi dicat quod prçter hoc non oportet opinari quod vniuersale sit præter singularia vt quidam volebant realiter esse vnum aliquid distinctum. adde modo tu. sed quonam pacto erunt naturæ accidentium vniuersales cuiusmodi isti fingunt? Respõdet Aristoteles, si ergo suple putãt id esse, non demonstratio est causa huius erroris, sed ille qui audit, eo quod male audit, si illi assentit: sequitur igitur quod licet demonstratio in vniuersali prolata est illa qua audiens apprehẽdit quãdam vniuersalitatem tanquam aliquid separatum a suis singularibus, demonstratio, inquam, non est huius causa erroris, sed male audiens, est causa, ideo non valet quod dictum fuit prius. s. vniuersale facit magis errare.

Tex. 71. Amplius, si demonstratio, vsque. Amplius vsque.

NVnc ut in principio dicebamus septem ponit rationes, quod vniuersalis demonstratio sit potior ipsa particulari, in præsentia autem primam adducit rationem, quæ sic est. cum dicit. [Amplius si demonstratio est syllogismus, qui fit causæ, & propter quid, vniuersale magis causa:] i. si demonstratio est syllogismus demonstratiuus, qui fit per causam, & propter quid. i. & propter causam, quæ est illius effectus, vniuersale est magis causa quam particulare: igitur est potior vniuersalis demonstratio. quoniam [cui per se inest aliquid, hoc idem ipsi causa est:] i. quia illud cui passio inest per se, est causa illius passionis: [vniuersale autem primum:] i. vniuersale est huiusmodi, eo quod est primum subiectum, cui primo passio inheret. [ergo vniuersale est causa:] [suple ipsius passionis est causa vniuersale. s. subiectum. [quare & dignior est demõstratio] vniuersalis quã particularis. [magis enim causę est vniuersale, & eius quod propter quid est.] i. quoniam vniuersalis demonstratio magis per causam est, & magis per illam, quæ est propter quid. & hæc est prima ratio vniuersalitatis.

Tex. 72. Amplius vsque ad vsque. Amplius quantocunque.

SEcundam rationem adducit Aristoteles cum subdit dicens. [Amplius, vsq; ad hoc quærimus propter quod:] i. præterea ad vniuersale quærimus vsque propter quid, i. donec non sit assignare amplius causam. [etenim tunc opinamur scire, cum non sit aliquid, aliud quam hoc, aut quod fiat, aut qđ fit:] i. quia tunc opinamur scire, cum non sit aliud vel aliam causam quã quę assignata est, aut sit in fieri, aut sit in esse: vel sic dicas, quã hoc propter quod quippiam fit aut est, namque [finis, & terminus vltimus, iam sic est.] s. cum ad illam causam peruẽtum fuerit, quã non contingit amplius quærere. [ut cuius causa venit?] suple hic aliquis? [vt accipiat argentum.] hæc est causa, vltima, & tunc non contingit amplius quærere, vel si non sit ultima, sed contingat ulterius quærere, tunc dicet, [hoc est quatenus reddat cui debuit.] siue ut reddat debitori. si vlterius quęratur cum? dicet [Hoc ut non iniuste agat, & sic procedẽtes cum non sit amplius] quærere [propter quid, nec alterius causa] sit propter quam uenerit; [propter hoc] siue propter hanc causam [sicut propter finem dicimus ueni re, & esse] suple aliquis. [& fori, & tũc] huiusmodi scire [est scire maxime propter quid uenit:] si igitur se habet similiter

liter & in omnibus causis[& quæ sunt propterquid.]q.d. si in alijs generibus causarum se habet similiter quod contingat quærere propter quid ut in finalibus quod est quærere usque ad ultimam causam ac oportet:[in ijs autē] causis[quæcunque sic sunt causæ, sicut quæ est cuius causa] i. sicut in causa finali[sic scimus maximè:]i. cum ad ultimum deuentum fuerit.ideo subdit[& in alijs igitur tunc scimus maximè cū non amplius sit hoc quoniā aliud est:] i.quando non habemus assignare aliā causam ultimam. deinde subdit dicēs. [cum igitur cognoscimus quidem, qđ quatuor qui extra sunt, æquales sunt, quoniam isosceles:]q. d. cum probamus hāc passionem. s. quod anguli extrinseci seu externi sunt æquales quatuor rectis, dicimus quia est isosceles: [adhuc deest propter quid isosceles?] i. deest quærere propter quid isosceles habet angulos extrinsecos æquales quatuor rectis?[quia triangulus]suple est.[& hoc] suple triangulus quare habet sic;[quia est figura contenta rectis lineis.]hęc apud Euclidem manifesta. igitur cessabit questio cum ad ultimū deuentum fuerit, cui inest illa passio & non propter aliud.ideo dicit.[si autem non hoc:]assignare est[amplius propter quid aliud tunc maximè scimus.]q.d.si huiusmodi passio rectis lineis non competit per aliud, tunc maximè scimus. [sed tunc est uniuersale] subiectum, cum scimus hoc modo igitur potior uniuersalis, [est demonstratio ipsa particulari. Vnde notandum ut inquit Egid. hanc rationem consistere in hoc quod maximè scimus cum deuentum est ad ultimum in omni genere causæ tam in esse quam in fieri,& quia subiectum est in aliquo genere causæ respectu passionis: tunc igitur scimus maximè, cum ad ultimum subiectum deuentum fuerit; & quia quādiu est demonstratio particularis, non demonstratur passio de ultimo subiecto: quoniam tunc demonstratur de ultimo subiecto, cum huiusmodi subiectum uniuersale est:& quia cum subiectum est uniuersale, tunc demonstratio est uniuersalis: consequens est qđ uniuersalis demonstratio sit potior,& magis faciat scire.

Tex. 73. Amplius usque. Amplius autem,& sic.

TErtiam, & quartam rationem in præsentia adducit Philosophus, quod demonstratio uniuersalis est potior particulari inquit igitur, [Amplius, quantocunque utique magis secundum partes est,infinita cadit:]i.demonstratio quanto magis est particularis,tāto magis cadit,seu uadit in infinita.uniuersale autem in simplex,& in finem:]i. uniuersale cadit in unum, & in finem:[sunt autem secundum quod infinita non scibilia, sed secundum qđ finita scibilia sunt, secundum utique quod uniuersalia magis scibilia sunt:] q.d.contingit secundum quod infinita sunt,& non scibilia quoque esse,sed secundum quod sunt finita scibilia sunt igitur particularia magis infinita quā finita sunt, uniuersalia uerò finita, sequitur quod uniuersalia sunt magis scibilia,[quam quæ sunt secūdum partem]uel particularia[demonstrabilia igitur magis uniuersalia]suple sunt scibilia.quoniam[de magis demōstrabilibus magis est demonstratio,simul enim magis ad aliquid sunt: dignior igitur uniuersalis est, quoniam quidē, & magis demonstratio est.]hoc est dicere,quod est magis demonstratio de ijs, quæ magis demonstrabilia sunt, quoniam magis demonstratio, & magis demonstrabile simul ac mutuo ad aliquid sunt. igitur est dignior ac præstantior demonstratio uniuersalis, propterea

pterea quod est magis demonstratio. b Quartam deinde adducit rationem dicens. [amplius, si magis est eligenda] illa demonstratio [secundum quam] cognouit [hoc & aliud,] vel vniuersale, & particulare; [quam illa secundú, quam solú cognouit,] idest quam particularis, quæ solum hoc particulare cognouit, [vniuersale autem habens, cognouit particulare;] quia si cognosco quid sit homo, & Franciscus quid sit quoque, [hoc autem.] i. sed hoc supple particulare cognito, [non sciuit vniuersale: quare & sic:] i. hoc modo [vtique magis eligenda erit vniuersalis] demonstratio, quam ipsa particularis. Nam qui scit omnem mulam sterilem esse, & hanc quoque sciuit esse sterilē; sed qui sciuit hanc esse sterilem non sciuit in vniuersali, nisi discat.

Tex. 74. Amplius autem, & sic vsque. Quod autem demonstratiua.

TRes vltimas rationes adducit demum Philosophus: & in hac quinta exponit se in terminis: dicit igitur [Amplius autem, & sic,] vel per istam rationem demonstratio vniuersalis est potior particulari: quia [vniuersale magis scire est,] vel contingit [eo quod est per medium demonstrare, cum sit principio propius] siue propinquius: [proxime autem] supple principio [immediatum est: hoc autem] supple immediatum [principium est:] sequitur ergo [si quæ ex principio est ea, quę non ex principio, quæ magis ex principio ea, quæ minus est certior est demóstratio,] quasi dicat, si igitur ea demonstratio, quæ ex principio conficitur potior est ea, quæ non est ex principio, & si ea demonstratio potior est, quæ ex magis principio est, quam ea quæ est demonstratio ex minus principio: [est autem huiusmodi vniuersalis magis, dignior vtique erit vniuersalis.] i. sequitur quod quia vniuersalis demonstratio est huiusmodi, quod erit potior demonstratio: igitur patet, digniorem esse, [vt si oportet demonstrare a, de d,] i. si contingit demonstrare hanc passionem habere tres de isoscele, [media autem sint in quibus est b, c,] i. dest & ista sint duo media. [habere angulú externum, & triangulus, & [magis sit sursum b,] i. habere angulum externú, [quam c,] idest sit medium magis sursum, quam c, [quare si per b, magis est vniuersalis,] quasi dicat, quare si per b, erit magis sursum, (quia erit uniuersalis,) erit etiam demonstratio potior, quam per c, idest particulare medium. Deinde subdit, [sed eorum quæ dicta sunt, quædam logica sunt,] quasi dicat, quod rationes quæ dictæ sunt, quędam sunt magis logicę. Sextam adducit, deinde rationem dicens. [maxime autem manifestum est, quod vniuersalis] demonstratio [magis præcipua sit, quoniam propositionum quidem hác priorem habentes,] idest habentes vniuersalem propositionem, quæ est prior, [scimus quodam modo, & posteriorem.] i. particularem cum habemus vniuersalem, [& habemus potentia,] scilicet particularem, [ut si aliquis cognouerit, quod omnis triangulus habeat tres] angulos [æquales duobus rectis, sciuit quodam modo, & quod isosceles duobus rectis potétia sit,] idest sciuit etiam potentia, quod isosceles habet æquales duobus rectis, [& si non cognouit isoscelem, quod triangulus sit:] idest quamuis nó sciuit isoscelem triangulum esse, sed [habens hanc ppositionem] supple particularem propositionem isosceles habet tres, [nullo modo vniuersale cognouit, neque potentia, neq; actu.] Sequitur ergo, quod demonstratio vniuersalis sit potior ipsa particulari. Septimam, & vltimam

subdit

subdit rationem cum dicit. [Et vniuersalis] demonstratio [quidem intelligibilis est, ipsa particulari, [sed particularis perficitur in sensu.] Adde modo tu, sed id præstantius est, quod intellectu completur, quam quod in sensu, at vniuersalis intellectu cõpletur, & particularis sensu. igitur &c. demum epilogat dicens. [Quod igitur vniuersalis sit dignior particulari, tot nobis dicta sint.] præcellit ergo, & dignitate, & excellentia vniuersalis demonstratio ipsam particularem. Vbi notandum est ex Lincon. quod duæ vltimæ rationes sunt demonstratiuæ, eo quod per causas cõcludunt, & per diffinitiones eius quod est magis faciens scire; prima quod demonstratio vniuersalis magis facit scire, eo quod scire facit id quod est maioris potentiæ, quo quidem scito, plura potentialiter sciuntur. secunda est quod ipsa demonstratio facit magis scire, eo quod intellectu completur, & hæc, & tot a nobis circa hoc caput dicta sint.

Tex. 75. Quod autem vsque. Amplius quoniam. Cap. XXI.

ACcedit Aristoteles ad secundam dubitationem in hoc capite, num potior sit demonstratio affirmatiua, an negatiua: continet autem hoc caput vnam conclusionem; probatque demõstrationem affirmatiuam potiorem esse negatiua, & hoc septem rationibus. conclusio est huiusmodi: cum dicit, [Quod autem demonstratiua] siue affirmatiua [sit dignior priuatiua,] vel negatiua, [hinc manifestum est,] vel ex his quæ dicenda sunt. Primam rationẽ ponit cum dicit. [Sit enim hæc demonstratio dignior (alijs eisdem existentibus,) aut ex minoribus quæstionibus, aut suppositionibus, aut propositionibus,] quasi dicat, sit demonstratio hæc, idest affirmatiua potior (præsupponitur istam demonstrationem esse alijs paribus alia potiorem,) quæ fuerit ex paucioribus propositionibus, aut ex paucioribus quæstionibus, aut suppositionibus. adde modo tu hanc minorẽ, sed demonstratio affirmatiua ex his cõstat. igitur. vnde subdit, [si enim notæ sunt similiter velocius cognoscere per hæc erit: hoc autem appetibilius est,] quia dixit illud esse dignius, quod est per pauciora, nunc dicit, quod si similiter, & in affirmatiua, & in negatiua propositiones sint notæ: tamen erit velocius cognoscere per hæc, siue, per affirmatiuas, quam per negatiuas: & hoc quidem expetibilius est, cognoscere velocius, quam tardius, & per pauca, quam per multa. hoc probatur, vt ipsemet in Rhetor. d. maius bonum est appetendum, & melius est dicere velociꝰ quam tardius, eo quod hoc est maius bonum. [Ratio autem propositionis, quod melior sit ex minoribus, vniuersaliter est sic: si enim contingit similiter cognita esse media, priora autem notiora sunt,] quasi dicat, at ratio, quod ea propositio, quæ est ex minoribus, sit præstabilior: summatim ac vniuersaliter hoc pacto esse potest. quoniam si continget media esse cognita similiter. i. esse eiusdem coordinationis seu generis, tunc priora eiusdem coordinationis notiora sunt. exponit exemplo dicens. [sit demonstratio eorum per media, quæ sunt b, c, d, quod in a, e, sit] i. sit demonstratio de a, quod sit in e, per hæc tria media b, c, d, per a, intellige substantiam, per e, hominem, & per b, c, d, corpus, animatum corpus & animal. [sit autem altera demonstratio, quod a, in d, sit per b, c,] idest, quod a. i. substantia sit in d, i. in animali, per b, i. per corpus, & per c, i. per corpus animatum. tunc sequitur quod [similiter se habet hoc, quod a, in d, sit,] i. quod

substantia sit in animali, [& quod a, in e, sit.] i. & quod substantia in homine sit. i. media per quæ probatur substantia de homine, & de animali, quia sunt eiusdem coordinationis, & se habent similiter: [sed quod a, in d, sit.] i. substātia in animali [prius est, & cognoscibilius, quam quod a, in e,] i. quam quod substautia sit in homine, quia in linea prædicamentali prius est animal, quā homo, [per hoc enim.] i. per animal [illud demonstratur,] idest de homine substantia. [credibilius autem est per quod,] idest id credibilius est, quod est propter quid. Secundam rationem ponit d. [Et demonstratio quæ est per pauciora, alijs eisdem existentibus potior est,] quasi dicat, quod illa demonstratio est melior, quæ per pauciora fit, at affirmatiua talis. igitur, [vtraque quidem.] s. demonstrationes affirmatiua, & negatiua [monstrant per tres terminos, & per duas propositiones: sed hæc quidem.] i. demonstratio affirmatiua [accipit aliquid esse.] i. solum affirmatiuas propositiones accipit [illa uero] negatiua, [& esse, & non esse aliquid.] i. & affirmatiuam, & negatiuam propositionem accipit negatiua demonstratio. [per plura itaque.] i. secundū qualitatem, & secundum formam est negatiua, quam affirmatiua: illa enim per esse tantum, & hæc per esse, & non esse. [Quare indignior est] illa negatiua, & affirmatiua est dignior. Notatione dignum est, vt notat Egidius, quod propositiones, suppositiones, & quæstiones sic differunt, propositiones enim dici possunt, quæ sunt per se notę. suppositiones autem dicuntur, quæ sunt concessæ ab aduersario. Quæstiones vero dici possunt de quibus aduersarius dubitat, & quæ non concedit. Secundo notandū est, quod p pauciora media citius cęteris paribus acquiritur notitia conclusionis. propterea quod intellectus humanus citius pauciora pertransire potest, quam plura, ex quibus infertur, quod demonstratio primæ passionis alicuius subiecti est potior demonstratione secunda, & sic deinceps. infertur etiam quod demonstrationes scientiarum subalternātium notiores sunt demonstrationibus scientiarum subalternatorum.

Tex. 76. Amplius vsque. Si igitur.

Tertiam rationem ponit cum dicit. [Amplius, quoniam ostensum est impossibile per vtranque priuatarum propositionum fieri syllogismum: sed oportere quidem huiusmodi esse vnā.] i. negatiuam esse vnam [aliā vero quoniam est.] i. & aliam affirmatiuam. igitur potior atque valentior est ad demonstrationem affirmatiua propositio, quam negatiua. Quare demonstratio affirmatiua est potior negatiua. Quartam rationem adducit dicens. [amplius, præter hoc,] quod propositiones negatiuæ sint minus potiores, [oportet, & hoc accipere.] i. propositiones [prædicatiuas] siue affirmatiuas quoniam [augumentata demōstratione necesse est fieri plures,] affirmatiuas: sed [priuatiuas impossibile est plures vna in omni syllogismo esse,] quasi dicat, cum demonstrationes augentur resoluendo præmissas ad indemonstrabilia, plures propositiones affirmatiuę concurrunt in illa resolutione: sed negatiuę, solum vna. Declarat exemplo dicens, [sit in nullo esse a, in quibus est b,] quasi dicat, sit hęc maior propositio negatiui syllogismi, nullum b, est a, [in c, autem omni sit b,] idest, & hæc sit minor omne c, est b, [si igitur rursus opus erit augere vtrasque propositiones, medium in ijciēdum est,] idest, est interponendum medium competens: [huius quidem a, b,] quæ fuit maior nullum b est a,

est a,[sit d,]tale mediū[sed b,c,]q̄ erat minor affirmatiua oē c, est b, tale medium[sit e: e igitur manifestum est prędicatiuum esse,] Idest affirmatiuam esse,quasi dicat, quod medium per quod syllogizabitur b, c, minor propositio affirmatiua, erit in vtraque pręmissarum affirmatiuarum. propterea quod affirmatiua non syllogizatur nisi per affirmatiuam.[sed d,] quod fuit mediū vt affirmatiuum prędicatur,[de b,quidem prędicatiuum,a, autem de d, tanquam priuatiuum ponitur,] quasi dicat, sed d,vt affirmatiuum prædicatur de b, subijcitur autem, vt negatiuum, ipsi a, syllogizatur sic maior syllogismi negatiui nullum b,est a,omne b,est d,ergo nullum d,est a,minor affirmatiua sic,omne e, est b, omne c, est e,igitur omne c, est b, ideo in syllogismo minoris erunt omnia affirmatiua [d, enim.]i.minor illius syllogismi omne b,est d,erit[de omni b, sed a,]i. maior propositio [oportet in nullo d, esse.] i. remouebitur ab omni d, nullum d, est a,igitur syllogizando maiorem,vel minorem alicuius syllogismi negatiui nisi vnam affirmatiuam præmissam accipimus.ideo dicit[fit ergo vna priuatiua propositio.] syllogizando sic. idem autem modus est,& in alijs syllogismis.[supple qui augumentur. i. syllogismi negatiui omnes. quoniā,]semper medium prædicatiuorum terminorum,prædicatiuum in vtraque est, sed priuatiui in altera priuatiuum necesse est esse,[quasi dicat, quod medium terminorum affirmatiuorum in vtraq; propositione affirmatiuum est.sed medium propositionis negatiuæ in altera tantum negatiuū esse necesse est.[quare hæc vna huiusmodi fit propositio, aliæ vero prędicatiuæ.]i. quare cū syllogizatur maior,vel minor syllogismi negatiui vna pręmissa erit negatiua, aliæ vero præmissæ prædicatiuæ erunt. Vbi notandum est, quod dicitur demõstratio augeri, cum eius præmisse, aut aliqua earum vlterius demonstratur cum non fuerit per se nota. ideo dixit augumentata demonstratione.

Tex. 77. Si igitur vsque. Et ad impossibile ducente.

TRibus alijs rationibus probat demonstrationem affirmatiuam potiorem negatiua. cum subdit dicens. [si igitur notius est per quod demonstratur,& credibilius demonstratur autem priuatiua] siue negatiua [quidem per prædicatiuam] siue affirmatiuam [hæc autem]supple affirmatiua [per illam] negatiuam [non demonstratur; prior ergo,& notior, & credibilior cū sit,]affirmatiua quā ipsa negatiua[melior itaque erit.]aliā ratio est ista.[Amplius si principium syllogismi]supple affirmatiui [propositio uniuersalis sit immediata.]i. si vniuersalis affirmatiua immediata est principium propositionis,]est autem, vt in monstratiua prædicatiua.]i.affirmatiua. Sed[in priuatiua] seu negatiua demonstratione, [negatiua propositio vniuersalis] est principium. [affirmatiua autem est prior negatiua, & notior (per affirmatiuam enim negatiua nota) & prior affirmatiua est,sicut esse prius est non esse,]quasi dicat, quod demonstratio affirmatiua est prior,& notior,negatiua (quia per affirmatiuam fit negatiua nota,)& quemadmodum prius est esse esse quam non esse, sic prior est affirmatiua, quam negatiua. [quare potius est principium monstratiuæ, quam priuatiuæ.dignioribus autem principijs vtitur dignior,]quasi dicat,quare cū præstabilius sit principium affirmatiuę, & ipsa quoque affirmatiua demonstratio præstabilior erit negatiua, & ea est quidem dignior demonstratio quę vtitur dignioribus principijs,sed affirma-

tiua est huiusmodi ergo. vltima ratio est huiusmodi. [Adhuc principalior est:] affirmatiua, quam negatiua. quoniam [sine monstratiua,] vel sine affirmatiua[non est priuatiua.] i. negatiua. vltimo epilogat dicens. [Quod quidē prædicatiua] seu affirmatiua [priuatiua] seu negatiua[dignior sit, manifestū est,]ex his quæ diximus. Notandum autem est secundum Egid. quod dictum Aristotelis, priuatiua demonstratur p prædicatiuam dupliciter referri potest vel refertur ad syllogismum, aut demonstrationem. ipsa enim demonstratio negatiua, siue syllogism⁹ negatiu⁹, siue debeant demonstrari, siue syllogizari præmissæ eius, oportet quod accipiat multas propositiones affirmatiuas. at syllogismus affirmatiuus in sua syllogizatione non accipiet aliquam negatiuam. Aut potest hoc dictum referri ad propositiones ipsas: nam syllogismus negatiuus accipit duas præmissas. vnam affirmatiuam aliam negatiuam. affirmatiua autem, non demonstrabitur seu syllogizabitur per aliquā negatiuam, negatiua vero demonstrabitur ac syllogizabitur per affirmatiuam, & hæc satis sint pro præsenti capitulo.

Tex. 78. Et ad impossibile vsq; Natura autem Cap. XXII.

His omnibus explicatis, accedit Aristoteles ad tertiam dubitationem, quæ erat num demonstratio ostensiua sit potior illa, quæ ducit ad impossibile. primo ergo dicit illam esse potiorem. s. ostensiua. secundo affert tres approbationes. conclusio quod sit potior ostensiua est hæc, [Et ad impossibile ducente] supple, recta ac ostensiua demonstratio est potior illa ducēte ad impossibile [oportet autem scire, quæ differentia sit ipsarum.] q. d. quod prius oportet scire differentiam inter ipsas. per rectam ostensiuam, Coment. intelligit negatiuam, & quia ostensiua affirmatiua est dignior ducente ad impossibile affirmatiua, vt supra ostensum. ideo in præsenti comparat ostensiuam negatiuam ad ducentem ad impossibile negatiuam, & inquit illam ista esse potiorem. declarat hoc in terminis dicens [si igitur a, in nullo b,] & est maior, nullum b, est a, & minor sit [in c, omni b,] i. omne c, est b, tunc [necesse est in nullo c, esse a, & erit conclusio, nempe. nullum c, est a, syllogismus sic est; nullum b, est a, omne c, est b, igitur nullum c, est a, [sic igitur acceptis] propositionibus [erit demonstratio ostensiua negatiua, [quoniam a, in c, nō erit] idest, quoniam negatiue concluditur scilicet, nullum c, est a, [quæ vero ad impossibile est]demonstratio [sic se habet]seu hoc modo, vt[si opus est demōstrare, quod a, in b, non sit,] idest quod nullum b, est a, [accipiendum est a, esse in b,] oppositum est accipere. s. omne b, est a, [&]cum eo accipietur ista affirmatiua vera [b, in c,] idest omne c, est b, [quare accidit a, in c, esse.] i. & tunc concludetur syllogistice, quod omne c, est a, vt patet sic arguendo, omne b, est a, omne c, est b, ergo omne c, est a, [hoc autem sit notum, & concessum, quod ipsum est impossibile esse,] quasi dicat arguetur tunc, quoniam notum, & concessum est conclusionem esse impossibilē videlicet omne c, est a, quod [non est possibile a, in b, esse.] i. maior omne b, est a, [si ergo b, in c, concessum est inesse.] i. omne c, est b, [a, in b, impossibile est esse.] i. omne b, est a, quasi dicat conclusionem huius syllogismi esse impossibilem, ergo maior est impossibilis. s. omne b, est a, at sequitur cōclusio est impossibilis, & minor est necessaria; igitur maior impossibilis: si, omne c, est a, est impossibilis, & omne c, est b, sit necessarium, vt supponitur, sequitur

sequitur quod, omne b,est a,sit impossibile. Differentiam deinde & conuenientiam ponit. dicens, [termini igitur similiter ordinantur,] supple in demonstratione ostensiua, & ad impossibile, scilicet, secundum modum, & secundum figuram. [Differt autem quo, qualis sit notior priuatiua propositio.] i. differunt in hoc, vtra propositionum negatiuarum sit notior. [vtrum igitur, quia a,b,non inest.] i. maior negatiua, nullum b,est a, [an quia a, c,] idest an conclusio negatiua, nullum c,est a, q.d. quod in hoc differunt ostensiua negatiua, & ad impossibile negatiua. quoniam in vno syllogismo accipitur notior præmissa, quod a,non sit in b, i. nullum b, est a, in alio vero syllogismo accipitur conclusio, quod a, non sit in c, i. nullum c,est a, quare sequitur [cum igitur est conclusio notior: quoniam non est,] tunc [fit demonstratio] negatiua quæ [est impossibile.] Sed [cum in syllogismo fit] siue in præmissis [demonstratiua est,] idest est negatiua ostensiua demonstratio.

Tex. 79. Natura autem vsque. Certior autem.

Tres vt dicebamus approbationes adducit Philosophus, ostensiuam demonstrationem esse potiorem ducente ad impossibile. Secunda est non enim, & tertia si igitur ex dignioribus. quantum spectat ad primã inquit. [Natura autem prior est, quæ est, quod a, in b, non sit, quam a, in c, non sit.] q.d. naturaliter prior est illa præmissa nullum b,est a, quæ maior est, quam conclusio, quæ est nullum c, est a, quoniam præmissæ [sunt priora] siue priores [conclusione, ex quibus] præmissis [est conclusio a, autem in b,] supple non esse [ex quibus est conclusio.] i. ex maiori præmissa enascitur hæc conclusio. igitur demonstratio ostensiua potior est illa ducente ad impossibile, ex qua nõ enascitur conclusio ex maiori. Secunda approbatio est. [Non enim si contingit remoueri aliquid, hoc erit conclusio, illa autem ex quibus sunt:] ne quis dicat, quod ista negatiua c, non est a, est id ex quo concluditur in demonstratione ad impossibile, quod b, non est a: idcirco excludit hoc dicens, quod per hoc quod conclusio interimitur, & ex eius interremptione interimitur aliquod præmissorum non efficitur, quod erat prius conclusio sit principium secundum naturam: sed tantum quo ad aliquid. propterea quod hæc est principiorũ, & cõclusionis habitudo, quod conclusione interrẽpta, & principium quoque. ideo subdit. [Sed hoc quidẽ] est sicut principium [ex quo syllogismus est,] siue procedit, [vtique sic se habet,] nempe [aut vt sicut totum ad partem,] aut se habet principium scilicet, ad conclusionem, veluti totũ ad partem, [aut vt pars ad totũ se habet:] vel se habet ad principium conclusio, vt pars ad totum. [Sed quæ sunt a, c, & a, b, propositiones, non sic se habent adinuicem.] q.d. sed in demonstratione ad impossibile, non sic se habent adinuicem omne a, est c, & omni b, inesse a, ex quibus interemptis, quod intenditur colligitur. ergo demonstratio ostẽsiua, ex ijs procedit ex quibus est conclusio: quæ vero ducit ad impossibile, non igitur potior ac præstantior est illa ostensiua, quam quæ est ad impossibile. Tertia approbatio est. Cum dicit. [si igitur ex dignioribus, & credibilioribus dignior est] supple demonstratio [sũt autem vtræque] demonstrationes [ex non esse aliquid, credibiles,] tam negatiua ostensiua, quam quæ ducit ad impossibile, facit fidem per non esse, [sed hæc quidem] supple ostensiua [ex priori, [illa vero] ducens ad impossibile negatiua [ex posteriori.] i. ex interẽ-

ptione conclusionis. [Potior vtique erit ea] demonstratio ostensiua negatiua ea [quæ est priuatiua demonstratio ad impossibile. [quare &] affirmatiua ostensiua erit [dignior hac] ducens ad impossibile affirmatiua, vel sic dicas. [quare prædicatiua] seu affirmatiua [dignior] est [hac] negatiua. [Manifestum est ergo quod] cum prædicatiua sit negatiua dignior, [& ea quæ est ad impossibile, potior est,] quæ est affirmatiua, quã negatiua ad impossibile. pro præsenti capitulo hæc dicta sint.

Tex. 80. Certior autem vsque, Vna autem. Cap. XXIII.

ISTud est secundum caput huius tractatus, in quo Aristoteles dat tres modos prioris scientiæ, & ponit vnã conclusionem. in præsenti cõtextu adsunt prædicti modi. Primus modus est iste [certior est scientia, scientia & prior, quæ ipsius quia, & propter quid eadẽ est, quam non, extra eam quæ est propter quid.] q. d. illa scientia est certior alia ac prior, quæ facit scire, quia est, & propter quid, quam illa quæ solum facit scire propter quid, aut quia separatim ab ipso propter quid. Secundus modus est cum subdit dicens, [& quæ non est de subiecto, ea quæ est de subiecto, vt arithmetica, harmonica.] i. & illa scientia est certior, quæ est de subiecto non contracto. i. minus materialis, & magis abstracta, quam illa quæ est de subiecto contracto, & magis materialis, minusque abstracta, vt scientia subalternans est certior scientia subalternata, verbi gratia, arithmetica est certior musica ipsa. Tertius modus est, [&] scientia [quæ est ex minorib.] certior est [illa quæ appositione] est: [vt arithmetica, geometria,] quasi dicat, & illa scientia est certior, quæ est de subiecto in cuius ratione pauciora includuntur, quam illa quæ est de subiecto in cuius ratione plura includuntur, vt arithmetica certior geometria. [Dico: autem ex additione, vt vnitas substantia est sine positione: punctum autem substantia posita: hoc autem ex appositione.] q. d. dico, sic quoniã arithmetica considerat de vnitate, & geometria de puncto: modo vnitas habet rationem simpliciorem, quam punctũ: quia punctum vltra vnitatem dicit positionem in continuo. Notandum primo est quod perfectius est cognoscere propter quid tantum, quam quia tantum ratio talis est, quoniam qui scit propter quid, & quia scire potest, & contingit, at non econtra.

Tex. 81. Vna autem vsque. Plures autem.

IN præsentia ostẽdit Aristoteles q̃d sit scientia vna, & quid sit scientia altera. Primum igitur docet quid sit sciẽtia vna. dicens. [Vna autem scientia est, quæ est vnius generis,] siue subiecti, [quæcunque ex primis componitur.] i. ex primis eisdem principijs, [& partes sunt, aut passiones horum, quæ sunt per se. igitur quatuor conditiones requiruntur ad vnitatem scientiæ. Prima est, quod sit vnius subiecti. Secunda, q̃d procedat per quædã principia prima. Tertia quod consideret partes per se illius subiecti. Quarta & vltima, quod consideret passiones per se subiecti, suarumque partium. Deinde quid sit altera docet dicens. [Altera autẽ scientia est ab altera, quarumcunque principia, neque ex eisdem, neque ex alteris sunt,] i. hoc est scientia altera tunc est, cum sic habet altera principia, quod quidem huiusmodi principia altera, nec sunt ex eisdem principijs, nec sunt altera ex alteris, vel nec sunt ex se inuicem altera. [Huius autem est signum cum

tum indemonstrabilia veniant:] hoc est. signum autem huius, quod ex alteritate principiorum habeat esse alteritas scientiæ, est cum ad indemonstrabilia principia, quæ demõstrari nequeũt, peruentum fit. [Oportet enim] indemonstrabilia [esse in eodem genere] siue ad idem genus pertinere, [cum ijs q̃ demonstrantur.] i. cum ipsis indemonstrabilibus per quę demonstrantur. [signum autem est, & huius,] quod indemonstrabilia sint in eodem genere, cũ ijs quæ demonstrantur, [cum demonstrabilia per ipsa in eodẽ genere sunt, & proxima.] i. quando demonstrabilia per ipsa principia indemonstrabilia, & proxima demonstrata, per talia demonstrabilia sunt in eodem genere. Hic notandum est, quod per scientiam vnius generis intellexit Aristoteles esse vnius subiecti, tamen quod non sit vnum æquiuocum: quoniam super ipsum æquiuocum non exigitur scientia vna.

Tex. 82. Plures vsque. Plures autem.

Vltimo conclusionem adducit, in qua ostendit posse esse plures demonstrationes eiusdem conclusionis, per plura media, inquit igitur. [Plures autem demonstrationes eiusdem] conclusionis [possibile est esse,] per plura media, s non solum ex eodem ordine accipiendi non continuum medium, (vt eorum quæ sunt a, b, c, & d, & e,] sed ex altero, [quasi dicat, quod plures demonstrationes possunt esse accipiendo media non continua ex eodem genere siue ex eadem serie, sed etiam ex altero ordine, siue ex altero genere: vt de medijs non continuis eiusdem generis, vt eorum, scilicet extremorum quę sunt a, b, media possunt esse, & e, & d, & e, & hoc modo fiet demõstratio eiusdem conclusionis per tria media. exemplificat de eo, quod est ex altero dicẽs, [vt sit a transmutari,] i. maior propositio, & mediũ sit [moueri in quo est d,] minor vero propositio [sit lætari i quo b,] & aliud medium sit [iterum e, quiescere:] per a, transmutari, per d, moueri, per b, lętari, & per e, quiescere. Stantibus his [verum igitur est & d,] i. moueri, prædicari [de b,] i. de lętari, [&] verum erit [a,] idest transmutari, quod est maior, [prædicari de d,] idest de moueri: quia [lętans mouetur, & quod mouetur transmutatur. syllogismus sic formabitur. omne quod mouetur trãsmutatur, omne lętans mouetur, igitur omne lætans trasmutatur. [iterum] potest probari per aliud medium contrariũ puta per quiescere, [a, de e,] transmutari de quiescere potest prædicari) [& e, de b, verum prædicari.] i. & quiescere de lætari, prædicari. ideo subdit. [Omnis enim lętans quiescit:] & hæc est minor extremitas; [&] omne [quiescens transmutatur:] igitur omne lętans trãsmutatur. est iste syllogismus more grecorum, qui semper minorẽ prius, quã maiorem ponunt. [Quare per altera media, & non ex eodem ordine] siue genere [est syllogismus: non tamen est neutrum de neutro dici mediorum.] Hoc est: non tamen vnum illorum mediorum de reliquo prædicari potest, sed quando contingit, quod per contraria media probatur aliquid de aliquo, tunc [necesse est idem e,] idest medium quiescere [alicui vtraq; inesse,] quasi dicat, necesse tamen est medium inesse eidem alicui. i. minori extremitati. [intendere autem est per alias figuras, quot modis contingit eiusdem fieri syllogismum;] idest, non solum in prima figura, sed etiam in alijs hoc contingit, scilicet, ut ad eandem conclusionem plura media adducantur. vbi notat hic Egid. quod hæc duo contraria dicit, necesse esse eidem inesse si debea;

debeat per talia contraria probari aliquid de eodē, vt det intelligere, quod nunquam per altera media, vel per cōtraria probatur idem de eodem in eadem scientia nisi illa duo contraria ad idem genus subijcibile pertineant. hęc sufficiant pro capitulo hoc.

Tex. 83. Sed eius vsque. Vnde & si. Cap. XXIIII.

IN præsenti capitulo, ostendit Aristoteles non esse sciētiam fortuitorum, neque in functione sensuum. continet autem duas conclusiones, tria corrolaria, & vnam obiectionem cum dilutione. in hoc primo contextu continētur conclusiones, vnaquęque conclusio duas possidet approbationes, quantum spectat ad primam: inquit. [sed eius] effectus vel cōclusionis [quod est a fortuna non est scientia, per demonstrationem.] q. d. quod de effectu a fortuna prouenienre non est scientia per demō strationem. prima approbatio est, [neque enim sicut necessarium, neq; sicut frequēter quod est a fortuna, sed extra hoc fit.] i. nam id quod a fortuna contingit, neque necessarium est, neque frequenter euenit, sed fit rarenter, & extra necessarium, & extra frequenter. [sed demonstratio alterius horum.] q. d. qđ de ijs debet esse quæ fiunt ex parte alterius horum, aut frequenter, aut necessario. secunda approbatio. neque potest esse scientia demonstratiua, eius quod est a fortuna. quoniam [omnis syllogismus aut per necessarias] propositiones est, [aut per eas propositiones, quæ sūt tanquā frequenter:] sed q̄ sunt fortuitorū, neutrum istorum sunt, [& quidem si propositiones necessariæ sunt, & conclusio erit necessaria: si verò sint] propositiones [sicut frequenter: & conclusio huiusmodi.] s. sicut frequēter erit. [quare si id quod est à fortuna, neque est sicut frequenter, neque necessarium: neque vtique erit ipsius demonstratio.] i. neque erit demonstratio ipsius fortuiti. igitur neque scientia demonstratiua. secunda conclusio est talis. [neque per sensum est scire.] i. scientia non consistit in cognitione sensitiua. uel scientia non est de rebus sensibilibus. prima approbatio. d. [si enim est sēsus talis huius] i. si est, vniuersalis [& non huius alicuius] i. particularis. [sed quod sentitur [necesse est sentire hoc aliquid.] i. particulare. [& vbi & nunquam, quasi dicat quamuis sensus sit vniuersalis tamen quod sentitur est particulare & hic, & nūc. [vniuersale autem quod est in omnibus, impossibile est sentire:] & ratio est, quoniam vniuersale [neq; hoc aliquid est.] i. particulare [neque nunc, neque vbi] siue hic, quia si vniuersale esset hic & nunc [neque vtique esset vniuersale:] eo quod [quod semper est, & vbique, vniuersale dicimus esse: quoniā igitur demonstrationes vniuersales sūt hæc autem] supple vniuersalia] non est sentire.] igitur stantibus ijs [manifestū est quod neque scire per sensum est.] i. manifestum est scientiam non consistere in sensus perceptione. secūda approbatio [sed manifestum quoniam si esset sentire triangulum, quod haberet tres æquales duobus rectis: vtique demonstrationem quæreremus] de triangulo [& non sciremus] s. propter hoc non haberemus scientiam de illo: ratio est in promptu, propterea quod sentire non est idem quod scire. [sicut quidam fatētur.] & hoc est rectè dictum, quia [sentire necesse est singulariter,] i. est sentire singulare. sed [scientia est in cognoscendo vniuersale.] relinquitur ergo quod non cōtingit sentire triangulum quod habeat æquales duobus rectis, sed est scire vniuersaliter, quoniam scientia est vniuersalium. Hic notandum, quod licet Aristoteles in secundo physicorū agat de casu & fortuna, quod per hoc

videtur

videtur sibi contrarius, dico quod ibi agit vel habetur de illis scientia in cognoscẽdo, quid sit casus, quid fortuna, quid effectus causalis, quid fortuitus, & qualiter ista conueniant & qualiter differant. secundo notandum est, quod vniuersale esse semper & vbique negatiue & non affirmatiue est intelligendũ & per abstractionem: ita vt sit sensus quod dicatur vniuersale esse semper & vbique; quoniam est abstractum ab omni tempore, & loco: quia si esset affirmatiue intelligendum, tunc pirus, aut ficus essent in omni loco, & in omni tẽpore. tertio notandum quoniam quidã non posuerunt inter intellectum & sensum differentiam, ideo voluit philosophus negare quod scire & sentire non sunt vnum & idem. sed scire est vniuersale, & sentire particulare.

Tex. 83. Vnde & si vsque sunt tamen quædam. Cap. XXV.

TRia corrolaria vt dicebamus in pręcedenti adducit nunc philosophus. secundum ibi est: Vniuersale autem. tertium verò ibi: Manifestum igitur. dicit igitur quãtum spectat ad primum. [vnde & si super lunam essemus, & videremus terram obiectam, nõ vtique sciremus causam defectus: [q.d. quod scientia fundatur in cognitione vniuersalis tantum, non autem in sensu, ideo dicit quod si nos essemus supra lunam, tunc nõ sciremus causam defectus quod sit terra interposita, quia videremus: & videndo [sentiremus quoniam dificeret, sed non propter quid omnino:] i. per sensum cognosceremus quod deficeret luna, aut eclypsaretur, sed non cognosceremus per sensum eundem, causam propter quid, siue causam vniuersalẽ, quia [non vniuersalis sensus.] i. sensus non est vniuersalis: [sed ex considerare hoc multoties accidere vniuersale venantes, demonstrationem habemus.] i. sed tamen ex frequenti consideratione facta super singulari venantes seu inquirentes, tandem vniuersale: demõstrationem & scientiam de illo habemus. s. vniuersali. quoniã [ex pluribus singularibus vniuersale, manifestum est.] q.d. quod ex pluribus singularibus euadit uniuersale, vel ex pluribus particularibus infertur uniuersale secundum corrolarium est [vniuersale autẽ honorabile quoniam ostẽdit causam:] q.d. quod hinc etiam patet quod sciẽtia est vniuersalium, & quod hæc sit honorabilior perceptione sensus, quia ostendit vniuersalem causam; [quare de huiusmodi vniuersalis honorabilior est sensibus & cognitione quoruncunque altera causa est:] adde modo tu. sed sensus non ostendit vniuersalem causam: quare igitur ea cognitio quæ est vniuersalis honorabilior est, cognitione sensus, & non modo sensus: sed & eorum intellectione, quoruncunque alia est causa. hoc dico quoruncunque alia causa est, propter principia: quoniam [de primis] siue de principijs [alia est ratio.] igitur honorabilior est illa cognitio quę est per causam quam illa quæ est per non causam, sed per ea quoruncunque causa est. i. per effectus. de principijs verò alia est ratio. tertium corrolarium est tale [manifestum igitur est qđ impossibile sit sentiendo scire aliud demonstratorum: nisi aliquis dicat sentire, scientiam habere per demonstrationem.] q.d. Manifestum est, quod impossibile est scire per sensum aliquid demonstratiue, nisi quis diceret, quod habere sciẽtiam per demonstrationem sit sentire. ut quidam accipiebant. vbi notandum est, notitiam intellectiuam triplicem esse ut pro nunc facit. quædã est primorum principiorum, ut inquit ipsemet dicens quod alia est ratio, ut supra ostensum fuit. quædam est notitia effectus per causam habita, & tunc

est honorabilior sensitiua, cum habetur vniuersaliter & demõstratiue. quędam est cognitio quæ habetur per effectum, vt ipse dicit & quoruncunque est causa.

Tex.84. Sunt tamen vsque. Eadem autem esse.

SIcuti in principio diximus obiectionem, cum dilutione in præsentia ponit Aristoteles cum subdit dicens. [sũt tamen quedam reducta ad sensus defectum in propositis:] q. d. licet scientia non consistat in cognitione sensitiua, sunt tamen quædam in problematibus vel propositis, siue dubitationibus, quę dubitamus, & eorum dubitatio reducitur ad defectum sensus: [quædam enim si videremus, non utique quæreremus.] i. de quibusdam habemus dubitationẽ, de quibus non dubitando quęreremus, si possemus videre causam. & idcirco ea inquirimus, quia sensus non apprehendit. dilutio est. [sed non tanquam scientes in videndo.] i. non quod videre ipsum sit scire, [sed tanquam ex eo qđ videmus.] s. ex visu [habentes uniuersale,] deuenientes ad causam uniuersalẽ. q. d. quod sensus nos adiuuat ad scientiam non quod sẽtire sit scire: sed quod per sensum in causam vniuersalem deuenimus. [vt si videremus vitrum foratum, &] videremus [lumen pertransiens] per vitrum, [manifestum vtique erit, & propter quid illuminat,] q. d. qđ manifesta vtique esset causa cur lumen transeat per vitrum, [propter id quod videremus, quidem seorsum in vnoquoque:] s. quia in videndo cognoscimus vnumquodque singularium. at in sciendo] intelligere simul est, quoniam in omnibus sic est.] i. in scientia oportet accipere in vniuersali, vt quod se habeat hoc idem in omnibus. q. d. quod per sensum omnia particularia non simul, sed separatim in vnoquoque, vt puta in hoc vitro videmus, quod lumẽ transit, deinde in alio, & sic deinceps. sed per scientiam videmus intellectu de omni vitro, quod transit: patet igitur quod scientia facit scire vniuersale, & sensus particulare.

Tex. 85. Eadem autem. vsque. Postea neque.

POsquam ostendit de quibus, nõ est scientia: in præsentia ostendit non esse posse omnium syllogismorum eadem principia. in hoc capitulo vnam adducit conclusionem, cum tredecim rationibus, conclusio est huiusmodi. [Eadem esse principia omnium syllogismorum impossibile est.] & hæc est prima ratio quando subd. dicens. [primum quidem logice speculãtibus: hic enim.] i. in logica, alijs [sunt veri syllogismi, alij autem falsi.] i. igitur impossibile est esse eadem principia tam in veris quã in falsis syllogismis. sed in falsis sunt falsa principia, & in veris vera. [& si non sit verum ex falsis syllogizare, sed semel hoc fit:] q. d. quamuis contingat syllogizare verum ex falsis, tamen hoc contingit semel tantum: propterea quod si propositiones falsæ huius syllogismi, probentur deinde, non poterũt conuenienter probari aut syllogizari, nisi per præmissas seu propositiones veras. v. g. vt in hoc syllogismo, omne b, est a, omne c, est b, igitur omne c, est a, vel sic omne lignum est animal, omnis homo est lignũ, igitur omnis homo est animal. & est conclusio vera ex falsis. per literam b, intellige lignum, per a, animal, per c, homo. dicit igitut ipse [vt si a,] i. animal, [de c, verum sit,] i. de homine quæ est conclusio, ergo omnis homo est animal, tamẽ [medium b, falsum.] i. lignum. quoniã [neque a, in b,] i. neq; animal in ligno,

[neque

[neque b, in c,] i. neque lignum est in homine. [sed si harum media accipiatur propositionum, falsæ erunt,] quasi dicat, quod si harum præmissarum, media sumuntur, non iam verum ex falsis, sed falsum ex falsis colligetur. [ex eo quod omnis conclusio falsa, est ex falsis, vera autem ex veris: altera autem] scilicet principia [sunt vera, &] altera sunt principia [falsa]. igitur patet conclusionem sequi, scilicet, quod non eadem sunt principia omnium syllogismorum. Vbi notandum est, quod Aristoteles per syllogismum verum intelligit syllogismum concludentem conclusionem veram, per falsum vero concludentem conclusionẽ falsam: & tunc est materialiter verus, vel falsus cum concludit verum, aut falsum: sed formaliter non. quoniam tunc est verus falsusue formaliter, cũ est syllogizatus in debita rectitudine figuræ, & modi.

Tex. 86. Postea vsque. Sic igitur.

Septem alias rationes adducit in p̃senti contextu Aristoteles, quod non eadem principia syllogismorum sunt: inquit igitur ad secundam rationem. [Postea neque falsa] principia [sunt ex eisdem] conclusionibus, vel vt habent aliqui textus neque falsæ, supple, conclusiones, sunt ex eisdem principijs. quoniam [est] siue contingit [falsa] supple principia [adinuicẽ, & contraria, & impossibilia simul esse,] quasi dicat, quod secunda ratio est ista, nempe cõclusiones falsæ possunt esse contrariæ adinuicem, sed principia contrariarum conclusionum, sunt contraria sicut sunt ista duo, [vt iustitiam esse iniustitiam, aut timorem] esse [audaciam, aut hominẽ] esse [equũ, aut bouem, aut æquale, maius] esse [& minus,] quasi dicat, quod si erunt eadem principia omnium falsorum syllogismorum, tunc ex præmissis concessis sequeretur iustitiam esse iniustitiam, & sic de reliquis. Tertia ratio est ista, [ex oppositis autem sic est,] idest ex ijs etiam quæ opponuntur, & vera sunt principia similiter est. (vult enim nunc probare non esse eadem principia omnium verorũ) vnde subdit [neque enim verorum eadem principia sunt:] propterea qđ [altera sunt principia multorum genere.] i. differentiũ genere, [& neque conueniunt] huiusmodi principia adinuicem: [vt vnitates punctis non conueniunt,] quasi dicat, quod principia de genere discretorum non conueniunt cum principijs de genere continuorum, quia [hæ non habẽt positionem.] i. vnitates nõ habent permanentiam siue continuationem, [illa autem habent.] i. sed puncta habent permanentiam. Quarta ratio est. [Necesse est autem,] idest illa vera quæ concluduntur affirmatiue de se inuicem, [aut in media conuenire,] & hoc dupliciter, nempe, [aut in sursum, aut deorsum, aut hos] terminos oportet [interius habere, illos autem exterius terminorum,] quasi dicat, si syllogismorum principia omnia conuenirent adinuicem: tunc necesse esset.. illa conuenire, vel in medio. i. vel ascendendo sursum versus maiorem extremitatem, vel deorsum versus minorem extremitatem: propterea quod necesse est in syllogismo quod termini assumantur interius, vt cum multiplicantur syllogismi ad p̃bandum propositiones inductas: quoniam tunc necesse est, quod accipiantur media quæ sunt inter prædicata, & subiecta propositionum, verbi gratia si oportet probari omne b, esse a, oportet accipere aliquod mediũ inter hęc, puta d, simili modo si oportet probari minor omne c, est b, oportet accipe

 re ali-

re aliquod medium inter c,& b,vtputa e, & sic termini erunt semper interius accepti, aut exterius assumantur puta, cum maior extremitas accipitur,ut medium ascendēdo: vel minor descendendo,verbi gratia,si a,concludatur de c,per medium b,& iterum c, concludatur de b,per medium a,& similiter. Quinta ratio est huiusmodi. [Sed neque communium principiorum,possunt esse aliqua,]nempe principia, [ex quibus omnia demonstrabuntur:]recte,ac sufficienter.quid intelligit per principia communia sub. d,[dico autem cōmunia] supple principia,[vt omne affirmare,aut negare: genera enim eorum, quæ sunt altera sunt,] quasi dicat, sed hoc est impossibile, quod ex solis aliquibus taliter communibus possint omnia syllogizari.quoniam genera entium diuersa sunt,& diuersa sunt principia.ideo dicit,[& alia quidem] sunt principia[in quantitatibus,alia vero in qualitatib. sunt solum, cum quibus demonstrantur per communia,]quasi dicat, quod principia quæ sunt solum,quantitatis diuersa sunt ab ijs,quæ sunt solū qualitatis. igitur non omnibus sufficient communia principia.Sextam adducit rationem dicens.[Amplius principia non multo minora sunt conclusionibus,] quasi dicat, quod syllogismorū principia non sunt multo pauciora conclusionibus: quoniam [principia sunt propositiones] siue præmissæ, [propositiones autem]supple sunt[assumpti termini, aut immissi termini sunt,] idest propositiones conclusę in vno syllogismo,in alio sunt principia quæ propositiones fiunt ex terminis, aut assumptis exterius, vt supra maiorem,& infra minorem, aut immissi. i. intus missi intra vtranque propositionem, seu extremitatem. Cum ergo sint principia non multum pauciora ipsis conclusionibus,cum non eędem non sint conclusiones omnium syllogismorum verorum, non sunt nec eadem principia omnium syllogismorum.Septima ratio est huiusmodi[adhuc conclusiones sunt infinitę,termini autem finiti,]quasi dicat, quod conclusiones syllogismorum verorū sunt infinitæ, sed termini cōmunes in quibus scientiæ omnes conueniunt, sunt finiti,& pauci.igitur non omnium eadem principia. Octaua ratio est talis. [Amplius, principia hæc quidem ex necessitate,illa cotingentia,]quasi dicat, quod quædam sunt principia necessaria, & quædam contingentia, at hæc duo non possunt esse eadem. igitur non eadem erunt omnium principia.Notandum est circa primam positam rationem in præsenti cōtextu secundum Egid. quod si conclusiones sunt contrariæ, & incompossibiles, quod principia ex quibus sequuntur & maxime si sequentur ex eis propter quid oportet esse falsa,& incompossibilia.at quæ sunt incompossibilia non sunt eadem igitur. secundo notandū circa tertiam rationem, quod principia prædicamenti substantiæ,(vt communiter aiunt) sunt,ut materia,& forma. prima principia quantitatis sunt punctus,& unitas. Principia qualitatis sunt angulus, & triangulus.

Tex.87. Sic igitur vsque. Scibile autem.

Quinq; alias vltimas rationes adducit Philosophus in pręsentia, quarum prima harum huiusmodi est, cum subdit ipse dicens. [Sic igitur considerantibus,] vel sic nobis igitur considerantibus, aut qui ita considerauerint [impossibile est eadem principia esse] supple omniū syllogismorum,[aut finita,cum infinitæ sint conclusiones,] idest impossibile

le est eadem esse principia omnium syllogismorum,& finita cum conclusiones sint finitæ, ac interminatæ. rationem decimam adducit dicens. [Si uero aliter quodammodo dicat quis] siue si aliquis concedat,]quod hæc quidem geometriæ [supple argumentationes,]illa vero numerorum, illa autem medicinæ: quod vtique erit aliud quod dicitur,nisi quod sunt principia scientiarum diuersa? [quasi dicat, si forte aliquis dicat,quod aliæ sunt cõclusiones geometriæ,aliç vero Arithmeticæ,& aliæ medicinæ: quid hoc significabit,nisi quod omnes. istæ scientiæ habent principia diuersa? [sed eadẽ dicere]esse principia[derisio est,] ac inconueniens, quoniam & conclusiones eędem essent inter se:ideo subdit.[quoniam eadem,] supple principia[eisdem]conclusionibus [erũt eadem:]propterea quod[omnia] principia hoc modo, aut[sic fiunt eadẽ.] igitur non omnium syllogismorum eadem principia. Vndecimam deinde ponit rationem cũ subdit dicens. [At vero neque, quod est ex omnibus demonstrare quodlibet, est quærere omnium esse eadem principia: multum enim insipiens est.]q.d.at uero neque dici potest omnium esse eadem principia,hoc modo dicendo,quod quodlibet demõstratur ex quodlibet; quoniam hoc maxime stultum ac absurdum est,eo quod[neque in manifestis doctrinis.]i.in mathematicis quę certiores sunt,[hoc fit]scilicet,qđ quodlibet demonstretur ex quolibet, [neque in resolutione] siue in doctrinis resolutorijs[hoc est possibile,] scilicet quodlibet demonstrare ex quolibet. quoniam[principia] demonstratiuorum syllogismorum[sunt propositiones immediatæ:altera autem conclusio fit accepta propositione immediata,]idest sed altera conclusione uera existente,altera est propositio immediata,ex qua demonstratur. igitur nõ potest esse, qđ quodlibet ex quodlibet demonstretur.Duodecimam deinde adducit rationem dicens.[Si auferri dicat aliquis primas immediatas propositiones eadem esse principia: in unoquoque genere est.] q. d. si diceret quis propositiones immediatas esse principia demonstrationum, & per consequens omnium sunt principia,hoc non valet, propterea quod præter communia principia, quæ in unoquoque genere dicuntur propositiones immediatæ, & primæ, requiritur etiam unum proprium principiũ huiusmodi seu illius generis. vltimã deinde ponit rationem, quæ sic est.cũ dicit. [Si vero neque ex omnibus, vt opus est demonstrari cõtingit quodlibet,neque si ex altero tanquã,erunt vniuscuiusque scientiæ altera.]q. d. si vero non ex quodlibet demonstratur quodlibet,eo modo,quo opus est aliquid demonstrari:sequitur tunc a simili, quod nec demonstratur conclusio altera, ex principio alterius generis: [relinquitur]ergo, quoniam sic est, quod vniuscuiusque generis sunt altera principia propria,[quod principia omnium]eorum quæ demonstrantur,[sint proxima,] idest vnigeneatis quæ demonstrantur. igitur non omnium eadem sunt principia,[& ex his quidem hæc.]i. sed ex his principijs, hæc demonstrantur propria, [ex illis autem illa,] idest, & ex alijs principiis alia demonstrantur. epilogat deinde dicens. [Manifestum autem, & hoc est, quoniam non contingit,] scilicet quod sint eadem principia omnium.quoniam[monstratum est quod altera principia sunt differentium genere,] aut sunt illa quæ genere differunt. demum distinguit de principijs cõmunibus,& proprijs dicens.[Principia enim duplicia sunt, ex quibus, & circa quod:]declarat seipsum dicẽs

ex

[ex quibus quidem igitur communia sunt.]i.communia sunt illa ex quibus omnia probantur, [quæ autem sunt circa quod,]vel illa quę dicuntur siue appellantur circa quod,[sunt ꝓpria, vt numerus, & magnitudo,] supple sunt propria principia Arithmeticæ, & Geometrię.Circa duodecimam rationem est notatione dignum, quod propositiones immediatæ sunt in duplici discrimine: quædam primæ, & quædã posteriores. primæ vt de quolibet verum est affirmare, vel negare, aut omne totum est maius sua parte; posteriores, vt omnis homo est animal rationale, omnis triangulus est figura, & hæc propinqua principia appellantur. Notandum secundo quod illa sunt principia propria i vnoquoque genere, quæ & vnigenea sunt his omnibus quæ demonstrantur in illo genere, & propter hoc quodlibet non demonstratur ex quolibet: sed ex his quæ sunt in hoc genere demonstrantur hæc quæ sunt in isto. Tertio notandum, quod per principia communia (secundum communem) principia, intelligit Aristoteles de illis quæ pluribus scientijs adaptantur, vt omne totum est maius sua parte. per propria vero particularia dicunt ipsum intelligere, & hæc satis pro præsenti capitulo.

Tex.88. Scibile vsq;. Quomodo igitur. Cap.XXVI.

ISTud est vltimnm caput, at ab aliquibus diuiditur. Continet tres cõclusiones vnam quæstionem cum dilutione, & vnum corrolarium. in hac contextus dilucidatione adest vna cõclusio, cum duabus rationib. inquit. igitur.[Scibile autem & scientia, differunt ab opinabili, & opinione:] subdit rationem dicens. [quoniam scientia vniuersalis] supple est, & est per necessaria: sed necessarium non cõtingit aliter se habere:] opinio vero, & opinabile possunt aliter se habere igitur differunt inter se. Deinde subdit [sunt autem quædam vera, quæ contingit aliter se habere: manifestũ igitur est, quod circa hæc,]quæ sunt contingentia, & vera, quod [non est sciẽtia,]de hisce, quia icorruptibilia sunt: nam[essent vtique impossibilia aliter se habere.] i. sequeretur oppositum, quod impossibilia aliter se habere essent possibilia aliter se habere. docet deinde circa quæ non est intellectus dicens. [at vero neque intellectus.] s. habet esse circa contingentia aliter se habere. [Dico enim intellectum principium esse scientiæ, neque sciẽtia indemõstrabilis,]quasi dicat quod intellectus non solum non est opinio quæ aliter se habere potest, sed etiam non est scientia loquendo de scientia simpliciter. quoniam non debet concedi, quod intellectus sit scientia simpliciter: sed potest concedi esse sciẽtiam indemonstrabilem, & hoc patet cum dixit, intellectum esse principiũ scientiæ. Cum igitur scientia, (vt inquit D.Tho.)fit ex necessarijs, & necessaria non concludantur nisi ex necessarijs: necesse est quod intellectus qui est principium scientiæ non sit cõtingentium. igitur non erit intellectus neque scientia, neque opinio, quoniã est habitus propositionum indemonstrabilium. scientia vero, & opinio non.[Sed hæc]supple scientia [est acceptio immediatæ propositionis:]opinio autem circa contingentia: conuenientia inter hæc tria huiusmodi est. quoniam[verus est intellectus, & sciẽtia, & opinio: & quid per hęc dicitur.] q.d.hæc omnia, intellectus, scientia, & opinio, sunt circa uerum: & quæ dicũtur per hæc sup. scita, intellecta, & opinata. [Quare relinquitur opinionem esse

esse circa verum quidem, aut falsum: sed contingens est, & aliter se habere,]& primo. [Hoc autem,] idest hæc opinio [est acceptio immediatæ propositionis,& non necessariæ.]Hoc est, & si conueniat opinio cum intellectu & cum scientia esse circa veritatē, tamen differt opinio ab illis: primo,qa est circa uerum,& falsum: secundo, est circa ea quæ contingunt aliter:tertio, & ultimo, quia licet usque ad immediata resoluat, tamen non accipit immediatam necessariam, sed probabilem. [Certum autem est sic apparētibus,]idest ex ijs quæ apparent.[opinio enim incertum est: & natura huiusmodi est,]quasi dicat,quod opinio est icerta,igitur est ex ijs quæ possunt aliter se habere, & huiusmodi est natura sua. sed de intellectu, & scientia non sic quimus dicere. secundo probatur.hoc modo. [Adhuc autem nullus arbitratur opinari, cum opinetur impossibile aliter se habere, sed scire.] i.sed opinatur tunc se scire. [sed quando esse quidem sic] existimat, [sed tamen aliter,] supple se habere potest, [nihil prohibet]scilicet se habere posse,[& tunc opinari, tanquam opinionem esse quidem huiusmodi,]scilicet ex ijs quæ possunt aliter se habere, & ex contingentibus,[scientiam autem necessariam,] supple esse oportet,idest ex necessarijs esse, non ex contingentibus.

Tex. 89. Quomodo usq;. Eiusdem autem.

IN præsentia quæstionem cum dilutione adducit Philosophus ideo subdit dicens. [Quomodo est igitur non idem opinari,& scire? & quare non erit opinio scientia, si quis posuerit omne quod scit contingere opinari?]declarat exemplo[consequitur enim hic quidem sciens ille uero opinans per media, quousque ad immediata veniat,]idest,vt si unus scit,& id omne alter opinetur, per media,proficiscetur.tum is qui scit,tum etiam is qui opinatur per media vsque ad immediata ueniat. [Quare si ille sciuit,] idest sciens, & opinans sciuit.sicut enim & quia opinari, & propter quid: hoc autem medium est,] quasi dicat, quod sciuit contingit opinari,quia,& propter quid; hoc est opinari per medium, & per causam, ut sicut contingit accipere probabiliter aliquem effectum,contingit quoque accipere probabiliter causam. Solutionem adducit dicens. [An si quis sic arbitratur non contingentia aliter se habere, sicut se habent diffinitiones, per quas sunt demonstrationes: non opinabitur sed sciet,] quasi dicat, quod si aliquis sic existimat, & sic videt se cognoscere non contingentia aliter se habere, sicut se habent diffinitiones, per quas diffinitiones demonstrationes sunt, ille cognoscens per talia, & huiusmodi non opinabitur, sed sciet. [si autem uera quidem esse,]supple uidentur quæ accipit, [non tamen hæc ipsis inesse secundum substantiā] supple contingit, quantum ad prædicata substantialia, [& secūdum speciem,] idest quantum ad per se passiones, iste [opinabitur, & non uere sciet.] ideo propter hoc non est idem scientia, & opinio, eo quod opinio nō accipit ea quæ insunt rebus secundum substantiam,siue per se, & secundum speciē: sed ea accipit quæ aliter se habere cōtingunt, [& quia, & propter quid,] supple habebit opinionem, [siquidē per immediata opinabitur,] quasi dicat, si sciat usque ad immediata opinabilia resoluere.[Si vero non per immediata opinabitur, solum ipsum qa opinabitur.] vbi est notandum vt recte Egidius notat, quod tam in scientia

tia, quam in opinione cum quis scit resoluere vsque ad immediata scit, quia, & propter quid scit quia, quoniã sic est, & scit propter quid, quia scit causam. cum vero nescit resoluere vsque ad immediata potest scire quia, sed propter quid nescit, eo qđ causam nescit, vt qui videt solem eclypsari, & nescit eclypsim resoluere in suã causam, nempe, interpositionem terræ, tunc scit, quod sol eclypsatur, sed nescit propter quid. scit quis Deum tonare, sed propter quid, vt propter pcutionem nubium, ignorat, scit tum quia, eo quod sic est. Simili modo cum habemus opinabilia, & resoluere vsque ad immediata opinamur quia, & propter quid, sed cum opinamur tantũm, & nescimus resoluere, tunc quia opinamur solum, & nõ propter quid.

Tex. 90. Eiusdem vsque. Solertia.

Secundam, & tertiam conclusionẽ admittit in præsentia Philosoph⁹. cum corrolario. tertia ibi est, quoniam autem idem. quantum ad primam & secundam in ordine positam inquit. [Eiusdem autem opinio, & scientia non penitus est,] idest impossibile est ut scientia, & opinio sit omnino eiusdem, quasi dicat, quodammodo non eiusdem simpliciter:[sed sicut vera, & falsa eiusdem quodammodo est, sic & scientia, & opinio dicunt qdam eiusdem esse, inconuenientia accidunt, appetere aliaque, & non opinari quæ opinatur falsè,] quasi dicat, quemadmodum falsa opinio, & uera, circa eodem possunt esse quodammodo, sed non simpliciter: sic circa opinionem & scientiam idem est iudiciũ quod aliquo modo possunt esse circa eodem. quoniam si aliquis diceret opinionem ueram, & falsam esse penitus omnino, vt quidam dicunt, verbi gratia, illi qui dicebant omne quod alicui uidetur est verum, ille qui sic diceret vellet accidere alia inconueniẽtia, puta quod nulla opinio esset falsa, & qui opinatur falsa non opinaretur. Vbi notandum est Aristotelem dixisse alia, eo quod in quarto Metaph. alia posuit inconuenientia, scilicet, quod aliquis diceret idem esse verũ, & falsum. tertiam & vltimam conclusionem adducit cum subdit. d. [Quoniam autem idem multipliciter dicitur,] & primo [est autem sicut cõtingit] scilicet de eodem ueram, & falsam esse opinionem, [est autem ut nõ commensurabilem enim esse diametrum uerè, opinari inconueniens est,] idest, & est sicut non, vel quodammodo cõtingit, & quodammodo non cõtingit, ut opinari quod diametrum sit commensurabile costæ est inconueniens. (vere tamen,) quod est dicere non potest significare ueram opinionem. [sed quod diameter (circa quam sunt opiniones) idem; sic eiusdẽ est.] quasi dicat, sed secundum quod accipimus ipsum subiectum enunciabile diametrum, sic eiusdẽ est supple, opinio uera, & falsa, verbi gratia, est aliquis, qui opinatur non esse commensurabile, & verè, quod non sit. Alter vero opinatur quod sit commensurabile. quatenus ergo est enuntiabile potest verè, & falsè opinari. [Sed qđ quid erat esse, vnicuique secundum rationem, non est idem,] quasi dicat, qđ non est idem secundum rationem, siue quantum ad rationem, quod quid erat esse, aut diffinitiuam. ideo subdit, [similiter autem, & scientia, & opinio eiusdem est:] scilicet quodammodo, sed non secundum diffinitionem eandem, siue secundum eandem considerationem. [Hæc enim] supple scientia [est sic animalis,] idest, est de animali hoc modo, [quod non est contingere] opi-

opinari[non esse animal, sed illa quidem]supple opinio,[quæ est cōtingere:] siue quæ aliter se habere potest, opinatur. igitur non est idem, [vt si hæc quidem,] idest si scientia, [quod hominis quidem] scientia [est,] idest sit de homine,quod vere sit animal,& quod non possit aliter se habere. [sed illa hominis quidem,] supple opinio est, [sed non quod quidem hominis est,] idest sed opinio sit, quod non sit vere animal,sed aliud. [idē enim est,] idest quodammodo secundum quod enuntiabile est, sed non simpliciter erit idem, & secundum considerationem eiusdem: vt habetur de illo scientia,[quia homo:] erit scientia, & opinio,idest, quia enuntiabile est. [Hoc autem sicut non idem,] idest secundū rationem non de illo idem est scientia, & opinio. corrolarium deinde ponit dicens. [Manifestum ex his est,neque opinari simul idem, & scire contingit,] quasi dicat, ex his quæ dicta sunt patet,quod nō contingit,vt quisquam simul opinetur, & sciat. quoniā simul haberet utique opinionem aliter habendi, & non aliter idem, quod quidem non contingit,] quasi dicat, quoniam simul arbitraretur idem aliter se habere posse, & se aliter habere non posse,quod fieri non potest. [In alio enim unumquodque esse contingit eiusdem,sicut dictum est,]quasi dicat, quod fieri potest, ut in alio, & in alio eiusdem sit scientia & opinio, eo modo quo dictum est: [sed in eodem nihil sic potest esse,] idest, ut habeat opinionem, & scientiam simul; quoniam si sic esset, aliquis [haberet opinionem simul,ut quod homo esset secundum, quod est animal: hoc enim fuerit non contingere esse non animal,] idest, quoniam aliquis simul idem existimationem haberet, quod homo, secundum quod homo, & per se, esset animal: at hoc est non posse hominem non esse animal,[& non secundum quod animal: hoc enim sicut contingere,] idest, & quod homo non per se esset animal: quod fieri non potest. quoniam hoc erit hominem posse non esse animal, quasi dicat, quod hæc duo stare non possunt,ut quis credat de aliquo,quod sit vere animal,& quod non sit vere animal,aut quod nō possit aliter se habere , & quod possit aliter se habere. vnus enim , & idem non potest habere scientiam de eodē, & opinionē,at quod vnus habeat opinionem, & alter scientiam hoc patet esse. demum concludit dicens. [Reliqua autē,] idest reliqui habitus [quomodo oportet distribuere in rationē, & intellectum,& scientiam,& artem, & prudentiā,& prudentiā : hæc quidē Phisicæ est , illa uero Ethicæ speculationis magis,] quasi dicat , quod reliqua ad cognitionem pertinētia , quomodo distinguantur in rationem , intellectum, & cæt. quantum ad aliquid pertinet ad Phisicam , supple , eorum distinctio, & ad Ethicam, idest quædā horum naturali, & quædam morali accommodata contemplationi sunt magis, & hæc satis pro præsenti capitulo.

Tex. 91. Solertia vsque. Ad finem.

HOc est vltimum caput huius tractatus vltimi in quo Aristoteles diffinit ipsam solertiam , deinde tria adducit exempla. Diffinitio solertiæ est huiusmodi . [Solertia autē,est subtilitas quædam in non perspecto tempore medij,]idest est quædam subtilitas siue facilis coniecturatio medij, in tempore non præmeditato. Primū exemplum est hoc, [vt si quis videns, quod luna splendorem semper habet ad solem,] idest conuersa ad solem,

[statim intellexit propter quid hoc sit, quia propter id quod illustratur a sole,] quasi dicat, quoniam uidemus lunam semper habere splendorem in illa parte, quæ est versus solem, & nō in alia, debemus tunc intelligere recipere lumen ab ipso sole. Secundum exemplum est istud, [aut disputantē cum diuite,] seu altercantem pauperem, [cum diuite, cognouit quoniam commodatum est,] idest illico cognouit, quod ille diues aliquid accommodauit pauperi id quoque solertia est. Tertium exemplum est, [aut propter id quod amici sunt, quia inimici eiusdē sunt,] i. si aliqs uidit duos inimicos factos esse amicos, illico cognouit quod sunt facti amici, eo quod sunt inimici eiusdem alicuius. [Omnes enim causas medias videns cognouit & ultima,] quasi dicat, quod solers. quoniam statim uidens medias causas, cognoscit etiam vltimas causas, & tunc scit cum sit reducere medias causas ad vltimas. ponit in terminis. d. [splendidum esse ad solem, sit in quo a,] idest maior propositio, [lucere a sole B,] idest medius terminus, [luna c,] idest minor propositio, [inest igitur lunæ quidem ipsi c, b,] idest hæc est maior, quicquid habet lumen a sole splendet versus ipsum,. [quod quidem est lucere a sole, ipsi autem b, a,] idest ipsi b, siue ipsi habenti lumen a sole, inest a, [quod est ad hoc esse splendidum, a, quo splendet,] i. versus solem. [quare & ipsi c,] siue lunæ, [inest a,] idest splendidum esse versus solem, [per b,] idest per habens lumē a sole. Quicquid habet lumen a sole splendet versus ipsum, luna habet lumen a sole, igitur splendet versus ipsum, & hæc satis pro præsenti capitulo, & pro primo libro.

Finis expositio Primi Posteriorum.

D. IO. BAPTISTÆ, RVBEI, IN LIB. POSTERIORVM ARISTOTELIS COMMENTARIA.

LIBER SECVNDVS.

Tex. 1. Quæstiones, vsque. Quærimus. Cap. I.

IN libro præcedenti, egit Aristoteles de demonstratione, & ex quibus, & ex qualibus constet demõstratio ipsa. in hoc verò secũdo vult agere de medio demonstrationis. continet autem hoc caput unã cõclusionem. primo in hoc libro agit de quatuor quæsitis medij, si est, quid est, quia est, & propter quid est. deinde quomodo quid est ad demonstrationẽ se habeat. præterea diffinitionem per causam esse. Amplius de diuisione causarum. Deque compositione diffinitionis cum suis partibus. Vltimo de cognitione, principiorũ indemonstrabilium. Medium in demonstratione, potest dici omne illud per quod aliquid concluditur. In hoc primo capitulo agit de quæstionibus verè scibilibus. & hę ęquales sũt his quæ verè scimus. sed quatuor scimus. s. an est, quid est, quia est, & propter quid est, igitur quatuor sunt quæstiones. an est, & quid est, quærunt de esse simpliciter, sed quia est & propter quid quærunt de esse cõposito. puta cum dico an sit homo, si est Deus. at non sic in quesitis quia, & propter quid. dicit igitur. [Quæstiones sunt æquales numero ijs quæcunque verè scimus.] aut numerus quęstionum est æqualis numero eorũ quæ sciuntur. [Quærimus autem quatuor: quia, propter quid, si est, & quid est.] deinde agit de quæstione quia, & propter quid. de quia, cum subdit d. [cum enim quærimus vtrũ hoc insit, aut hoc in numerum ponentes,]. i. ponentes plura faciendo cõpositam quæstionem, [ut vtrum sol deficiat, aut non,]

tunc [quærimus, ipſum quia.] & eſt quæſtio compoſita quoniam quærimus de ſole & an deficiat, ſiue eclypſetur, quę ſunt duæ res. [ſignum autem huius:] quod quęramus hoc modo eſt, quoniam nos [inuenientes quia deficit,] ſiue eclypſatur ſol, [pauſamus, ſeu ceſſamus a dubitatione. [& ſi in principio ſciremus quia deficeret, nō quæremus vtrum,] ſupple ſol deficiat, at quoniam neſcimus quærimus. [cū autem ſciamus ipſum quia, ipſum propter quid quærimus, vt ſcientes quia deficit ſol, & quia mouetur terra:] tūc quęrimus [& propter quid deficit] ſol, [& propter quid terra mouetur:] ad centrū. [quærimus quidem hæc,] quæſita compoſita quia & propter quid hoc modo vt diximus, ſiue, [ſic.] deinde de ſimplicibus determinat dicens. [Quædam autē]. i. ſimplicia [alio modo quærimus: vt ſi eſt, aut ſi non eſt,]. i. an ſi detur vel non detur in mundo. [Centaurus, aut Deus: hoc autē ſi eſt, aut non] eſt, [ſimpliciter dico]. i. appello ſimplicem quęſtionem. [ſed nō] eſt ſimplex quæſitū, [ſi albus eſt, aut non] animal. nos [cognoſcentes quoniam eſt,] [ſiue quod datur Centaurus, quod eſt Deus, tunc [quærimus quid eſt,] qđ eſt ſecundum quæſitum ſimplex, [vt quid igitur eſt Deus, aut quid eſt homo?] deinde epilogat, [quæ quidē igitur quærimus, & quæ inuenientes ſcimus, hæc & tot ſunt,] q. d. qđ hęc quatuor ſunt, quæ quærimus, & totidem ſunt quæ inuenta ſcimus, duo ſimplicia, & duo compoſita. vbi notandum eſt hæc quæſita dicere nobis quatuor gradus ſciētiæ: primus gradus eſt quęſitum ſi eſt, ſecundus quid eſt, tertius quia eſt, quartus propter quid eſt, non ita tamen vt de vnaquaque re, debeat quæri hæc omnia, quia de Deo forte non poſſunt hæc omnia quæri, ſed poſſe. duo dicuntur ſimplicia, eo quod rē ſimplicem quærunt. alia verò duo cōpoſita, eo quod quærunt compoſitionem duarum rerum. ſimplicia appellantur quoque, non in parte, quia quęrunt rem ſecundum ſe, & vocantur, non in numerum ponētia, propterea quod unam rem tantum quærunt, hæc tria vnum & idem ſignificant nempe ſimplicia quęſita. Compoſita uerò appellantur, in parte, eo quod quærunt rem quo ad vnum particulare annexum, vt puta, an ſit alba. vocantur quoque, in numerum ponentia, quoniam quærunt duas res quæ conſtituunt numerum. Exemplum quæſiti quia eſt, utrum deficiat ſol nec ne, oſtenditque eſſe quæſitum, quoniam id quod cum inuenerimus ceſſamus, & ſi a principio ſciuiſſemus, non quęreremus, vtrū illud eſt quęſitum. huiuſmodi eſt, quia eſt, igitur eſt quæſitum. exemplū propter quid, vt propter quid deficit lumen ſolis? aut propter quid mouetur terra ad medium? exemplum ſi eſt, an ſit Centaurus, an ſit Deus. hoc quæſitū poteſt exerceri & de rebus, quæ ſunt, & de ijs quæ nō ſunt. exemplum quęſiti quid eſt, ut quid eſt Deus, quid eſt homo, hoc quęſitum poteſt exerceri tantum de rebus quæ ſunt, & hæc eſt differentia inter hæc duo quæſita ſimplicia.

Tex. 2. Quęrimus autem, vſque Quomodo autem. Cap. II.

Hoc ſecundum caput cōtinet vnā concluſionem, vna cum tribus rationibus. Quare poſtquam enumerauit quatuor quæſtiones, in hoc contextu reducit has ad duas, nempe ad ſi eſt medium, & quid eſt medium. deinde reducit has duas ad vnam, agitque omnem quæſtionem (vt ſumatim dicam) eſſe quæſtionem medij. concluſio eſt, huiuſmodi cum ſubdit dicens.

[Quæri-

[Quęrimus e, autem cum quærimus, quia est aut si est simpliciter].i. cum quærimus quia quantum ad compositam quæstionem. aut si est, quantum ad simpliciter, dico has duas, (quasi dicat)facere tantum vnam quæstionē nempe vtrum sit medium vel si est medium.ideo subdit [vtrum sit medium ipsius,aut non.cum autem cognoscentes]tunc scimus,[aut quia est] mediū, [aut si est,]medium,[aut in parte].i.in compositione,[aut simpliciter,] quantum ad simplicem quæstionem, [iterū propter quid quærimus,] ad composita,[aut quid est:] quantum ad simplicem, [& tunc quęrimus, quid est medium,]q.d. has duas alias quæstiones propter quid est,quæ est quæstio composita,& quid est,quæ est simplex, nō faciunt nisi vnam aliam quæstionem, nempe,quid est medium, igitur quia est,& si est,quærunt si est medium, qđ est vna quæstio.& propter quid, & qđ est,quęrunt quid est medium,quod est alia quæstio. ergo duæ sunt. deinde. [Dico autem quia est aut si est : aut in parte aut simpliciter.in parte quidem. vt vtrum deficit luna, aut augetur. si enim est aliquid aut non est,aliquid in huiusmodi q̄rimus.]q.d.qđ quiaest,& si est, differunt, sicut in parte & simpliciter.est quæstio in parte cum quęrimus,vt vtrum luna deficit, uel num luna augeatur. quoniam in tali quæstione quærimus si luna est aliquid puta augmētabile,uel defectibile, aut si non est aliquid horum. [simpliciter autem,si est aut non est luna,aut non] .i.sed quæstio simplex,siue de esse simpliciter, est cum quærimus ut utrū sit luna,uel,an detur luna,aut nō, subdit deinde[in omnibus igitur quęstionibus accidit quęrere si est medium,aut quid est medium] ipsum,omnis ergo quæstio medij queſtio est, secunda ratio est huiusmodi, & tunc reducit ad unam nempe ad quæstionem medij cū dicit. [causa enim est medium]:i. in demonstrationibus causa & medium sunt vnum & idem.[in omnibus autē] quæstionibus,[hæc]causa, siue mediū [quæritur.]ergo una est quæstio. [ut utrum deficit luna,]seu illa quæstio quæ quærit an deficiat luna, [utrū est aliqua causa aut non, post hæc scientes quia est aliqua]causa: [quid igitur hæc sit,]supple causa, aut medium, [quærimus.]hoc igitur modo considerato & quæstio,quia est,& quæstio qđ est possunt una dici,sed aliter, & aliter considerata.[causa enim prius esse nō hoc aut hoc:sed simpliciter substantiam,aut non simpliciter, sed aliquid eorum,quæ sunt per se,aut secūdum accidens:medium est.]q.d. quod medium est causa ipsius esse non hoc aut hoc.sed subiectū simpliciter, aut non simpliciter.sed aliquid eorū, quæ per se sunt,aut per accidens.uel sic dicas, siue quæratur esse simpliciter, ut de subiecto quæritur, quod quidem non est esse hoc, aut hoc, sed est esse simpliciter.siue quæratur esse non simpliciter,sed esse aliquid,ut est esse eorum quæ sunt per se, siue per accidēs: semper inquam in omnibus talibus causa,est medium,quæ quæritur.deinde subdit.[dico autem simpliciter quidem subiectum:ut lunam,aut terram, aut solem,aut triāgulum].i.de re quæ est de subiecto secundum esse simpliciter ut luna secundum se, & sol, & terra,& triangulus.[quid autem esse defectum,aut æqualitatē aut inæqualitatem ,si in medio sit aut non,]q.d. sed cum quærimus secundum partem quid est defectus quantum ad lunam, non simpliciter utrū sit luna, sed utrū deficiat, aut æqualitatem & inæqualitatem,quantum ad triangulum, quoniam tunc non quærimus utrū sit simpliciter triangulus,sed,utrum habeat æquales angulos duobus rectis, si in medio sit terra,nec ne, quia[in omnibus

bus his] quæstionibus, [manifestum est, quod idem sit, quod quid est, & ꝓpter quid d.]i. & quid est, de esse simpliciter, & propter quid de esse secundũ numerum, aut secundum partem, ut quid est defectus?[est]priuatio luminis a luna, a terrę, obiectu, [siue interpositione terræ.]Propter quid est defectus, aut propter quid luna deficit? propter defectũ luminis obiecta terra. [siue interposita terra.]Quid est consonantia? [scilicet in musica? est [ratio numerorum ĩ acuto, & graui.] siue secundum acutum, & graue, verbi gratia, in cantilenis, vt vox grauis Bassus, quæ est grauis respectu omniũ aliarum partium, & Cantus (quẽ vocant Musici) est vox acuta respectu iferiorum uocum. mediæ vero se habent, vt acutæ respectu inferiorum, & graues respectu superiorum uoces, [& propter quid consonat acutũ graui? propter id quod habet rationẽ numerorum, & graue, & acutum,] siue, propter id quod habent proportionẽ numeralem. [vtrum est cõsonare acutum & graue?] idest contingit ne acutum & graue consonare?[utrum sit in numeris ratio eorum] supple acutis, & grauis. [accipiẽtes autem quia est,] idest, quando scimus, quia est mediũ; [quid igitur est ratio quærimus,] idest quęrimus quid sit medium, & quid sit illa ratio. igitur omnis quæstio est quæstio medij. Tertia ratio est talis. [Quod autem sit medij quæstio,]idest quod omnes quæstiones sint medij, [ostenditur quandocunque medium est sensibile, [si nõ uidemus illud medium. tunc]quærimus non sentientes [siue non uidentes,]ut de defectu lunæ, [utputa cum non videmus lunã deficere, tunc quęrimus] si est, [supple talis defectus.]si uero essemus super lunam, non utique quæreremus; neq; si sit[talis defectus,] neque propter quid sit, [seu neque quid sit, ob uisionem,]sed simul manifestum esset utique utrunque, [scilicet, & si est, & qd est,] ex eo enim quod sentimus, & vniuersale factum est nobis notum, quasi dicat, quod ex ipso particulari in sensu facto, factum est vniuersale in intellectu, hoc dixit ad remouendũ cauillationem, quoniam posset quis hoc modo dicere, si nos essemus supra lunam non sciremus, ipsam eclypsari, quoniam sciẽtia non est particularis, sed uniuersalis. unde subdit. [sensus enim quod nunc obijcitur,] uel quod nunc interponitur terra, [ex his autẽ vniuersale vtique factum est].i. ex sensus perceptione, factũ est uniuersale in intellectu. [sicut igitur diximus qđ quid est scire idem est, & propter quid est].i. quid est & propter quid idem. [hoc autem]quæsitum [aut est simpliciter, & non eorum quę insunt aliquid est,].i. & non de ijs quæ sunt in numerum ponentia, [aut quæ insunt,]siue, aut sunt de illis, [ut quoniam duo recti]anguli trianguli[sunt, aut quoniã maius]est triangulus, [aut minus est.] concludit deinde[quod igitur omnia, quæ quæruntur quæstio medij sint, manifestum est.]ex his, quæ dicta sunt hæc sunt quæ uolui circa hoc caput. Vbi notandum est quod causa est medium, & hoc probat propterea, quod omne quod est, aut est substantia, aut est accidens: si est accidens.

vel { p se p accidens { per causam determinatã ut eclypsis
{ sine causa determinata ut albedo in pariete.

Sed in his quæritur causa, & causa est medium, vt dictum est. ergo semper quæritur medium. Notandum secundo, quod dicitur medium, quoniã est id quo medio satisfit quæsito, & quo medio mens aliquid comprehendit.

dit. dicitur causa quoniam est causa rei,& causa nostræ intellectionis.

Tex.3.Quomodo vsque.Quid autem. Cap. III.

SVpra probauit Aristoteles omnes quæstiones esse de medio.in hoc vero capitulo disputat, quod demõstratio, & diffinitio non sunt eiusdem. Quemadmodum dictum est esse vnũ, & idem quæsitum quid est, & quæsitũ propter quid. continet tres quæstiones vna cum dilutionibus. Primum igitur proponit dicens. [Quomodo autem quod quid demonstratur,& q̃s modus introductionis,& quid est diffinitio,& quorum]est diffinitio [dicemus: primum opponentes de ipsis,] quasi dicat,quod nos primum dubitãtes de ipsis,quæ hic posita sunt,(quoniã qui inuenit, prius dubitat:inquit ipsemet. in Metaphis.) dicendum est quo pacto demonstretur, quod quid est, & quis sit modus introductionis, & quid est diffinitio,num sit eiusdem, quod est demonstratio, & quorum sit diffinitio, num sit eorum quorum est demonstratio.[Principium autem futurorum supple dicendorum, [quod quidem sit maxime proprium habitis rationibus,] quasi dicat, principiũ sit futurorum,siue eorum,quæ in futurũ dicemus: id autem uidetur maxime accommodatum ac magis conueniẽs rationibus habitis sequentibus.ponit primam dubitationem dicens.[Dubitabit autem aliquis vtrum sit idem, & secundum idem scire diffinitione, & scire demonstratione,aut sit impossibile,] idnum sit idem scire per demõstrationem, & scire per diffinitionem. probatque non esse idem quinque rationibus. primo quia[diffinitio ipsius,quod quid est]siue medij rei[esse videtur:] uel uidetur facere scire, [quod autem quid est, omne uniuersale,& prædicatiuum est,]quasi dicat, hoc uidetur impossibile, quod sit idẽ. Primo,quia diffinitio videtur attinere ad ipsum quid est.qu id est autem omne,& vniuersale,& affirmatiuum est. patet igitur diffinitionem esse vniuersalium,& affirmatiuorum, de suis diffinitis.Sed[syllogismi,alij quidem priuatiui] seu negatiui [sunt, alij vero non] sunt [uniuersales:sicut in secunda figura,omnes]syllogismi [priuatiui sunt, [in tertia uero non sunt uniuersales.] at in huiusmodi figuris fit demonstratio, igitur non idem, & secundum idem est scire demonstratione,& diffinitione.Secundo[postea neque eorum]syllogismorum[in prima figura prædicatiuorum] siue affirmatiuorum, & uniuersalium, [omnium est diffinitio,vt quoniam omnis triangulus duobus rectis habet æquales.] nanque hoc pacto demõstratur in prima figura,cuius nulla equidem est diffinitio. Tertio probatur non idem esse.cum dicit. [Huius autem ratio est:] quod per primam figuram demõstrabile non est diffinibile. [quoniam demonstrabile,est demonstrationem habere,] idest quoniã scire id quod demonstratur,nil aliud est, quam habere eius demonstrationem.[quare si in talib.]supple præsciuntur per demõstrationem[est demonstratio: manifestum est, quod non utique erit eorum diffinitio.] igitur quoniam demõstrabilia per demonstrationem sciuntur: non est eorum diffinitio. [sciet enim vtique aliquis]affirmatiuum, [& secũdum diffinitionem:] tamen[nõ habẽs demonstrationem.] quoniam [nihil prohibet non simul habere,] supple aliquem habentem diffinitionem, habere quoque demonstrationem. Sed & prius haberi potest diffinitio. Quarto probatur cum dic. [Sufficit autem fides & ex inductione.]ad id ostẽdendum,

dum,quia[nihil diffinientes aliquádo cognoscemus neque eorum, quæ per se sunt, neque quæ secundum accidens,] quasi dicat, quoniam nihil vnquam eorum quæ sunt per se, aut quæ sunt per accidens:diffinientes cognouimus. nanque accidentium quæ per se,aut per accidens insunt nō possunt esse aliquæ diffinitiones. Quinto probatur.[Amplius si diffinitio, est quædam cognitio substantiæ:] huiusmodi[quæ demonstrantur,]manifestum est quod non sint substantiæ,[quasi dicat, item si diffinitio est cognitio substantiæ, siue est quædam substantialis notificatio; manifestum est quod quæ demonstrantur substantialia essentia, liaque non esse. [Quoniam quidē igitur non est diffinitio omnis cuius est demonstratio: manifestum est,] quasi dicat,patet quod non erit idem,& secundum idem scire diffinitione,& scire demonstratione. igitur nec cuiuscunque est demonstratio erit diffinitio. Vbi notandum est quod Aristoteles uolens de diffinitione, & demonstratione agere: principium accepit ab ipso diffinibile, & demonstrabile. idcirco est incipiendum a quæstione: vtrum diffinibilia, & demonstrabilia eadem sint,uel quemadmodum in textu dictum,intelligas.

Tex.4 Quod autem vsq;. Sed vtrum.

SEcundam quæstionem,ut supra dicebamus, ponit in præsentia Aristoteles, probansque duabus rationibus, quæ huiusmodi est, cum subdit dicens, [Quid autem cuius est diffinitio: nunquid omnis demonstratio est, aut non?]hoc est. sed quæritur ecōtra, num cuius est diffinitio, sit demōstratio,aut non?sed non uidetur esse. Primo probatur.[una quidem iā ratio,& de hoc eadem est.] nempe cum superiori. quoniam.[vnius inquantū vnū, est una scientia. quare si utique scire demonstrabile, est demonstrationem habere: accidit quoddam impossibile,] quasi dicat, quare si reuera scire id quod demonstrari potest, nil aliud est quam eius demonstrationem habere: accidit aliquod impossibile. quoniam[diffinitionem habens, sine demonstratione sciet.]hoc est inconueniens, quod si diffinibile demonstrabile esset, cum habere possumus diffinitionem,ante demonstrationem de ipso,sequeretur, quod illud quod ponitur esse simul diffinibile,& demōstrabile,possemus per diffinitionem scire antequam haberemus de ipso demonstrationem. igitur posset aliquod demonstrabile sciri anteaquam haberetur de eo demonstratio, quod absurdum est.Secundo probatur.[Amplius principia demonstrationum sunt diffinitiones: quorum]principiorū[non esse demonstrationes monstratum est prius.]in primo libro. quoniam.[aut erunt principia demonstrabilia, & principiorum principia,& hoc in infinitum abibit:].i.si principia sunt demonstrabilia erit processus in infinitum, [aut primæ diffinitiones erunt indemonstrabiles.]igitur oportet, ut primæ diffinitiones sint indemonstrabiles,quare non omnis cuius est diffinitio.erit & demonstratio, vbi notandum est, quod diffinitio est propriè substantiarum & non accidentium, intelligendum esse, de accidentibus in abstracto, non autem de accidentibus in concreto, quæ accidentia sunt in genere & significantur per modum substantiæ,ut fortis,& iustus & huiusmodi non sunt in genere, sed fortitudo, & iustitia, non enim est diffinitio hominis albi.igitur est diffinitio primo & per se substantiarum,& est accidētium propriè est abstractorum quā con-

concretorum, nisi ut significantur per modum substantiæ.

Tex.5. Sed vtrum, vsque. Ipsius autem quid est.

HAec est tertia, & ultima quęstio huius capituli in qua quærit ipse vtrum possibile sit quod alicuius eiusdem sit diffinitio & demonstratio: & si non omnis eius, & ostendit quod non quatuor rationibus. dicit igitur. [Sed vtrum si non omnis eiusdem, sed alicuius eiusdem sit diffinitio, & demonstratio: an impossibile sit?] q.d. vtrum si non omnis, eiusdem sit diffinitio, & demonstratio: alicuius ne eiusdem est diffinitio & demõstratio? an id impossibile est? videtur quod non primo. [Nõ enim demõstratio cuius est diffinitio.] causa huius dicti est huiusmodi [diffinitio ipsius quid est, & substantiæ est.] idest diffinitio ipsius quidditatis, & substantiæ siue essentiæ est. quoniam diffinitio est sermo essentiæ & substantię expressimus. [sed demonstrationes omnes videntur supponere & accipiẽtes qđ quid est, vt mathematicæ quid vnitas, quid impar, & similiter alie,] i. at demonstrationes omnes: supponere videntur ipsum quid est, & non demõstrare, ut mathematicæ qđ impar &c. igitur nullius cuius est demonstratio: erit & diffinitio: quare non alicuius eiusdem est diffinitio & demõstratio. secundo probatur. [Amplius, omnis demonstratio aliquid de aliquo monstrat: utquia est] si est demõstratio prædicatiua, [aut non est,] si est demonstratio priuatiua, sed [in diffinitione nihil alterum de altero prædicatur, ut neque quod animal de bipede] prædicatur, [neque hoc] siue bipes, prædicatur [de animali, [neque figura de plano] prædicatur, quoniam [neque est planum figura, neq; figura planum.] q.d. quod in diffinitione trianguli qđ est esse figura plana, planum non dicitur de figura: nec figura planum. tertio. probatur. [Amplius, alterum qđ quid est, & quia monstrare,] q. d. quod differunt, quoniam alterum est monstrare quid est, & alterum est monstrare quia est, quoniam [diffinitio ostendit quid est, sed demonstratio] ostendit [quia hoc est de hoc, aut non est,] idest ostendit affirmatiue uel negatiue aliquid esse de aliquo vel non esse. nõ igitur alicuius eiusdem: est diffinitio & demonstratio. Quarto, & vltimo probatur. [alterius autem] rei, [altera est demonstratio: nisi sit tanquam pars quædam totius,] idest nisi unum sit ut pars & alterum vt totum, [hoc autem dico quod ostensum est duobus rectis æquales habere de isoscele: si omnis ostensus est triangulus, pars enim hoc est,] idest isosceles [illud totum)] scilicet triãgulus, [hæc autem,] idest quid est cuius est diffinitio, & quia est cuius est demonstratio [non sese habent sic adinuicem,] ideo subdit [& quia est & quid est, quoniam [alterũ non est pars alterius.] deinde epilogat dicens. [Manifestum itaque quoniam neque cuius diffinitio, omnis huius demonstratio:] est, & manifestum est etiam, quod [neque cuius omnis sit demonstratio, & huius omnis sit diffinitio, quare omnino eiusdem nullius contingit vtraque habere] scilicet demonstrationem, & diffinitionem. [Manifestum est itaque quod neque diffinitio & demõstratio, neque idem erunt, neque alterum in altero,] scilicet erit vel sub altero. [& namque subiecta similiter se haberet] idest illa quæ subijciuntur se haberẽt similiter, scilicet nec demonstrabile, nec diffinibile sunt vnũ & idem, quoniam, quid est & quia est nec sunt idẽ, nec alterum est pars alterius, [hæc ergo vsque huc addubitata sunt,] scilicet per hunc modum & per hanc viã

opponentis, & arguentis. Vbi notandum est, quod non est demonstratio eius quod supponitur: sed eius quod probatur. Secundo sic, quod genus nō prædicatur de differentia, vt patet tertio Metaph. nisi prout differentia implicat speciem, quia de eo, quod significat differentiam non prædicatur genus: non enim aliud significat album quam albedo. nec hæc differunt inter se quantum ad rem significatam. Sed quantum ad modum significandi, & hoc notatum est quantum spectat ad secūdam rationem tertiæ quæstionis. Cum dicebatur in diffinitione, &cæt. primum uero quantum ad primā ibi. demonstrationes omnes videntur supponere. hæc satis pro præsenti capitulo.

Tex. 6. Ipsius autem vsque. Oportet autem in. Cap. IIII.

Qvatuor proposuerat Aristoteles problemata. exequutus de quarto. s. quorum sit demonstratio, & tertio. s. quid sit diffinitio. Hic de secūdo agit. continet vnam conclusionē hoc caput. in quo quæit arguendo, vtrum quod quid est, seu diffinitio possit demonstrari de eo cuius est, siue de diffinito, i. ratione quod quid est, seu sub ratione diffinitionis. vnde dicit, quod quid est, non posse demonstrari de diffinito in eo quod quid est per syllogismum duplantem. nanque vel in tali syllogismo præmissæ sumerentur cū reduplicatione, aut sine. non secundū: quoniam ex ipsis non sequeretur reduplicatio. nec primum, quia in tali reduplicatione esset petitio principij nanque in minore prædicaretur diffinitio de diffinito cum reduplicatione vt omnis numerus seipsum mouens est causa viuendi in eo quod quid est. Sed anima est numerus seipsum mouens ī eo quod quid est. igitur est causa uiuendi in eo quod quid est. petitio principij est in minore, quoniam cum fit vna tantum quidditas quod assumitur, deberet probari. duplantem appellat Hermolaus. Sed proprie nō est syllogismus. dicit igitur Philosoph⁹. [Ipsius autem quid est vtrum syllogismus sit, & demonstratio? aut non: sicut nunc ratio supposuit,] quasi dicat, vtrum ratiocinatio ipsius quid est, demonstratio ne est? an non: vt paulo ante supponebat disceptatio? videtur, qd est, diffinitioque non posse monstrari ī syllogismo de diffinito, siue de eo cuius est, in eo quod quid est, seu sub ratione diffinitionis. quoniam [syllogismus monstrat aliquid de aliquo per medium,] quod est dicere, syllogismū habere hanc conditionem, quod accipit medium, & per illud aliquid demonstra. i. Sed conditiones quod quid est, seu diffinitionis sunt hæc. cū subdicens. [Sed quid est,] i. diffinitio, [ꝓpriū qdē est.] i. est una hæc conditio, quod sit quid proprium, [& in eo qđ est prædicatur,] & hæc est alia conditio, quod prædicetur diffinitio in eo, quod quid est. [hoc autem] pósito, etiā [necesse est conuerti,] & est alia conditio, quod sit conuertibilis cum suo diffinito. Probat per syllogismū reduplicatiuum non posse probari, quod quid est seu diffinitio, in eo quod qd est dicens. [Si enim ipsi c, proprium est a,] idest si proprium est a, idest diffinitio, ipsi c, idest ipsi diffinito. a sit animal gressibile bipes, b animal rationale mortale, c vero homo, a sit maior, c, minor, b, medium, inquit igitur [manifestum est, quod & ipsi b,] siue ipsi medio, erit quid proprium, [& hoc] medium b, vel animal rationale mortale [ipsi c,] i. ipsi homini erit qđ medium, vel ipsi diffinito. [quare omnia sunt adinuicem] conuertibilia, &

omnia

omnia sunt propria. ex hac prima cõditione ostendit hæc adinuicem conuertibilia. igitur non potest diffinitio vniuersaliter concludi de suo diffinito, nisi medium etiam accipiatur proprium, & conuertibile, & nisi omnia hæc sint conuertibilia. quid in syllogismo reduplicatiuo ex secunda conditione diffinitionis requiratur, ostendit, scilicet quod diffinitio prędicatur in eo quod quid. ideo vult ostendere quid debet habere iste syllogismus, & dicit quod oportet procedere hoc pacto, scilicet, & maior & minor extremitas prædicetur cum hac reduplicatione, in eo quod quid est. d. igitur. [at vero & si a,] idest maior extremitas [in eo quod quid est omni b, inest.] i. in omni medio, [& vniuersaliter b, de omni c, in eo quod quid est dicitur.] i. prædicetur de minori extremitate in eo quod quid est. [necesse est a, in eo, quod quid est.] i. maior extremitas in eo quod quid est, [de c, dici.] i. diffinito, vel de homine, in eo quod quid est. [Si vero non sic accipit aliquis duplicans.] i. accipiat vel sumat bis hoc modo hanc particulam in eo quod quid est: [non necesse erit a,] siue maior extremitas. i. animal gressibile bipes [in eo quod quid est prædicari de c,] idest de diffinito. i homine: quæ est minor, in eo quod quid est. [sed si a,] idest diffinitio, vel maior extremitas, [de b, in eo, quod quid est] prædicetur idest de medio, quod est animal rationale mortale, [non autem b,] siue medium [de quocunque] siue de quibuscunque prædicatur b, prædicetur [in eo quod quid est, ipsum autem quid est vtraque habebunt,] quasi dicat, qđ sequitur oportere, quod quid est, ex vtraque parte, supple præmissarum, & non solum hoc. s. quod non solum a, sit quod quid est ipsius b, sed [hoc erit vtique & b,] siue medium animal rationale mortale dicetur [de c,] i. de homine [in eo quod quid est.] conuertibiliter. Deinde vult deducere ad absurdum dicens. [Si igitur quod quid est.] i. diffinitio [& quid erat esse.] i. id quod significat diffinitio, [vtraque habent,] idest ex vtraque parte est quod quid erat esse, tunc sequitur, quod [in medio termino erit prius, quod quid erat esse.] i. supponitur quod debet ꝓbari. i. quod mediũ sit, quod quid erat esse, ipsius minoris. quoniam ergo medium prius sumptũ erat ipsum quod quid est; sequitur quod probabitur, qđ quid est, ꝑ quod quid est, & erit petitio principij, vt prius dicebam⁹. declarat hoc, in terminis. d. [& omnino si est,] vel contingat [monstrare quid est:] ordinamus hoc modo terminos [sit c, homo.] i. minor ut iam diximꝰ. [a vero quod quid est.] i. maior sit diffinitio, [siue animal gressibile bipes, siue aliquid aliud:] nihil enim refert. [Si ergo syllogizatur a, de c,] idest animal gressibile bipes de homine, [necesse est a, de omni b,] siue de omni animali rationali mortali [prædicari,] quod est medium. q. d. si contingat demonstrare diffinitionem hominis de homine, necesse est diffinitionem hominis prædicari de omni medio in eo quod quid erat esse. [huius autem] supple c, vel ipsius hominis [alia media ratio.] i. alia media diffinitio, quasi dicat, quod non poterit a, de c, syllogizari, siue diffinitio hominis, de homine non poterit syllogizari, nisi b, vel medium accipiatur tale, quod sit diffinitio ipsius hominis: [quare & hoc] supple medium ipsum, [erit quod qđ est homo.] i. diffinitio ipsius hominis, s. animal rationale mortale. [igitur accipit] demonstrans in medio termino, [quod oportet ostendere: etenim] accipit [b,] medium, quod [est quod quid est hominis.] Siue diffinitio ipsius hominis, & ita est petitio principij syllogismus erit sic. Omnis homo

est animal gressibile bipes i quid, omne animal gressibile bipes est animal rationale in quid, igitur omnis homo est animal rationale in quid. obiurgat ergo Aristoteles hunc modum (aliter enim non concludetur diffinitio de diffinito sub ratione diffinitionis,) eo quod committit petitionem principij. Petitio principij est triplex, vna cũ probamus æque ignotum, per æque ignotum; secunda cũ probamus ignotum per ignotius, tertia cum idem p idem probatur, & de hac nunc agit ipse. patet hoc. non volumus probare diffinitionem de diffinito? scilicet. nõ ne assumimus pro medio diffinitum? probare. igitur assumimus pro medio quod fuit probandum, & probamus idem per idem. Notandum secund. Niph. quod possumus dicere syllogismum duplicatiuum esse duplicem, veluti duplex est duplicatio. s. rei & intentionis, rei, cum subiectum reduplicatur ex parte prædicati, vt animal est orthographus, quatenus grammaticus. Intentionis, cum additur aliqua intentio prædicato, vt homo est species, vt vniuersalis, species prædicatur de pluribus, vt vniuersale. igitur homo prædicatnr de pluribus, vt vniuersale. rei est duplex, aut minoris, aut medij, vt vult Arist. 1. prior. maioris reduplicatio inutilis est.

Tex. 7. Oportet vsque. At vero.

QVod semper in tali syllogismo petatur principium, ostendit in præsentia Aristoteles. cum subdit dicens, [Oportet autẽ in duabus propositionibus, & primis. & immediatis considerare,] quasi dicat, qđ id quod dictũ est in præcedenti, oportet considerare in duabus propositionibus, quæ sint primæ: & quod habeat terminos immediatos, siue quod sint ex immediatis terminis, hoc est proprijs. quoniam siue inter b, & c, detur alia ratio media; siue non, cum nõ fit processus in infinitum, nihilominus ad immediatam, & primam rationem venire necesse est. nanque [maxime fit manifestum quod dicitur.] hoc modo. s. quod petebatur principium. illi qui sunt [quidem monstrantes per cõuersionem] siue per terminos conuertibiles quod quid est alicui rei, vt puta,] quid est animal, aut quid est homo, aut quodlibet aliud eorum quæ sunt:] necesse inquam est illos petere principium. ideo. d. [petunt quod est ex principio.] s. sunt monstrantes idẽ per idem, & sic petũt principium, [vt si quis putet,] vel diffiniret [animam esse eandem causam viuendi sibi ipsi:] & est vna diffinitio. [hoc autem] siue si iterum diffiniat [esse eundem numerum seipsum mouentem,] quod est alia diffinitio. s. animam esse numerũ seipsum mouentem. igitur si quis vnã per aliam velit probare diffinitionẽ, [necesse est enim petere,] principiũ. s. dicere [animam hoc esse, quod numerum esse ipsum mouentem sic sicut idem.] animam esse verum numerum seipsum mouentem, & sicut diffinitionem in eo quod quid. igitur diffinitio de anima probabitur per diffinitionem in eo quod quid est. sic erit idem per idem. Deinde assignat rationem probando dicens. [non enim si sequitur a,] i. maior uel diffinitio [b,] idest medium, [&] medium [hoc c,] siue diffinitum [a, quod erat esse, erit in ipso c, i]. diffinitio erit de ipso diffinito, siue de illo concludetur. [Sed verũ erit dicere de c, solum.] i. de diffinito, quasi dicar, quod si accipiatur simpliciter diffinitio. s. animal gressibile bipes, esse in omni medio. i. animal rationale mortale, & medium, in omni homine vel diffinito, solum cõcludetur,

tur, quod diffinitio erit in omni diffinito, sed non concluditur, quod diffinitio sit quod quid erat esse ipsius diffiniti. Si vero volumus concludere qđ diffinitio sit quod quid erat esse ipsiꝰ diffiniti, non sufficit accipere præmissas tanquam propositiones simplices: sed diffinitiuas in eo qđ diffinitiuas. [neque si est a, quod quid est,] idest alterius, quam hominis, vt animalis, [& de b,] i. de medio [prædicatur omni. nanque animalis esse prædicatur de hominis esse,] quasi dicat, quoniam diffinitio animalis' prædicatur de esse hominis. s. de diffinitione vniuersaliter. [verum enim est de omni esse hominis,] siue de diffinitione vniuersaliter, [animalis esse: sed sicut, & animal] vniuersaliter dicimꝰ esse [de omni homine. sed non sic sicut vnum esse,] vt est diffinitio propria. demum concludit dicens. [Siquidem igitur si non sic accipiat.] i. diffinitiones proprias non accipiat. [non syllogizatur quod a,] idest diffinitio [sit in c,] siue in diffinito [quod quid erat esse & substantia,] vel tanquam essentialis, & ꝓpria diffinitio. [Si vero sic accipiat] per proprias diffinitiones [prius erit accipiens, quod in c,] idest in diffinito. [quoniam est quod quid erat esse b,] idest medium, quasi dicat, quod si hoc modo acceperit, vt dictum. s. per proprias, profecto accipiet b, idest mediũ diffinitionem esse ipsius c, idest diffiniti: [quare non demonstratum est,] idest, non sit demonstratio. Sed [qđ erat in principio accepit.] i. sed sumit, qđ a principio demonstrari petebatur, vel sed est petitio principij. patet ergo syllogismo demonstrari non posse quid est, diffinitionem ve de diffinito, vt qđ est, vel sub ratione diffinitionis. Vbi notandum est, Aristotelem intelligere diffinitionem nõ demonstrari posse de diffinito, & sic ista erit diffinitio animal rationale risibile, est diffinitio hominis absque copula, est, & sic ista non demonstratur: cum vero dico homo est animal rationale risibile, non amplius est diffinitio, sed est propositio, & hæc satis pro præsenti capitulo.

Tex. 8. At vero vsq;. quid enim prohibet. Cap. V.

Aliam adducit conclusionẽ in hoc capitulo, nempe quod quid est, non est demonstrabile de diffinito in eo quod quid est per syllogismum diuisiuum, quod probat, quoniã arguendo per syllogismum diuisiuum conclusio non sequitur de necessitate ex propositionibus, sed petitur principium, eo quod semper sumitur aliqđ tanquam probatum quod non est ꝓbatum, verbi gratia, hoc pacto arguẽdo substãtiarũ alia est corporea alia incorporea. corporum aliud est animatum aliud inanimatum. at homo non est corpus inanimatũ igitur animatum corpus est. non sequitur hic conclusio nisi respõdens concedat hominem esse corpus, sed petitur principiũ, continet igitur hoc caput conclusionem vnam, & quæstionem cum dilutione, quęstio ibi Amplius, & dilutio ibi syllogismum, dicit igitur. [At verò neque per diuisionem viam est syllogizare:] quod quid est demonstrari de eo cuius est, in eo, quod quid. [Sicut in resolutione circa figuras dictũ est.] siue, in libris priorum. [Nequaquam enim necesse sit rem illam esse cum hæc sit:] quasi dicat hanc esse formã syllogizandi, quod sit necesse rem uel propositum esse conclusum, cum sint præmissæ, sed hoc non facit syllogismus diuisiuus, [sed sicut neque inducens demonstrat,] idest sed se habet in via diuisiua quemadmodum in via inductionis, quoniam si quis inducit

cit per singularia ad vniuersale, nec nec demonstrat, nec syllogizatur ex necessitate, igitur, nec syllogizans diuisiue demõstrat, nec probat aliquid. sed petit principium, quia[non oportet conclusionẽ probare, neque]oportet conclusionem [in concedendo esse:] ratio, propterea quod non dat conclusioni vim concessio respondentis.[sed necesse est]conclusionem,[cũ illa sint,] scilicet præmissæ. [& si non dicat respondens. utrum homo animal est, aut inanimatum? postea accipit animal:nõ syllogizat,]quasi dicat, & si assentiatur respondens, verbi gratia, si quis interroget vtrum homo sit animal, vel inanimatum: & per inanimatum ĩtelligit, quod ęquale animamali sit inanimali: qui quærit inquam hoc modo videtur interrogare eum, an homo sit animal, quæ erit conclusio: deinde facta interrogatione, accipit animal, & hoc modo accipiens, nõ syllogizat: sed per concessionem respondentis qui dicit hominem non esse inanimal, absque syllogismo sumit hominem esse animal. [iterum, omne animal, aut gressibile, aut aquaticum] idest si fiat iterum iste syllogismus diuisiuus, vt homo est animal. syllogizãdo sequitur, quod sit gressibile, aut aquatile:[accepit gressibile]absque syllogismo,[& hominem esse totum animal gressibile, non necesse erit ex dictis, sed accipit & hoc.]q.d. & rursum si quærat qs, est ne omne animal gressibile an aquatile? dabitur vtrum homo (dicet interrogans) gressibile est, an aquatile? conceditur gressibile: & sine syllogismo, quoniam accipit per consensum, & accipit hominem esse id totum animal gressibile:& hoc modo(inquam) non ex necessitate sequitur ex dictis:sed oportet qđ hoc etiam supponat concessum sibi a respondente: nempe animal diuidi sufficienter in aquatile & gressibile, & quia pauca sunt quæ in exẽplo accepit, quia duo erant. s. gressibile, & aquatile, sed possunt etiã accipi plures diuisiones idcirco subdit. [Differt autem nihil in multis]diuisionibus,[aut in paucis sic dicere.] Per huiusmodi syllogismos diuisiuos. quoniam[idem est]iudiciũ. [Non syllogisticus quidem igitur, & vsus fit sic procedentibus: & de contingentibus syllogizari,] quasi dicat, procedentes per viam diuisiuam, formam, & vsum syllogisticum non seruant: & etiam circa ea quorum contingit esse syllogismus, supple nõ est syllogizare secundum formam syllogisticam ac vsum argnendi. ergo diuisio non est idonea ad demonstrandũ, quod quid est.

Tex. 9. Quod enim vsque. Sed vtrum.

ACcedit ad quæstionem cum dilutione in præsentia. probans per viam diuisiuam non posse probari, qđ quid est sub ratione diffinitionis. dilutio est cum dicit sed syllogismus. dicit ad primum [quid enim prohibet, & hoc verum quidẽ omne esse de homine. non tamen quid est neq; quod quid erat ostendens,]quasi dicat quid nam prohibet id totum, quod ex interrogatione diuisionis fuerit cõcessum vel datum de homine, uerum esse: nõ tamen esse diffinitionẽ declarans hominis quidditatem? q. d. nihil, igitur via diuisiua non est idonea, ad demonstrandum quid est, aliam rationẽ adducit. d. [Amplius quid prohibet apponere aliquid,] seu facere superfluã diffinitionem, [aut auferre]illam diminuendo[aut excellere substãtias,] idest transcendere, diuidendo genus per particulares differentias, prætermittendo communes, & intermedias. [hæc quidem igitur dimittuntur,]sup

ple in uia diuisiua, idcirco ommittantur non erit igitur idonea diuisio ad demonstrandum quid est. ponit dubitationem dicens. [contingit autem soluere in accipiendo in eo quod qd est omnia, & quod est consequenter diuisionem facere quæsitum prius, & nihil relinquere,] i. at forte dicet quis quod contingit sic resoluere diuisione: vt accipiantur omnia quæ in eo qđ quid est, seu in diffinitione prædicantur, & eius quod prius quæsitum est facere diuisionem, ut faciat aut constituat diffinitionem significãtem quod quid est, & nihil omittat eorum quæ requiruntur ad diffinitionem; vt sunt differentiæ, [hoc autem necessarium est, [scilicet quod si nihil relinquatur, erit diffinitio propria, & si omne in diuisione cadit & nihil relinquit, indiuiduum enim speciẽ oportet esse. [q.d. quod si omnia huiusmodi in diuisione cadent, scilicet quod ea, quæ accipiuntur per diuisionem prædicentur in eo quod quid est, & cadant in diuisione, & quod nihil desit. tale inuentũ per viam diuisiuam erit propria diffinitio, quoniam erit indicans, quidditatem indiuiduę speciei. i. specialissimę, vbi notandum hanc esse obiectionem & solutionem quorundam deinde diluit ipse sub. [sed syllogismus non tamen inest, sed siquidem alio modo cognoscere facit: & hoc quidem nõ fuit inconueniens, neque enim inducens forte demonstrat, sed tamen ostendit aliquid.] q.d. licet sit necessarium prędictis existentibus fieri aliquod indiuiduum: tamen non facit, prædicta via cognoscere syllogistice: sed facit cognoscere quod quid est per alium modum, & hoc non est inconueniens, qđ id faciat alio modo, siue manifestet, quam per syllogismum, vt ille qui inducit non probat syllogistice, attamẽ aliquid demonstrat nempe alia uia, similiter se habet diuisio. Deinde subdit. [syllogismum autem non dicit, ex diuisione eligens diffinitionem.] quoniam, [sicut sunt in conclusionibus, quæ sunt sine medijs,] idest vbi non reseruatur forma syllogistica, ut si aliquis dicat quoniam his existentibus necesse est hoc esse, contingit interrogare propter quid sit, sic & in diuisis terminis.] q. d. si quis dicat quoniam, quibusdam existentibus præmissis, necesse est conclusionem esse, vt si quis diceret existente omni homine, & existente omni equo, necesse est existere Platonem, & Brunelum; contingit interrogare propter quid, quoniam ibi non seruatur forma syllogistica, nec sequitur syllogistice, nisi addatur Platonem esse hominẽ, & Brunellum esse equum, sic huiusmodi modus augumentandi in terminis diuisiuis non fit syllogismus, eo quod semper restat interrogatio, [ut quid est homo? animal mortale pedes habens, bipes sine pennis. [hoc esset per viã diuisionis, non autem syllogisticam, quoniam secundum [vnamquanque, oppositionem propter quid scit] contingit interrogare. [& dicet enim & monstrabit diuisione,] idest ille qui vult manifestare quod quid est per viam diuisiuam opinatur se rectè syllogizare, at non solum dicet, sed etiã monstrabit totam diuisionem. [sicut opinatur quod omne animal aut mortale aut immortale sit, huiusmodi autem oratio omnis, non est diffinitio,], idest is qui respondebit monstrabitq; id per uiam diuisiuam, vt arbitratur omne animal mortale aut immortale esse, cum vero dabitur de homine qđ sit mortale, iterum arbitrabitur omne mortale pedes habere, si dabitur pedes habere, aut bipes aut quadruples: sed talis ratio non est diffinitio, propterea quod diffinitio nõ accipit vtrãque partem diuisionis. [quare quãuis diuisione monstrauit: sed tamen diffi-

nitio.

nitio, nō syllogismus sit, [hoc est, quare licet demonstrauit per viam diuisi uam, vel concluserit per illam: minimè fit vt id diffinitio sit. attamen si diffinitio, non syllogismus. Tu autem nota hic non quærere Aristot. an sit proficua diuisio ad cognoscẽdum diffinitionem, sed, num via diuisiua possit demonstrari quod quid est. Nec etiam diffinitio accipit utranque partem diuisionis: propterea quod non doceret nos diffiniti naturam, & hæc pro pro præsenti capite.

Tex. 10. Sed vtrum, vsque, & ad dubitantem. Cap. VI.

POstquam demonstrauerat quod quid est, nōn posse demonstrari de eo cuius est per diuisionem hic osten dit nō posse, neque per diffinitionem probatque duobus rationibus, continet autem hoc caput duas quęstiones, secunda ibi: & si ex conditione, vna cū dubitationibus, dubitationemque ibi: Et addubitarem. Quantum spectat ad primum inquit, [sed vtrum sit demonstrare quod quid est siue diffinitionē, [secundum substantiam? [siue secundum substantialem eius diffinitionē [ex conditione accipiētem quod quid erat esse:] idest ex suppositione ipsius diffinitionis. [quod est ex ijs quæ sunt in eo quod quid est proprijs] q. d. fieri ne potest, ut quis ostendat diffinitionem substantialem: hac determinata conditione, ut accipiat id esse diffinitionem quod coalitom ex ex ijs quæ sunt i eo quod qqid est, & ex proprijs, idest ita ut accipiēs sumat, quod quid erat esse, scilicet hominis esse illud quod ex ijs proprijs est, quæ in eo qđ quid est sunt. [hæc autem in eo quod quid est sola, & proprium est omne hoc enim est esse illi.] q. d. quod quædam sunt quæ sola de aliquo hoc ipso quod quid est prædicantur: quorum omne seu totum & proprium & ęqua le est illi, quoniam illi esse (puta homini, sic accipiatur proprium illius.) & est ratio, ac diffinitio. dilutionem ponit. d. diffinitionem non posse demonstrari de diffinito, & hæc est prima ratio cum subdit [An iterum accepit qđ quid erat esse & hoc?] idest an ne rursum, quod quid est, in hoc modo demonstrādi accipit, vt in superioribus? equidē, [necesse est enim per mediū monstrare,] q. d. quod posita hac conditione siue modo syllogizandi, necesse est monstrare diffinitionem per medium, quod est ipsa diffinitio. igitur diffinitio per diffinitionē demonstrabitur, quod est petitio principij. vt hoc modo, omne proprium hominis, quod de homine, vt quid est, dicitur, est hominis quod quid est, siue diffinitio: animal bipes rationale mortale est proprium hominis, quod de homine prædicatur, vt quid est: ergo animal bipes rationale mortale est hominis quod quid est, secundam rationē adducit. d. [Amplius sicut neq; in syllogismo accipitur quod quid est] siue diffinitio syllogismi [syllogizare,] idest non accipit diffinitionem syllogismi ad syllogizandum, (& hęc ratio est ex simili) sic cum demonstratur quid est, non est sumenda ipsius diffinitio, [semper enim tota aut pars est propositio ex quibus est syllogismus,] idest quoniam semper aut tota aut pars est pars ex qbus coalescit syllogismus. igitur] sic neq; quod quid est esse oportet esse in syllogismo,] idest neque diffinitionem diffinitionis opprtet esse ad syllogizādum diffinitionem in syllogismo, [sed seorsum] vel diuisim [hoc a positis esse;] q. d. quod diffinitio diffinitionis, & diffinitio syllogismi separata debet esse ab ijs quę ponuntur in syllogismo, igitur non potest fieri, vt quis demonstret quid est, syllogismo:

logismo, eo modo, vt sumat quid est, id proprium esse, quod coalescit ex ijs quæ in eo, quod quid est prædicantur.

Tex. 11. Et ad dubitantem usque. Ex si ex.

Dubitationem adducit. dicens, [& ad dubitantem, an syllogizatum est, an non est hoc? obuiandum, quoniam: hoc enim erat syllogismus,] quasi dicat, & si quis dubitet de syllogismo facto an sit, uel non syllogizatum? obuiandum est; ostendendo ei p diffinitionem syllogismi, quoniam hic est syllogismus. [Et adhuc quod nec quod quid erat esse syllogizatum est, quoniam vtique,] quasi dicat, & adhuc si quis dicat diffinitionem, aut quod quid erat esse, non esse syllogizatũ: tũc dicat imo syllogizatũ est:(nã id nobis supponebatur,) sed non demonstrabatur, vt dictum est. ideo subdit. [Hoc enim positum est nobis, qđ quid erat esse.] vnde concludit. [quare necesse, & sine eo quod quid est.] i. sine diffinitione syllogismi, [fit syllogismus: aut.] s. sine diffinitione diffinitionis [quod quid erat esse] siue diffinitio, fit [syllogizare aliquid,] quasi dicat, non debemus syllogistice probare aliquid de aliquo modo sit diffinitio per diffinitionem diffinitionis. nec debemus syllogistice probare de aliquo, quod sit syllogismus per syllogismi diffinitionem. Notatione dignum est secundum Egid. quod cum syllogistice per diffinitionem diffinitionis probamus diffinitionem: ibi est duo considerare, s. diffinitionem diffinitionis, quæ assumitur, & formam syllogisticam, in qua talis diffinitio ordinatur. quare sicut volumus facere fidem de diffinitione per diffinitionem eius, ita cum forma syllogistica concurrat ad hoc probandum debemus facere simili modo fidem de forma syllogistica per diffinitionem syllogismi, sed cum non debeat probari syllogistice syllogismus per diffinitionem eius: pari ratione non debebit probari syllogistice diffinitio de diffinitione ipsius.

Tex. 12. Et si ex usque. Qualiter igitur.

Ad secundam quæstionem accedit Aristoteles in hoc vltimo contextu huius capitis. in qua ostendit nos non debere probare diffinitionẽ per diffinitionem diffiniti. hocque diluit duabus rationibus dicit igitur primum. [Et si ex conditione monstret.] siue suppositione, vt supponendo diffinitionem vnius contrarij demõstret diffinitionem de alio contrario, [vt si malo inest diuisibile esse.] i. si diffinitio mali est esse diuisibile, [in contrario est contrarium esse,] quasi dicat, quibuscunque contrarium est; diffinitio cõtrarij, diffinitioni contraria est vt ipse subdit [in quibuscunque est aliquid contrarium.] quoniam [bonum malũ contrarium est, & indiuisibile] est contrarium [diuisibili. est itaq; boni, & indiuisibile esse,] quasi dicat, qđ in quibuscunque est contrarium, contrarium erit diffinitio contrarij. Si igitur bonum, & malum sunt contraria; & diuisibile, & indiuisibile esse est diffinitio boni, diuisibile esse erit diffinitio mali, & hæc erit regula generalis; & probat quod nõ possit probari hoc modo. s. diffinitio de diffinito, & primo. d. [Etenim hic accipiens, qđ erat esse] siue diffinitionem [mõstrat,] supple diffinitionem. i. diffinitionem, per diffinitionem. quoniam accipiæ ad monstrandum, quod quid erat esse. al-

cerum tamen fit,] quasi dicat, possum accipere diffinitionem tanquam medium ad aliquid demonstrandum, ita tamen quod medium acceptum sit qd alterum ab eo, quod cõcluditur. [Etenim in demonstrationibus] supple cõtingit ostendere per diffinitionem, qđ est medium, [est hoc quidem de hoc,] idest, diffinitio passionis prędicatur de subiecto. [Sed non ipsum] medium est idem quod conclusio, [neque] est ipsum medium idscuius est eadem ratio,] quasi dicat, ipsum medium non est eiusdem rationis cum ipso concluso, [& conuertitur,] quasi dicat, quod posito hoc modo medium conuertitur cum conclusione. Sed hoc nõ debet fieri, quasi dicat, non debere esse medium eiusdem rationis cũ concluso. ita quod non sit magis notum, sed sit æquale, aut eodem modo notũ medium quemadmodum conclusum. Aliam rationem adducit dicens. [Ad vtrosque autem.] i. eadem dubitatio est ad vtrosque syllogismos, [& secundum diuisionem demonstrantem, & ad sic syllogismum,] quasi dicat, quod eadem oppositio habet locum contra eum qui vult ostendere diffinitionem per diuisionem, & cõtra eum qui suppositione vtitur, quod quid est in syllogismo. [Eadem est dubitatio.] siue ijsdem est arguendi modus, vt [propter quid est homo animal gressibile bipes; sed non animal & bipes,] idest nec via diuisiua, nec alia via concludit diffinitionem esse quid vnum. quare non concludit magis, quod homo est animal bipes, quam animal & bipes. [Ex acceptis enim neque vna necessitas est vnum fieri quod prædicatur, sed vtique sicut idem homo erit musicus, & grammaticus,] quasi dicat diffinitionem dicere quid vnum. sed nulla istarum uiarum cõcludit, quod id quod prædicatur sit quid unum. igitur nulla huiusmodi uia concludit, qđ id quod prędicatur sit diffinitio in eo quod diffinitio. possunt enim esse, qđ sint multa, vt si dicatur quod homo sit musicus, & grammaticus. igitur secũdum huiusmodi vias videtur, quod diffinitio non probetur. Notandum autem hic est, Aristotelem loquutum fuisse modo platonico: posuit enim Plato eandem esse rationem vnius, & boni, quia videmus quod vnumquodque appetit vnitatem sicut proprium bonum; unum igitur idem est, quod indiuisibile, & per oppositum malum, est idem, quod diuisibile, & hæc pro præsenti capitulo.

Tex. 13. Qualiter igitur vsque: Quid igitur monstrabit? Cap. VII.

CONtendit in pręsenti capitulo Philosophus quid est non posse demonstrari. habetque vnam quæstionē, nempe, quod non potest demonstrari quid est de eo cuius est, & hoc probat sex rationibus. Primo igitur dicit. [Qualiter igitur diffiniens demõstrabit substantiam, aut quod quid est?] i. quonam pacto demonstrans demonstratione, siue qui diffinit, vbi mediũ est diffinitio demonstrabit essentialē diffinitionem, aut ipsum quod quid est de ipso diffinito? quasi dicat, demõstratur ne quid est de eo cuius est? sed. hoc videtur non posse esse. quoniam. [neque sicut demonstrans ex certis:] supple principijs, vel concessis [manifestum esse faciet, quod necesse est, qđ sint illa] principia, aut concessa [alterum aliquid esse.] i. conclusionē. quoniam [demonstratio hoc est.] siue in hoc stat demonstratio, quod accipiat quædam certa ex quibus sequatur de necessitate aliquid alterum. Dein de subdit non posse demonstrari, quod quid est demonstratione ad sensum. d.

neque

neque sicut inducens per singularia :] supple demonstrabit diffinitionem, [cum sint manifesta.]quantum ad sensum.[quoniam omne sic est :eo quod nihil aliter est,] quasi dicat, in omnibus singularibus sic est: eo quod in singulis nihil aliter sese habet.i.nec contingit demonstrare,quod quid est siue diffinitionem per singularia manifesta videlicet quod aliquid de omnib. prædicetur: & non sit aliquid eorum, quod aliter se habeat. quoniam sic inducendo[non demõstrat quid est: sed quoniam est,aut non est.]i.diffinitionem non demonstrabit, sed potius demonstrabit aliquid esse, vel non esse, vtputa omnis homo est rationalis, vel nullus asinus est planta. stantibus istis tribus modis, quod neque p terminos conuertibiles, neque per diuisionem,neque per suppositionem , & neque quarto per inductionem [quis igitur est alius modus reliquus ?] ad demonstrandum, quod quid est? quasi dicat, nullus, quia[non demõstrabit] quispiam quod quid est [sensu aut digito.]cum hoc pacto non possit.Secũdo probat cum subdit dicens. [Amplius quomodo monstrabit, quod qd est homo?] i. quod quid est esse hominis ? [necesse est enim scientem quid est homo,aut aliud quodcunque:scire quia est,]quasi dicat,quoniam necesse est eum , qui scit quid est homo, aut quiduis aliud cuiusque rei scire etiã illam rem esse:nanque[quod non est, nullus scit, quod quid est, sed quid significat.] i. quoniam de eo quod non est non est etiam aliqua essentia: nanque de eo quod non est nullus potest scire, quod quid est ;sed potest scire nominis significationem.[oratio quidem , aut nomen cum dico tragelaphus.quid autem est tragelaphus:impossibile est scire.]quoniam dixit eius quod non est nemo potest scire quid est:ideo.d.quod quid oratio , aut quid nomen significat potest quis scire, vt cum dico tragelaphus.i. hircocernus latine,& chimera, & huiusmodi fictitia,scire quid est seu eorum diffinitionem, impossibile est . aduerte quod p chimeram intelligo illud nomen fictum quem poetæ obseruant,eo quod est nomen montis Ciliciæ: apud Phaselitos diuidens Cariam & Lyciam:in cuius cacumine leones habitant : in medio capræ pascuis abundant , & in radicibus serpentes:& hinc est factus locus fabulæ , nempe chimeram esse monstrum , quod flammas euomat. Tertio probat dicens . [At uero si demonstrabit quid est] supple aliquis ; [eadem ratione demonstrabit,& quia est,& qualiter.]i. quod sit, & quonam pacto sit demonstrabit.Sed quomodo potest hoc esse ? [diffinitio enim vnũ aliquid & demonstratio,] quasi dicat, impossibile ,& ratio est in promptu ; quoniam est aliquid unum . ex partibus enim diffinitionis fit unum per se.quatenus unam naturam uniuersalem demonstrant , vt animal rationale mortale.sic etiam est demonstratio scilicet, quod significat quid unum cum ipsa utatur diffinitione pro medio.Sed demonstratio demonstrat, qa est,igitur. non demonstrabit quid est, seu diffinitionem : [id autem qd quid est homo,& esse hominem,aliud est,] quasi dicat , aliud est terminare quæstionem quid est de homine , & aliud est terminare quæstionem , quod est, est,seu quia est.igitur si aliquis demõstrabit de re una quid ipsa est, & quod siue quia ipsa est.nullo modo id ostendet una,& eadem ratione . propterea quod diffinitio est res una per quam ostenditur quid est . demonstratio est res alia per quam ostenditur quia est. igitur non demonstrabit qd est. Quarto ostendit dicens.[Postea per demonstrationem dicimus necessarium esse demonstrare omne quia est : sit sub-

stantia sit,] quasi dicat, alia ratio est ista quod dicimus necesse esse quoduis demonstrari esse, modo substãtia diffinitioque non sit. [esse autem non substantia vlla est.] i. sed esse quod in quæstione si est, quærit, nulli est substantia, siue essentia, aut pars essentiæ: & sic licet demonstraretur esse, diffinitio non demonstrabitur: quia esse, quod demonstratur, est esse, quod in quæstione si est, quæritur. [Non enim est genus, quod est,] quasi dicat, si poneretur, quod esse esset aliqua substantia, aut substãtia alicuius, sequeretur, quod ens esset genus. cum igitur ens non sit genus esse erit ipsum quid. nec erit ipsa substantia alicuius. [Demonstratio itaque erit quia est. igitur non demonstratur per demonstrationem quid est. sed quod vel quia est,] quod quidem & nunc faciunt scientiæ.] q. d. quem quidem modũ procedendi nũc seruant scientiæ, idest supponũt quod quid est, non autem demonstrant, quoniam [Geometra accipit, quid significat triangulus: quia autem est demonstrat. q. d. Geometra accipit quid significat hoc nomen triangulus demonstratque quod sit. nempe super lineã rectã datam contingit ordinare æquilaterum triangulum. igitur accipit nominis significationem & demonstrat quia est.

Tex. 14. Quod igitur vsque. Iterum autem.

Quintam & sextam rationem adducit in præsenti contextu. cum subdit dicens. Quid igitur monstrabit diffiniens, quid est triangulus?] q. d. qui diffinit quid igitur monstrabit, quid est ne triangulus? minime, idest vtrum quid est, vel quia est?[sciens igitur aliquis diffinitione quid est, si est non sciet; sed impossibile.] q. d. quod si sic fuerit, sciens igitur quis diffinitione quid est, nesciet si est: sed id est impossibile quod sciens quid est, nesciat si est, [manifestum est & secũdum modos terminorum quod non monstrãt diffinientes quia est,] q. d. quod monstrans quid est, non monstrat quia est, manifestum est non solum secundum prædicta, sed etiam secundum modos terminorum siue diffinitionum, qui nunc sunt in vsu, scilicet, qui diffiniũt non manifestant ac monstrant, quia est. [Si enim & est ex medio aliquod æquale,] idest si hæc diffinitio circuli, quod æqualiter sit ex medio, siue æqualiter se habeat ad centrum: sic inquã sciendo diffinitionem circuli ignoramus circulum esse: [sed propter quid est quod diffinitur, & propter quid est circulus, quæritur,] idest tamen restat inuestigare postquam scimus diffinitionem propter quid, siue causam an sit circulus. [esset enim vtique & montis ænei dicere ipsum,] q. d. vt inquit philoponus, quodcunque a diffinitione non monstratur, quod hæc est circuli diffinitio, esset forte non circuli, sed mõtis ænei, qui grece dicitur Orichalcos. [neque enim quia possibile sit esse quod dicitur assignant termini, neque quod illud est cuius dicunt esse diffinitionem: sed semper licet dicere & propter quid.] q. d. nec quia sit possibile esse quod dicitur, assignant diffinitiones, neque illud esse cuius aiunt esse diffinitionem: sed semper licet q̃rere causam an sit id quod diffinitum est. igitur est impossibile quod demonstretur quid est & quia est. Notatione diduum est vt notat Egid. quod si res diffinita esset quid ignotum sciendo diffinitionem non statim sciremus rẽ ipsam. sed adhuc oportet inuestigare, vtrum tale quod diffinitum sit res prædicamẽti, quare si circulus esset nobis ignotus & diceret quod circulus æqualiter est quod respicit mediũ, non propter

ptêr hoc sciremus circulum esse, quoniam de monte æneo posset dici. quid est mons æneus, & sciendo quid montis ænei, siue rationem eius, non propter hoc esset talis mons. sexto & vltimo arguit dicens, [si ergo diffiniens monstrabit, aut quid est, aut quid significat nomen, [q.d. quod si is qui diffinit, monstrat, aut quid est res, aut monstrat quid est nomen. [sed non est vllo modo eius quod quid est:] idest sed diffinitio nullo pacto monstrat quid est res: [erit vtique diffinitio ratio nominis, idem significans, sed non conueniens est,] idest monstrabit ergo quid nomen significat. erit igitur diffinitio, oratio nomini idem significãs: sed hoc est inconueniens, & hoc patet tribus rationibus. primo. [primum quidem] supple quod non sit idem quid nominis, & quid rei patet, [quia & non substantiarum diffinitio esset,] idest esset diffinitio earum quemadmodum est & de substantijs: [&] esset quoque diffinitio [eorum quæ non sunt.] sicut eorum quæ sunt, [est enim] siue, quia contingit [significare] per nomen [& quæ non sunt.] secunda ratio est. [Amplius omnes rationes] siue sermones, ratiocinationes; [diffinitiones erunt, esset enim utique nomen ponere cuilibet orationi,] idest cuilibet confabulationi, siue sermoni. [quare terminis utque disputabimus omnes: [idest & sic omnes loquemur diffinitionibus, [& Ilias,] idest Historia Troiana quam recte Cecinit Homerus, [erit diffinitio.] Tertio patet quod non est idem quid rei, & quid nominis cum dicit. [Amplius neque vna scientia demonstrat utique quia hoc nomen eius quod quid est esse ostendit, neque igitur diffinitiones hoc assignant.] q. d. nulla scientia demonstrat hoc uel illud nomen uel id significare: diffinitiones sunt scientia: ergo diffinitio nõ ostendit hoc nomen hoc significare.

deinde epilogat dicẽs. [Ex his igitur] quæ dicta sunt manifestum est quod [neque diffinitio & syllogismus idem videtur esse:] & manifestum est quod [neque eiusdem] sunt [syllogismus & diffinitio, adhuc autem] manifestum est [quod neque diffinitio nihil demõstrat,] idest neque diffinitio per demõstrationem concluditur siue demonstratur, & etiam manifestum est quod [neque monstrat,] & manifestum est quod [neque quod quid est neque diffinitione neque demonstratione cognoscere est,] idest neque nos cognoscere posse quid est diffinitione, neque demõstratione. igitur quod quid est nec diffinitione, nec diuisione, nec suppositione, nec alijs id genus probatum est, non posse probari. Hic autem notatione dignum est secundum Egid. quod quid nominis est ratio explicãs illud quod dicitur per nomen. si ergo vni magne orationi, imponeretur unum nomen & uocaretur a, ratio explicans quid importatur per illud nomen a puta Aeneidos esset tota illa cõfabulatio, si igitur esset idem quid rei, & quid nominis vna tota confabulatio esset vera diffinitio: eo quod esset explicans quid nominis, siue quid importat hoc nomen Aeneidos. secundo notandum est secundum eundem quatuor esse differentias inter quid nominis & quid rei. prima quid nominis ita est accidentium sicut substantiarum. secunda est, quia est ita non entium quam entium vt chimera. Tertia differentia est quoniam quid nominis est ita complexorum quam incomplexorum: quod non est de quid rei, nanque hominis albi non est diffinitio, ut probatur in 7. Metaphis. Quarta est quantum ad intentionem scientiarum, quoniam licet illa eadem diffinitio quæ est quid rei de ipso circulo sit etiam quid nominis: attamen Geometer dãs huiusmodi diffinitionem: nõ dat eam

 vt

vt per ipsam habeamus de nomine scientiam, sed de re.igitur non est idē quid nominis & quid rei,& vbi est idē differt quantum ad intentionem scientiæ,hæcque pro præsenti capite.

Tex.15.Iterum,vsque. Quo autem modo. Cap.VIII.

IN præsenti capitulo ostendit quid est posse demonstrari de eo cuius est per aliud quid est, quoniam supra ostendit quod neque diffinitiue poterat,(namque diffinitio neque affirmat neque negat)nec demonstratiue.ideo hic per aliud quod quid est, sed non in eo quod quid est ostendit posse demōstrari,quia aliquod diffinitum plures potest habere diffinitiones,quarū una demōstratur de diffinito per aliā: & iste modus arguendi dialecticus dicitur. continet autem hoc caput unā conclusionem & unum corrolarium, quod est ibi. Quare hoc. conclusio est cum dicit [Iterum autem speculandū est quid eorū]quæ ante hac dicta sunt, [dicitur bene,&]speculandum est[qd non bene],sit dictum de ijs quæ dicta, [& quid est diffinitio: &] dicemus [eius quod quid est]nunquid quodam modo est demonstratio,aut diffinitio, aut nullo modo,] quasi dicat, & dicemus num quod quid est aliqualiter possit demonstratione diffinitioneue, aut nullo modo manifestari. Deinde exequitur cum subdit dicens. [Quoniam (sicut diximus) idem est scire, quod quid est,& scire causam ipsius si est:] nam diximus in principio, quod propter quid est,& quid est esse idem, & qui quærit, quod quid est quærit causam: nā quod quid est,& diffinitio est eius,cuius est, & causa. stantibus igitur his argumentetur hoc pacto iuxta Philoponum,quoniam diximus scire quid est.i.substantialem atq; diffinitiuam rei rationē, & scire causam ipsius si est.i. existentiæ rei, idem est. Adde minorem.erit conclusio, ergo diffinitio potest demonstrari per diffinitionem.deinde subdit.[ratio autem huius est] quod idem est scire causam ipsius si ita est, & scire quid est; [quoniam] oportet quod eius, quod est rē esse[est,]aut sit[aliqua causa,]& huiusmodi non est nisi ipsa diffinitio,aut ipsum quod quid est [& hæc] diffinitio siue quod quid est, aut causa, [aut eadem,aut alia est:]i.diuersa, [& si vtique est alia]diffinitio siue causa [aut demonstrabilis est, aut indemonstrabilis.si igitur est & contingit demonstrari]per tale propter quid, & per talem causam; [necesse est mediam causam esse:] i. necesse est huiusmodi propter quid,& talem causam esse mediam ad probandum passionem de subiecto: & ad probādum quod quid est passionis: [& in figura prima monstrari,]oportet per huiusmodi causam, & ratio est quoniam,[vniuersale & prædicatiuum.] i. affirmatiuum [est quod demonstratur,] quia in prima figura concluditur solum affirmatiua vniuersalis. [vnus quidē modus nunc exquisitus est per aliud quod quid est mōstrare.]q.d. & hic modus vnus est qui nūc quoque exquisitus est demonstrandi qd est per aliud quid est,quod est causa, quod autem sit conueniens patet, quoniam necesse est quod medium ad probandum quod quid est accipiatur ipsum quid est, & similiter mediū ad probandum aliqua proprie aliquid proprium accipiatur.ideo.d. [horū.n. quod quid est necesse est medium esse quid est:& propriorum proprium.] q.d.diffinitio non demonstratur nisi per diffinitionem: & propria diffinitio nō nisi per propriam diffinitionem. v. g. diffinitio dicens propriam essentiam, demonstrabitur per diffinitionem dicentem propriam causam essentię.igitur

tur ad demonstrandum aliquid eorũ, quæ sunt quod quid est, siue quæ sunt de numero diffinitionum, erit mediũ ipsum quod quid est, & ad demonstrãdum eorum propriorum, siue quæ sũt de numero propriorum erit medium propria diffinitio. Corrolarium deinde ponit dicens. [Quare hoc quidem monstrabit, illud vero non monstrabit eorum quod quid eiusdem rei,] q. d. quare diffinitionum eiusdẽ rei, hęc quid est monstrabit, illa verò minime monstrabit, aut sic quare eorum, quæ sunt quod quid erat esse eiusdem rei, hoc quidem monstrabit, idest faciet demonstrationem, vt materiale, illud vero non faciet demonstrationem, vt formale quid est. [hic quidem igitur modus quod non sit demonstratio dictum est prius: sed est syllogismus logicus ipsius quid est.] q. d. hic syllogismus logicus, sed non demonstratiuus, quia petit principium: igitur syllogismus in quo materialis per formalem syllogizatur, non est demõstratio, sed logicus syllogismus diffinitionis materialis: namque est ex probabilibus concludens, & c demonstrari quod quid est per aliud in hoc capite sumitur pro posse dialectice ostendi. ergo quod quid est in eo quod huiusmodi, potest syllogizari logice, non autem demonstratiue potest concludi. erit ergo conclusio, quod, quod quid est in eo, quod quid est non potest syllogizari absque petitione principij. logice tamen hoc est inconueniens, & hęc pro præsenti capitulo.

Tex. 16. Quo autem, vsq;. Cum autem. Cap. VIIII.

Ostendit, hic Aristoteles, qđ sicut impossibile est cognoscere pp quid, nisi cognoscatur quia est: sic quid est non cognoscitur non cognoscen- do si est: licet econtra cognoscatur, hocque exemplo illustrat. cõtinet autem hoc caput tres conclusiones, & unum corrolarium: quantum spectat ad primam inquit. [Quo autem modo cõtingat dicemus, iterum dicentes ex principio.] q. d. quomodo contingat monstrari quid est, adhuc explicandum restat, aliquo sumpto principio: primũ ostendentes, non contingere monstrari quid res est, nisi si est, agnoscatur. [Sicut enim propter quid quærimus habẽtes quia est,] idest aliquãdo prius scimus quia est, deinde propter quid quærimus, [aliquando autem & simul manifesta fiũt,] & quia, & propter qd. [sed neque prius propter quid possibile est cognoscere, quam quia,] idest impossibile est scire propter quid, qa ignorato. [Manifestum est quod similiter & quod quid erat esse non] est cognoscere [sine quia est, impossibile est enim scire quid est, ignorantes si est.] i. non monstrabitur quid res est, si non cognoscatur si est. igitur bifariam possumus scire quid est, & si est, aut simul vtrunque habentes, aut prius habentes si est, deinde quid est, neq; possibile est nos posse scire quid est pri°, ignorato si est. Secundam conclusionẽ adducit. d. [Hoc autem si est aliquando quidem sed secundum accidens habemus,] quasi dicat, aliquando prius quoquo pacto si est cognoscimus, & aliquando si est, & quid est res simul. prius quidem, quia aliquando secundum accidens mediaque accidentalia habemus si est: [aliquando vero habẽtes quid] siue substantiam [ipsius rei, vt tonitruum, quoniam sonus quidam est nebularum, & defectum, quoniam est priuatio quædam luminis, & hominem, quoniam animal quoddam est, & animam, idem seipsum mouens,] quasi dicat, nos habere possumus dupliciter existentiam rei: siue scire per medium essentiale, aut per mediũ acciden-

cidentale, vt puta cum cognosco tonitruum esse, quia est aliquis sonus nebularum, aut cum cognosco eclypsim esse, quoniam est priuatio luminis, vel cum cognosco hominem esse, quia est aliquod animal rationale: & cum cognosco animã esse, quia ipsa seipsam mouet, tunc scimus ex his, quæ insunt essentialiter, & per se. cum est per medium accidentale, tunc scimus si est prius quam quid est, quando vero cognitio est per medium diffinitiuum, vel per se, tunc simul vtrunque scim⁹. [sed quæcunque quidem secundum accidens scimus, quia sunt: necesse est illa nullo modo se habere ad quid est] idest sciendo nos, quia per accidens nullo modo habemus, vt hoc modo sciamus ipsum quid. quoniam hoc modo neque ipsum quia scimus. ideo dicit [neque enim, quia sunt, scimus: vnde subdit [quærere autem quid est, nõ habentes quia est, nihil quærere est,] quasi dicat, quod quærere prius quid est non habentes quia, est nihil quærere. patet igitur si est, quod per accidentia scitur, non simul scire cum ipso quid est rei. [Secundum quęcunque autem habemus quid: facile est,] quasi dicat, de quibuscunque habemus ipsum quia est, facilius est quærere ipsum quid est. [Quare quemadmodum habemus quia est, sic habemus, & ad quid est.] i. quemadmodum habemus, quia est, sic disponimur ad ipsum qd est: nanq; si habemus quia est per accidentia per accidens disponimur ad ipsum quid est, & si habemus quia est ꝑ aliquid rei essentiæ, disponimur ad habendum totam diffinitionem. exponit deinde in terminis dicens. [Quorum igitur habem⁹ aliquid, quod quid est,] quasi dicat, de quibus scimus, quia ꝑ medium essentiale, de his quoque scimus simul quia & propter quid: & hoc patet in hoc exemplo: nã [primũ quidem sit defectus] lunæ [in quo a,] & sit maior propositio, [luna in quo c,] i. minor, [oppositio terræ in quo b,] i. medium, siue medius terminus. [vtrũ quidem deficit] luna, [aut non? b quęrere est, nunquam est, aut non?] i. dest quærere de conclusione, vt vtrum deficit luna vel non, & vtrum quærere de medio vtrum est medium vel non? [hoc autem nihil differt quærere, quã si est ratio ipsius, & si sit hoc, & illud dicimus esse.] i. hoc medium quærere, nihil refert quam quærere si sit diffinitio, vel ratio ipsius defectus: qui si est, & illud quoque est, vel si scimus quid, scimus & quia, & econtra, & si quærimus de vno, & de altero quoque: propterea quod eadẽ est quæstio de vtroque, & eadem via vtrunque habemus, [aut vtrius contradictionis est ratio: vtrum habendi duos rectos, aut non habendi?] quasi dicat, hoc quærere, habet veritatem in qualicunque ratione contradictionis, vt quærere vtrum habeat duos rectos, aut non? est quærere vtrum est medium? vel ex altera parte, vtrum non est medium? erit igitur omnis quæstio medij. cum quæstio de conclusione ad hoc medium referatur. cum igitur conclusio dicat quia, & medium dicat quid, eadem via habetur quia & quid. neque differunt nisi quatenus differunt sursum, & deorsum: si nanque scimus rẽ a causa in effectum, facile erit regredi ab effectu in causam.

Tex. 17. Cum autem vsque. Est autem.

TErtiam adducit conclusionem in hoc contextu cum corrolario. docens quando habemus ipsum, quia ꝑ medium accidentale. ac exponit in terminis. dicit igitur [cum autem inueniamus simul ipsum quia, & propter quid scimus, si per media sit.] i. cũ inueni-

inuenimus, quia per medium essentiale, simul scimus quia & propter qd [si vero non] scimus per media essentialia, sed per media accidentalia tūc [quia scimus, propter quid autem nō] scimus, vtputa, [sit ergo luna c,] idest minor extremitas [a,] sit [defectus.] i. maior [lunam plenam non posse vmbram facere, nullo nostrum in medio existente manifesto,] siue non posse facere vmbram in medio respectu nostri, seu inter nos, & lunam, & hoc sit [in quo b,] s. accipiatur, vt medium. [si ergo in c,] idest in luna [est b, quod est nō posse facere vmbram, cum nullus nostrum in medio sit,] idest sit habēs aliquod medium, quod accipiat sibi lumen lunę: & si vlterius [in hoc] non posse facere vmbram sit [quidem a, quod est deficere,] dico ergo quod si sic se habet, ipsum [quia deficit manifestum est, sed propter quid] deficit luna [nondum] est manifesta. ideo dicit [sed quia defectus quidem est scimus, quid autem] siue propter quid [nescimus,] verbi gratia, cum scimus lunam esse in plenilunio (existente tēpore non nebuloso tamen,) & videm⁹ illam eclypsari per interpositionem terræ, tunc scimus per medium essentiale. sed si scimus illam eclypsari nō propter interpositionem terræ, sed qa corpus nostrum nō facit vmbram ad illius radios, est scire tunc per mediū accidentale. quoniam corpus nostrū non facere vmbram ad lumen lunæ non est causa, quod luna eclypsetur, sed e contra. demonstrat nos scito qa, quærere propter quid. d. [cum autem manifestum est, quia a, in c, fit.] i. quod defectus fit in luna, [sed propter quid est?] idest tunc quæritur propter quid est defectus in luna? [quærere b, quidem est,] idest quærere propter quid, est quærere ipsum b, siue mediū quid est, aut quid sit huiusmodi medium: vtrum obiectio, aut conuersio lunæ, aut extinctio luminis,] idest vtrum b, siue medium, sit interpositio terræ, an conuersio lunæ, an eius luminis extinctio. [hoc autem ratio alterius termini,] idest hoc medium est diffinitio alterius termini: [vt in his, ipsius a,] idest diffinitio alterius termini, quod per a, significatur. [est enim defectus obiectio terræ,] quasi dicat, diffinitio propter quid, est obiectio seu interpositio terræ inter lunam, & solem. aliud exemplum ponit. d. [Quid autem est tonitruus?] idest si scimus quia, & vellemus scire propter quid, tunc dicimus quod est [extinctio ignis in nube:] & est quia. [propter quid tonat? propter extingui ignem in nube,] vel quia extinguitur ignis in nube. [Sit nubes c,] idest minor, [tonitruum a,] idest maior [extinctio ignis b,] idest medius terminus [huic autem,] idest ipsi c, [inest a,] i. nubes inest tonitruum, [& est ratio b, ipsius a, primi termini] idest, & b, qđ est extinctio ignis est diffinitio ipsius a, siue tonitrui, primi extremi. i. maioris extremitatis: [si autē iterum huius] extinctionis ignis siue b, [aliud medium sit: ex reliquis erit rationibus,] quasi dicat, tonitruum probatur per hoc medium, idest extinctionem ignis, si iterū extinctio ignis habet aliud medium per quod mediū probetur de nube ex alia ratione erit quoque manifestum. epilogat deinde. d. [vt igitur accipitur quid est, & fit notum, dictum est.] siue quo pacto sumatur quid est, & fiat clarum ac manifestum, ipso quia non ignorato, dictum est, corrolariū deinde ponit. d. [Quare syllogismus ipsius quod quid est, non fit neque demonstratio: [manifestum tamen est per syllogismum, & demonstrationem,] quasi dicat, quare & quoque dictum est, quod nō est syllogismus neque demonstratio ipsius quid est: vt proprie syllogizetur, aut demonstretur, quod quid est: tamen

manifestatur quod quid est per syllogismum, & per demonstrationem, inquantum medium demonstrationis propter quid, est, quod quid est. [Quare neque sine demonstratione est cognoscere quid est cuius est causa alia, neque est demonstratio ipsius, sicut, & in dubitationibus diximus.] idest quare est manifestum, quod neque sine demonstratione potest cognosci, quod quid est, cuius est altera causa, neque est demonstratio ipsius, quod quid est, quemadmodum obijciendo probatum est. Notatione dignum est secundum Egid. quod scire potest sumi dupliciter. s. large & proprie. cum enim scire proprie non fit nisi per causam īpossibile est scire, quia, nisi sciamus propter quid. at large loquendo prout non solum se extendit ad scire per causam, sed ad scire per signum; sic possumus scire quia & nescire causam siue propter quid. Secundo notādum secundum eundem, quod Philosophus loquitur de ipso quod quid est multipliciter: nam aliquando per qđ quid est itelligit quodlibet genus diffinitionis. aliquando intendit diffinitionem dicentem quid, quæ est demōstrationis conclusio. aliquando intendit diffinitionem, quæ est medium in demonstratione. cum supra dixit, qđ quid est, & propter quid esse idem, de hoc tertio modo intellexit, prout est medium in demonstratione. talis conclusio quod quid est non est demonstratio, quia quod quid est non concluditur per demonstrationem. Rursus huiusmodi quod quid est habetur per viam demonstratiuam, non autem cō positiuam eundo à præmissis ad conclusionem, sed resolutiuam eundo à conclusione ad premissas, seu ab effectu ad causam. hæc pro præsenti capitulo.

Tex. 18. Est autem quorundam vsque. Differt enim.

POstquam supra ostensum est diffinitionem per diffinitionem demonstrari; sed explanatum nondum est, quæ sit diffinitio demonstrans. ideo in præsentia ponit Aristoteles diffinitionum diuisiones, earumq; differentias. demonstratque diffinitionem formalem esse demonstrans materialem diffinitionem de diffinito. continet autē hoc caput quinque conclusiones. duo corrolaria, & epilogum. in hoc contextu quatuor adsunt conclusiones, & vnum corrolarium. primaque est huiusmodi. [Est autem quorundam quędam causa altera, quorundam autem non est.] quasi dicat est autem quorūdam diffinitionum quidem quæ iam alia causa, per quam possit demōstrari, quorundam autem diffinitionum non est altera causa per quam possit demonstrari, aut intellige diffinitorū. habet deinde alia litera, quod diffinitiones factæ secundum speciem, idest diffinitiones formales nullā habent medium per quod demonstretur. diffinitiones autem factæ secundum materiam possunt habere medium per qđ demonstretur. materiales illas nominat, (vt inquit Egid.) quibus necessitas imponitur. Formales quæ necessitatē imponunt, & quia forma imponit necessitatem materiæ, & efficiens formæ: diffinitio data per formam est formalis respectu diffinitionis datæ per materiam, & diffinitio data per efficientem erit formalis respectu diffinitionis datæ per formam. igitur diffinitionum quædam habent medium, & quędam carent medio. Deinde subdit. [quare manifestum quoniam eorum, sunt quid est,] idest eorum, quæ sunt habentia diffinitiones [alia quidem sine medio, vt principia sunt] idest sunt indemon-

indemonstrabilia, [quæ] principia, [quia sunt, & quæ quid sunt supponere oportet, aut alio modo facere manifesta, quod quidem arithmeticus facit,] idest quæ principia oportet, & esse & qd sunt supponere, vt facit Arithmeticus, qui quid est, & quia est vnitas supponit. ideo sequitur, & nanque quid est, vnitatem supponit, & quia est. sed habentium medium] siue quæ sunt demonstrabilia, [& quorum est altera quædam causa substantiæ, & ipsius esse, est per demonstrationē ostendere sicut diximus nō demonstrare.] secundam deinde ponit conclusionē dicens. [Diffinitio autem quoniā quidem, ratio ipsius quod quid est, manifestum est quoniam aliqua erit ratio ipsius quod quidem significat nomen, aut ratio altera, nomina ponens] nunc declarat quot modis dicitur diffinitio hocque propter duo, vt igitur intelligamus de qua diffinitione ea, quæ dicta sunt intelligenda sunt, & vt sciamus quid sit ipsa diffinitionis diffinitio, ideo nunc distinguit diffinitionē. d. quoniam autem diffinitio dicitur ratio ipsius quid est, & quid est, est duplex: aut quid est absolute, idest quid rei, aut quid est ipsum nomen significans: clarum est, diffinitionem quoque esse duplicem, vna quidem ratio ipsius nominis significantis, vt quid significat nomen, altera erit ipsius significati, vtpote quid ipsum significatum est. Ponit exemplum nominalis diffinitionis. d. [vt quid significat quod quid est secundum quod triangulus est,] idest vt ipsum nomen triangulus, quod significat, quid est inquantum triangulus, hoc est inquantum nomen trianguli, quasi dicat, quid significat ea diffinitio quæ est triāguli, [quod quidem] nomen, vel quam quidem diffinitionē [habentes quia est,] scito in quam hoc tunc [quærimus propter quid?] supple huiusmodi? quasi dicat, postquam habemus quid est siue aliquam diffinitionem nominalem, cum inuenimus prius quod est, tūc quærimus propter quid est, idest causalem rei diffinitionem: quæ est assecutiua naturæ rei. igitur erit prior diffinitio nominalis, postea essentialis. i. causalis [difficile autem sic est. accipere] quid est [quæ nescimus, quia sunt. causa autem est dicta prius difficultatis,] quasi dicat, cū dictum est post scientiam quid nominis illa quid rei sequatur. ideo quis potest arguere contra, quia tunc quid rei posset haberi sine præscientia existentiæ cum statim ad quid nominis sequatur quid rei. respondet ipse. d. difficile autem est sic quidditatiue accipere ea, quæ non scimus quia sunt: & ita post quid nominis scientiam, non illico scimus quid rei: nisi cum difficultate, & hæc difficultas prius dicta est. [quia neque si est neque si nō est, scimus: sed aut hoc secundum accidens,] idest quia non modo quid est ignoramus, ignorato, quia est, immo non possumus scire quia est, nisi quid est, sciamus, quoniam ignorato quid est, ignoramus quia est, & solum per accidens posset sciri. tertiam deinde ponit conclusionem. d. [oratio autem vna est dupliciter.] q. d. diffinitionis vna est, & ratio vna dicitur dupliciter. [hæc quidē coniunctione: vt Ilias.] idest una dicitur unam esse coniūctione ut Ilias Homeri, & Aeneidos Virgilij, [alia verò unum de uno ostendens non secundum accidens,] idest alia est quæ declarat unum prædicatū de uno subiecto & non per accidens: eo quod est assecutiua unius naturę. dixit non per accidens, quoniam si per accidens prędicaretur prædicatum de suo subiecto; cum accidens sit aliud quid a suo subiecto, huiusmodi diffinitio nō diceretur una oratio. igitur est duplex una oratio, aut coniunctione siue essentia, & unitate prædicati, po-

tes etiam esse una copulatione, ut propositio copulatiua Plato est Philosophus, Homerus est Poeta. [una quidē igitur terminus est termini, quæ dicta est.] idest diffinitionis, quæ dicta est, una est. quarta Conclusio est. [Alius verò terminus est oratio demonstrās propter quid est,] idest alia diffinitio est oratio demonstrans propter quid est, ut si diffiniretur quid est eclypsis, scilicet quod sit interpositio terræ, eclypsis non est ipsa interpositio sed causaliter tantum non formaliter; interpositio est causa, & propter quid eclypsis. [quare prior significat quidē demonstrat autem non.] idest diffinitio quæ est per essentialia rei, uel per ea quæ sūt ipsæ res, significat quid est, sed non demonstrat, idest non potest demonstrare, siue esse principium demonstrationis. primum corrolarium ponit deinde d. [Quæ uerò posterior est manifestum est quoniam erit ut demonstratio eius quod quid est, positione differens a demonstratione, [q. d. posterior uerò diffinitio quæ dicit propter quid: manifestum est quoniā erit quasi demonstratio ipsius diffinitionis dicētis quid, positione vel situ, differens, siue ordine, a demonstratione: quia ibi deficit ordo & figura syllogistica. Vbi notādum est quod ad principia non est ratio, vnde huiusmodi non possunt demonstrari, uel oportet ea supponere; siue alio modo oportet nota facere, quam per diffinitionem, possemus enim per quædam probabilia declarare, nō tamen possumus per demonstrationem concludere, loquēdo de demōstratione a priori & p causam. Notandum quoque est secundum Egid. qđ ex substantia & accidente vel ex duobus accidentibus nō fit, vnū qđ dicat naturam vnā, vnū aut formā, sed sunt vnū quia sunt in uno, aut de uno prædicantur, nam substantia & accidens non possunt prædicari de vno & eodem: & talem vnitatem potest habere Ilias, & Aeneidos, quia potest quis vna magna Historia recitari ubi nihil diceretur, nisi pro ut refertur ad aliquem hominem: ut Ilias forte fuit facta ad laudem Hectoris, & Aeneidos Aeneæ, seu Augusti: at eius partes diffinitionis veræ datę per essentialia rei, non sunt unum, quia sunt in vno; sed quia dicunt unam materiam & vnam formam, vt pat. in 7. Metaphis.

Tex. 19. Differt enim vsq;. Quoniam autem scire.

In præsentia Aristoteles quintam ac vltimam cōclusionem adducit, vna cum secundo corrolario, & epilogo, dicit igitur [differt enim dicere propter quid tonat; & quid est tonitruus, dicet enim sic quidem] propter quid tonat, in concreto, scilicet [propter id quod extinguitur ignis in nubibus,] idest quid extinguitur ignis in nube. [quid est tonitruus? sonus extinctio ignis in nube.] idest diffinitiue & in abstracto, sic, quis dicet ad quid est tonitruus? scilicet qđ est extinctio ignis in nube. Quare patet diffinitionē, quæ dicit quid, & quæ dicit propter quid differre inter se, quoniam differt propter quid tonat, & quid est tonitruus. Corrolarium est. [Quare eadem oratio] siue idem est quod ostenditur, hic, & ibi. sed [alio modo & alio dicitur, & sic quidem,] idest nisi dicatur tonat, quia est extinctio ignis in nube, est [demonstratio continua,] idest non distincta per varias propositiones, namque ponitur ibi primo passio cum dicitur tonat, deinde medium, cum dicitur quia extinguitur ignis, tertio subiectum, cum dicitur in nube, [sic autē diffinitio.] Secūdo probat. d. [Amplius est terminus] siue diffinitio [tonitrui,] hæc; [sonus in nubibus, hęc autem] diffinitio

finitio est illa, quæ [est ipsius quid est, demonstrationis conclusio;] sed non est demonstratio, [quæ autem est diffinitio immediatorum,] idest immediata quę est illa quæ dicit propter quid: ideo.d, [positio est ipsius quid est, & indemōstrabilis.] dicitur ergo tribus modis diffinitio: prima dicit quid est, secunda, propter quid est. tertia sola positione a demōstratione differt. Diffinitio ea quæ est propter quid, diffinitionem quid est ostēdit, sed non in eo quod quid est, & est immediatorū, & indemonstrabilium, & diffinitio, quæ complectitur vtrunque & quædam, & propter quid, se habet ad demonstrationem vt a qua sola positione differat. vnde subdit. [est ergo diffinitio, vna quidem oratio eius quod quid est, indemonstrabilis,] idest prima est explicatiua oratio ipsius quid est, indemonstrabilis. [vna vero syllogismus ipsius quid est, casu differens a demonstratione,] idest alia verò est ratiocinatio ipsius quid est, a demonstratione situ siue positione differens. [tertia uerò est quæ est ipsius quid est. dēmōstrationis conclusio.] idest tertia est declaratiua ipsius quid est, demonstrationis conclusio, hæ ergo diffinitiones differunt inter se. epilogat deinde. d. [Manifestum igitur ex dictis est & qualiter est] ipsius quod quid est demōstratio: & quomodo nō est, & quorum est] demonstratio, [& quorum nō est. Amplius autem diffinitio quot modis dicitur, & qualiter] siue quomodo [qđ quid est monstrat,] idest diffinitio demonstretur, [& quomodo non, & quorum est & quorum non, adhuc autem] demonstratum est quod, [& ad demōstrationem] pertinet, [quomodo se habet diffinitio utrum sit idem quod demonstratio, uel non, [& quomodo cōtingit eiusdem esse, & qualiter non cōtingit eiusdem esse.] supple demōstrationem & diffinitionem. Vbi notandū quod dupliciter differt demonstratio a diffinitione, positione & casu: quoniam demonstratio est ordinata in figura & modo, & diffinitio non differt casu, quoniam demonstratio est propriè rei, ut cadit & ut denominatur: nanque est potissime ipsius passionis in concreto, at diffinitio est magis ipsius rei secundum se & in abstracto. hæc pro præsenti capitulo.

Tex. 20. Quoniam autem. vsq;. Contingit autem. Cap. XI.

SVpra ostendit Philosophus qualiter ipsum quid est se habet ad demonstrationem, in præsenti uerò ostendit ipsum propter quid quomodo ad demonstrationem est habet, qđ quidem propter quid causam significat, & ostendit qualiter in demonstratione causæ assumātur, hocque docet, quomodo habeamus demōstrare per omnes causas, continet autem hoc caput quatuor conclusiones, & duos necessitatis modos. prima conclusio est huiusmodi. [Quoniā autem scire opinamur cum sciamus causam: causæ autem quatuor sunt,] & quælibet potest esse medium demōstrationis. [una q. dem qđ quid erat esse.] hoc est formalis, quæ est esse rei, & ex qua sumitur ratio quidditatis rei: [vna verò cū hoc sit, necesse est hoc esse,] idest causa materialis, vt ex necessitate materiæ in rebus accidit corruptio, cum sit hæc causa necesse est esse hoc, idest effectū illius. [Altera autem quæ aliquid primo mouit,] idest efficiēs quæ est principium unde motus. [Quarta vero cuius gratia,] i. finalis cuius gratia aliqđ fit, [omnes hæ monstrant per mediū.] vel vt habent aliqui textus, omnes hæ sunt medium in demonstratione.] & hoc enim quod cum sit, vel cū sit causa, [necesse est esse,] supple effectum earum

rum; [vna quidem accepta propositione non est,] uel non contingit demonstrare per huiusmodi causas: [duobus autem ad minus:] supple cõtingit demonstrare, ideo ambæ propositiones debent conuenire in eodem medio; [hoc autem est cum vnum mediũ habeant,] s. hoc modo contingit syllogizare cum illæ duæ propositiones hãbẽt unum medium, [hoc ergo uno accepto] medio in duabus propositionibus, [conclusionem] ex illis præmissis [necesse est esse.] Deinde demonstrare per hæc genera causarum docet, & primo materialem. d. [manifestum est autem & sic] Supple contingit demonstrare per causam materialem, ut [propter quid est rectus in semicirculo?] i. propter quid angulus in semicirculo descriptus rectus est? [aut quo existente rectus est?] idest uel tu, quid est illud, quod existente rectus est angulus rectus, qui in semicirculo est? dein de respondit per causam materialem ponens hoc in terminis, quia est causa matetialis per quam probatur angulum in medio circulo tectum esse. d. [sit autem tectum in quo a,] i. maior propositio, [media duorum in quo b,] idest medius terminus [qui est in semicirculo in quo c,] idest angulatio sit minor. [ipsius a, igitur,] idest rectũ per quod hæc passio intelligitur [rectum esse in c,] idest esse in angulatione, [qui est in semicirculo, causa est b,] quasi dicat, causa est quoniam est media pars rectorum duorum. [hoc enim] b, aut medietas duorum rectorum [est æquale ipsi a,] siue ipsi recto. propterea quod dimidium duorum rectorum valet vnum angulum rectũ [qui vero est c,] siue ipsi angulatio, quæ est in semicirculo, inest [ipsi b,] immedietate. [Duorum enim rectorũ dimidium est,] idest c, est dimidium duorum rectorum, seu angulatio. syllogismus est sic omne b, est a, omne c est b, ergo. omne c, est a, uel sic medietas duorum rectorum est æqualis ipsi recto, omnis angulatio quæ est in semicirculo est medietas duorũ rectorum, ergo omnis angulatio, quæ est in semicirculo est æqualis ipsi recto. Si dices quomodo est demonstratio per materiam, solutio est manifesta quoniam dimidium duorũ rectorum est materia anguli recti: rectus constat ex duobus angulis rectis, igitur duorum rectorum dimidium est pars recti, qđ demonstratur de angulo, quoniam in semicirculo est, & cum sit pars materia totius, igitur erit per causam materialem. vnde subdit. [existente igitur dimidio duorum rectorum,] vel si angulatio quæ est in semicirculo est medietas duorum rectorum [a, in c, est,] idest rectum est in angulatione. [Hoc autem erat in semicirculo rectum esse,] idest angulationem quæ in semicirculo est. s. quod sit dimidium duorum rectorum. per a, intellige rectũ, per b, dimidium duorum rectorum, per c, angulatio. Deinde quomodo per causam formalem contingat demonstrare ostendit dicens. [Hoc autem,] scilicet dimidium duorum rectorũ, quod æquale est ipsi a, & ipsi c, [idem est ei, quod quid erat esse,] idest per causam formalem potest demonstrari. [cum hoc significaret oratione,] quasi dicat si accipiamus diffinitionem significãtem hoc vel rectum: quod etiam per talem diffinitionem probabimus rectũ esse angulum in semicirculo, tunc huiusmodi probatio erit per quod quid erat esse siue per causam formalem. [At vero & ipsius quod quid erat esse, causa monstrata est media,] idest si potest demonstrari per causam formalem siue per diffinitionem significantem rectum, monstratum est. Deinde per causam efficientẽ docet demonstrare dicens. [Hoc autem,] vel hæc est per causam effectricem, vt [propter

pter quid Medorum bellum factum est Atheniensibus ? quæ est causa præliari Athenienses ? quoniam in sardes cum Eretrijs commiserunt,] idest quia ipsi prius cum Eretrensibus in sardes irruerunt. [propter hoc.n.] scilicet quia prius motiuum fecerunt [motum est primum,] quasi dicat, qđ hoc fuit primum motiuum prælij: ponit hoc in terminis. d. [sit bellum in quo a,]idest maior propositio,vt omne b,est a,vel omnes prius iniustificātes erga aliquos sunt ab illis debellādi:[priores committentes in alios b,] idest sit medius terminus, [Athenienses c,]idest minor propositio,vt c, est b, vel Athenienses fore fecerunt in Medos; propterea quod & in Sardos. ergo Athenienses sunt debellandi a Medis.vnde sub.[est igitur b,] i.prius committere [in c,]siue in Atheniensibus.[prius enim est cōmittere, Atheniensibus,[a autem in b]idest si debellare est in prius committentes. [debellauerunt enim prius iniustos,] aut prius fore fecerūt.[est itaque in b, a,] idest debellari in prius incipientes. [debellari prius incipientes,] & hæc est expositio huius dicti [b, autem in c,] idest prius committere, [in Atheniensibus, quia priores inceperunt. medium itaque] ad sic demonstrandū [hic] siue in hac causa [est primū mouens.]siue causa efficiens. [demū docet per causam finalem cum subdit.d. [Quorumcunque vero causa est cuius gratia,] siue finalis, [vt propter quid ambulat ? vt sanus fiat.] dicunt enim Medici, quod deambulatio (dum necessaria) est causa sanitatis. [propter quid domus est?vt saluentur vasa,] & vt saluemur à pluuia. huiusmodi nāque demonstratio est per causam finalem.[Hoc quidem]supple deambulare[gratia huius,quod est sanari: illud vero] supple domus [gratia huius,qđ est saluari:]deinde subdit,[& propter quid oportet post cęnam ambulare, & cuius gratia oportet, nihil differt,] quasi dicat,nihil differt quærere propter quid post cęnam oportet deambulare, & cuius gratia hoc oportet facere: quoniam est quærere causam finalem exponit in terminis.d.[Sit ambulare post cęnam in quo c,]idest minor propositio, [non eminere cibos i quo b,]siue medius terminus: [sanari in quo a,]i.maior extremitas.[sit igitur in eo, quod est post cęnam ambulat esse facere non supereminere cibos iuxta os ventris: & hoc est sanū.] idest, quod ei qđ est deambulare post cęnam, insit hæc proprietas quod faciat descendere circa extrema stomaci, & quod non quæat illos eminere circa os stomaci: & hoc non eminere, insit hæc proprietas, quod faciat esse sanum.stantibus ijs ordinetur syllogismus sic. [videtur enim inesse ipsi ambulare quod est c, b, non eminere cibos.]i. ipsi ambulare, quod intelligitur per c,videtur inesse hoc b,quod est non eminere cibos,& erit minor.s. omne ambulans post cęnam non habet cibos eminentes circa os stomaci.propterea quod motus ille facit descendere cibos infra. [in b, autem a, hoc quod est sanatiuum.] siue in non eminere cibos,sanari,[quæ igitur causa est, in c,] siue ambulanti, [quod a,] seu sanari [sit quod est gratia cuius ?] idest causa finalis?[b,non eminere cibos.]i.medium quod est non eminere cibos, quæ est finalis causa. [Hoc autem] non eminere cibos [est sicut ratio illius]siue sicut causa, quæ est esse sanum, [a enim sic reddetur.] idest a, vel sanari sic demonstrabitur, quod insit ambulanti post cęnam; [propter quid b,inest c.]i.propter quid nō eminere cibos inest ambulanti:[quoniam hoc est sanari, hoc sic habere.] i. esse sic dispositum, & non habere cibos eminentes hoc est sanari: & hoc est es-

se sa-

se sanum.in est igitur sanari, ipsi ambulanti per medium non eminere cibos. formetur syllogismus omne b, est a, omne c, est b, igitur omne c, est a, vel omnis non habens cibos eminentes est sanus, ambulans post cęnā non habet cibos eminentes, ergo ambulans post cęnam est sanus. vult deinde remouere cauillum. posset nanque quis arguere, non esse bene dispositam demonstrationem, cum hic debeat p causam finalē fieri: at ipse finē tanq̃ maiorem extremitatē volēs, q̃d sanari sit a, siue maior, cum sanari nihilominus sit finale bonum respectu aliorum quæ dicta sunt, vt patet quod propter sanitatem homo cętera appetit. d. igitur. [oportet autem commutare rationes,]vel terminos,[& sic singula magis apparebunt.[causa autem hæc est quoniam, [generationes econtrario hic]in causis finalibus,[& in causis secundum motum] siue efficientibus se habent. [ibi enim]in efficientibus [medium oportet primum fieri.]i.id quod habet rationem prioris,& primi, accipitur pro medio:[hic aut]in causis finalibus [ipsum c, extremum,]vel vltimum est in intentione: est prius inesse. [vltimum autem]supple inesse est ipsum [gratia cuius.] siue causa finalis, quasi dicat, quod hic in causis finalibus ipsum c, extremū, est effectus, oportet fieri primum, sed vltimum, quod vltimo loco fit, est ipsum, gratia cuius. manifestum igitur est nos posse demonstrare secundum omnia genera causarum.

Tex. 21. Contingit autem vsque. Sed in ijs.

Declarauerat supra Aristoteles demonstrationem per omnes modos causarum posse fieri. hic ostendit vnum, & eundem effectum posse per plures causas demonstrari, inquit, igitur. [Contingit autem idem] hoc est eandem rem[esse, & gratia cuius]id est per causam finalem esse, [& ex necessitate.] i. per causam materialem, vt inquit Philoponus, [vt per pellem lucernæ lumen egredi. etenim ex necessitate disgreditur,]quasi dicat, propter quid penetrat laternam lumen. Ad hoc potest responderi per materialem causam, & per finalem. per materialem, quia ex necessitate disgreditur, illud[quod in parua est partibilius, & per maiores poros,] quasi dicat, quia id ex necessitate disgreditur, quod in parua est partibilius per maiores poros: nanque latiores poros habet vitrum, aut pellis, siue cuius talium propter hoc ergo pertransit, & hæc est demonstratio ex dispositione luminis, & laternæ, & sic ex necessitate materiæ. [Siquidem lumen fit disgrediendo.]i. hæc addit quoniam secū dum veritatem lumen non est corpus & ita non per poros pertransit: idcirco dixit: siquidem lumen fit disgrediē do, quoniam reuera non fit. lumen intra laternam contento non penetrando illuminat, sed recipitur in diaphano vitro, siue pelle seipsum per totū ęreum Hemisphericum multiplicando. potest responderi per causam finalem. cum. d. [& gratia cuius,]scilicet [vt non offendamus.] fertur. [nonne igitur si esse contingit.]s. esse aliquem effectum ex causa finali, & materiali, [& fieri contingit?] quasi dicat, sic. [Sicut si tonat extinctio igne, necesse est fizire, & consonare,] siue facere sonum ad modum ignis extincti. fizire est fictitium, vt quemadmodum campana facit tintin. sic ferrum ignitum cum mittitur in aqua facit fizi, & sonus ille vocatur fizire: quemadmodum tintinabulum a tintin, si ergo fit tonitruus ex ignis extinctione: arguere tonitruum esse huiusmodi est ex neces-

necessitate materiæ, si vero, [& (quemadmodum dicunt Pythagorici) minarum causa ijs qui sunt in tartaro, quatenus timeant.] i. si volumus p causam finalem respondere (more Pythagorico) est, vt hi qui sunt in Tartaro timeant. Deinde subdit quomodo huiusmodi veritatem habeant in his, q̃ quæ a natura sunt. d. [Plurima autem huiusmodi sunt:] in quibus possumus arguere ex fine, & ex necessitate, [& maxime in ijs, quæ natura subsistunt, hæc quidem propter hoc natura facit illa vero ex necessitate.] i. & præcipue in ijs quæ constant natura. quoniam in ijs quæ constant natura, quædā natura huius gratia facit, & propter finem, quædam autem ex necessitate materiæ. modi necessitatis sunt duo. vnde. d. [Necessitas autem est duplex: hæc quidem secundum naturam, & aptitudinem, hæc vero violenta, & cōtra aptitudinem,] quasi dicat, vna est secundum aptitudinem, vtputa quæ est ex conditione materiæ. alia vero violenta, vt quæ est secūdum causam mouentem. [Sicut lapis ex necessitate & sursum, & deorsum fertur: sed non propter eandem necessitatem:] nam sursum fertur propter necessitatem agentis, deorsum vero ex necessitate naturæ siue materiæ ex qua constat. Notandum est secundum Philoponū, quod hic duplicē necessitatē posuit, tamen in alijs quadrupliciter dixit necessitatem dici, vno modo simpliciter, secundo ex suppositione, tertio secundum naturam, quarto præter naturam: in alijs vero quintum addit modum, scilicet pro vtilitate. Secundo notandum, quod de exemplo non curat Philosophus. propterea quod falsum est tonitruum esse ordinatum ad hunc finem, vt perterreat animas infernorum, in hoc Pythagoras somniabat, & quicquid dicebant Poetæ quasi per somnium hoc dicebant. Sed veritatem, quam tenet fides Catholica omnino ignorabant.

Tex. 22. Sed in ijs vsque. In iis autem.

Tertiam & quartam conclusionem in hoc vltimo contextu Aristoteles adducit. in prima ostendit nō posse arguere ex necessitate in quæ sunt sub arte. sed solum ex vna causa puta finali. in secunda, & vltima in ordine demonstrat qualiter contingit diuersimode in his quę sunt simul cum suis causis, & in his quæ sunt simul. dicit igitur. [Sed in ijs quæ sunt ab intelligentia] siue ab arte [alia quidem] sunt propter finem, sed [nequaquam sunt ab eo, quod per se frustra est.] i. a casu [vt domus, aut effigies: neque sunt ex necessitate, sed propter hoc.] i. sed per causam finalem tantummodo demonstrantur. [Alia vero sunt a fortuna, vt sanitas, & salus.] i. sanitas infirmi quæ & ab arte, & a fortuna potest esse. nēpe si quis per artem non instructus, nec credens per hoc sanari comedit cibum per quem sanatur, & salus alicuius, & a fortuna, & ab arte potest esse, nempe si existens in domo videatque per artem illam debere cadere ac inde exeat, per artem est saluatus: si vero exeat casu, & cadat, hoc, casu fit salus. [Maxime] habet esse fortuna [in quibuscunque contingit, & sic, & aliter: cum nō a fortuna fit supple eorum, generatio.] docet differentiam fortunæ a natura, & ab arte. quoniam ars, & natura propter finem agunt. d. [quare finis bonus alicuius gratia fit, aut natura, aut arte.] i. agunt ob finē, quæ vero agunt] a fortuna nihil propter aliquid fit. [Siue propter finem, eo, quod vnumquodque tale est præter intentionem. vltima conclusio est. [eadem autem causa est, & in ijs quæ

fiunt,& in factis, & futuris,] quasi dicat, quod eadem ratio siue idem modus demonstrandi erit in ijs quæ sunt, quæ fiunt, quæue futura sunt, vt si causa est,& effect⁹,si erit,erit, si fuit,quoquæ.[Medium enim causa est.]i. quia in his omnibus medium est causa.[verumtamen]est differentia, quia[in ijs, quæ sunt]ipsa causa est illa, [quæ est, in ijs quæ fiunt]est illa,[quæ fit. factis autē]est illa quę est[facta, & futuris] illa quæ est[futura.]declarat hoc duobus exemplis dicens, [vt propter qd factus est defectus.]lunæ[propter id, quod in media facta est terra.]in præterito [fit enim propter id quod fit.] supple terra in medio. in futuro [erit autem & propter id quod erit in medio.,&]in præsenti[est propter id qđ est]in medio, terra. aliud exemplum est[vt quid est cristallus: accipiatur quoniam aqua cōgelata est.]propter caloris defectum, & sit[aqua in quo c,]idest minor siue omne c,est b,[cōgelata in quo a,]i. maior siue omne b, est a,[causa media in quo b, defectus caloris penitus.] i. & causa medium ipsum defectus, quod defectum caloris penitus importet,stantibus ijs.[est igitur in c,quidem b,]i. ista minor qđ aqua habet defectum caloris.[in hoc autem congelatū esse:quod est in quo est a,]quæ est maior.s.quod densatum habet penitus caloris defectum.syllogismus fit sic,omne b,est a,omne c,est b,ergo,omne c,est a, vel sic omne habens defectum caloris est densatum seu congelatum. Omnis aqua de qua fit cristallus habet penitus defectum caloris.ergo huiusmodi aqua erit cōgelata , & in talibus est simul causatū cum sua causa. Similiter in alijs temporibus potest fieri demonstratio. vnde subdit[sit autem cristallus cū fiat b,]siue cum fiat talis causa.[factus est autem facto.]s. cristallus.[erit autem futuro b.] i. erit cristallus futuro defectu caloris. Deinde epilogat. [sic quidem igitur causa, & cuius causa est,simul fit cum fit, & est cū est, & in eo quod factum est, & in futuro eodē modo,] quasi dicat; quod sic habet in his quę sunt simul cum suis causis,causa & cuius est causa, vel causata fiunt simul cum fiunt causæ, & simul sunt causata cum sunt causæ, & cum futuræ sunt causæ, & quoque causata. hæc pro præsenti capitulo.

Tex. 23. In ijs autem vsq; . De eo igitur. Cap. XII.

QVomodo contingat demonstrare in his quæ nō sunt simul cum suis causis, nunc ostendit Aristoteles, & primo pro ut procedunt secundum rectum, secundo prout procedunt secundum circulum, nempe in sequenti capitulo. præsens autem duas continet in se quæstiones vna cum solutionibus illarum, & vnam conclusionē. Prima est duplici solutione munita. dicit ergo.[in ijs autem quæ nō sunt simul, nunquid sunt in continuo tempore,] idest ita, quod non sit tempus mediū inter causam & causatum[sicut videtur nobis,alia aliorum causa esse.]inter quas non cadit tempus mediū inter causam & causatum, [vt facti]huius videtur causa [esse altera facta, & futuri futura,& eius quod fit : si aliqd antea factum est,] idest, & ipsius fieri causa est aliquid , quod prius factum est, quæstio ergo erit num istæ causæ se consequentes sint in tempore continuo necne. Solutionem adducit. dicit [est igitur a posterius facto syllogismus]necessarius.: &[principium]huiusmodi necessarij syllogismi est de numero[horum quæ facta sunt,]quasi dicat,in talibus conclusio est propositio significans causam , & mediū propositio significans effectum. idque nō

modo

modo in his quæ facta sunt principiū syllogismi necessarij est effectus, sed etiam, [& in ijs quæ fiunt similiter,] de præsenti, [a priori autem non est,] necessarius.s. quod probet [quoniam hoc factum est, quod hoc posterius factum sit, &]quæ dixi de præterito, & præsenti syllogismū non est necessarium a causa ad effectum, [& in futuro similiter est,] vel dico.Sed quia posset quis insurgere hoc modo, quod licet in huiusmodi non sit necessarium arguere a causa ad causatum secundū tempus indeterminatum, tamen erit necessarius syllogismus secundū determinatum tempus, vt quia & si non sequatur indeterminate fuit factum fundamentum ergo domus fuit facta tamen videtur sequi secundum determinatum tempus, vt anno præterito fuit factum fundamentum, igitur anno præterito fuit facta domus. Sic de futuro, vt anno proximo fiet fundamentum ergo domus fiet.ideo respōdit.d.[neque enim infinito, aut finito] siue indeterminato, aut determinato [erit tempore;] necessario sequens, vt [quoniam verum est dicere hoc factū esse:hoc verum est dicere hoc factum esse posterius.]i.vt quoniā hoc.i. fundamentum verum est dicere est factū: & hoc. s. domus verum est dicere factum esse posterius illo tempore determinato: nam ex quo id est factum tempore posterius, [in medio autem] tempore[falsum esset dicere hoc] factum esse[altero iam facto,] quia non sequitur ergo anno præterito domus facta est, facto anno præterito fundamento. [eadem autem ratio est, & in futuro. Deinde.d.quod neque causa, quæ in præterito est facta potest esse medium necessarium, eius effectus, q̄ erit in futuro, vt est iam factum fundamentum ergo fiet, &cęt.dicit igitur [neque quoniam hoc]fundamentum [factum est]in præterito, [hoc erit:]

in futuro, vel posterius fiet.causa est,] quia, [medium simul genitum oportet esse.]i.quia oportet mediū ipsum, ipsamque causam esse genitā simul, vt[factorum]oportet esse medium factum.[futurorum futurum. cum his quæ fiunt]oportet medium[fieri.cum ijs quæ sunt, esse. sed futurū esse]hoc, siue fundamentum, ergo oportet domus[esse, non contingit simul esse genitum.] igitur non est in talibus, ratiocinatio a priori ad posterius, idest a causa(in his quæ non sunt simul quę prior facta est non remaneat argumētatio, vt non valet. est fundamentum ergo paries. sunt parietes ergo domus.non enim necessitas aliqua cogit nos, vt si id fit, & illud quoque fit. &. Sed ab eo quod posterius factum est: hoc est ab effectu ad causam valet argumentatio, vt domus est igitur oportet parietes esse. paries est ergo fundamentum, & huiusmodi. secundo inquit.[Amplius neque infinitum cōtingit esse tempus medium: neque finitum, falsum enim erit dicere in medio,] quasi dicat præterea neque determinatum contingit esse tempus medium inter factam causam & effectum futurum, vt fundamento facto, possit dici post tres menses fiet domus, neque indeterminatum, vt fundamento facto, non potest dici fiet domus nulla determinatione temporis facta, quoniam erit falsum dicere in medio, hoc propterea quod in medio potest impediri tempore. secundam quæstionem mouet dicens. [speculandum ergo quid est continens, vt post id quod factum est sit fieri in rebus?] quasi dicat considerandum est quidnam in rebus ipsis continet, vt: post factum esse, fundamentum sit fieri cum causa materialis, nec efficiens esse possit? Dilutio est: [an manifestū est quod non continuum]est, [cum facto esse, neque factum]prius, est cōti-

nuum non est id quod fit, neque facto esse, continuum est factum esse. [termini enim, sunt atomi,] idest ipsa facta esse respectu fieri se haberet vt termini, & atomi siue sicut indiuisibilia. [Sicut igitur neq; sunt puncta ad inuicem copulata. neque facta sunt. vtraque enim indiuisibilia sunt,] quasi dicat, quod facta ad fieri se habent, vt puncta ad lineam: quoniam vtraque sunt indiuisibilia, & vtraque sunt termini. Quemadmodum puncta termini sunt lineæ, sic facta, fieri determinant. [neque igitur quod fit cum eo, quod factum est: propter idem,] idest non solum factum esse non est continuum cum facto esse. Sed nec quod fit est continuum cum eo quod factũ est. propter eandem causam seu rationẽ, vt quia factum esse est indiuisibile: nõ potest esse continuum propter hoc cũ fieri, quia [quod fit, diuisibile est, quod autem factum est, indiuisibile est,] q. d. fieri est diuisibile quemadmodum, & moueri: sed factum esse est indiuisibile quemadmodum & punctus. [sicut igitur se habet linea ad punctum,] qa linea est diuisibilis, & punctus indiuisibilis, nanque punctus lineam determinat: [sic quod fit, ad quod factũ est,] quasi dicat, qđ fit, vel ipsum fieri est diuisibile, & quod factum est indiuisibile: & est, ipsum factum esse, id quod determinat fieri. [sunt enim infinita facta in eo quod fit,] quasi dicat, sicut infinita puncta sunt in linea, sic sunt infinita facta in fieri. [Manifestum autem magis est in vniuersalibus de motu oportet dicere de his.] i. verum clarum est, quod facere hæc dilucidiora, pertinere potius ad libros vbi vniuersaliter agitur de motu, nempe in Phisicis, quam in hoc loco. Notãdum hic est quod arguere a priori est duplex, aut secundum naturam: aut secũdum tempus, quæ autem habent causam simul genitã possumus arguere a priori secundum naturam, quæ vero non habent causam simul genitã, nec possumus arguere a priori secundum naturam, neque a priori secundum tempus.

Tex. 24. De eo igitur vsque. Quoniam autem.

Prius epilogat, deinde ostendit quomodo in his liceat demõstrari a posteriori. hocque declarat exẽplis. ideo subdit dicens. [De eo igitur,] i. quod factum est prius, siue de causa media [quomodo se habeat media causa cũ eo quod consequenter fit generatione,] aut secundum generationem, in tantum acceptum sit. quoniam accepimus ipsam non posse habitam esse ipsi fieri. at in talibus quomodo licet argumentari, prosequitur dicẽs. [necesse enim, & in his primam, & mediam immediata esse.] Per primam intellige maiorem extremitatem, quæ est prius factum: posterius enim factũ potest esse immediatũ medium, ad prius factum, vt domus facta est posterius ad parietes, & paries ad fundamentũ [vt factum,] idest fundamentum [quoniam c,] i. paries [factus est. posterius autem c,] siue paries [a, autem.] i. fundamẽtum factũ est ipso pariete [pri: principiũ igitur est c,] siue paries est principium arguendi in talibus, idest a posteriori, [propter id quod proximum est ipsi nunc, quod est principiũ temporis.] i. ipsi nunc, quod est principium temporis a quo sumitur principium syllogizandi, in his est proximum c, siue id quod posterius est, non autem a, siue id quod est prius: & est sumendum principium in syllogizando in his a nunc posteriori, non a nũc priori. [Sed c,] i. paries [factum est, si d,] i. domus [factum est. cum igitur d, factum est, necesse est, & a,] siue funda-

damentum[factum esse.causa autem] media,[est c,]siue paries,[d enim facto,]vel domo facta[necesse est c,]parietem,[factum esse,c autem facto:necesse est a,]fundamētū [pri⁹ fuisse.]ne sæpe repetamus eadem, intellige tu p literam.a.fundamentum: per c,parietem, per d vero domum. Deinde subdit. [Si autem accipiens aliquod medium]posterius, [stabit alicubi immediatum,]idest erit dare aliquod posterius quod erit vltimum factum esse:& hoc, immediatum in huiusmodi erit. ex his patet in talib. ab effectu ad causam fieri demonstrationem,qui quidē effectus aliquo modo est principium quatenus se habet, vt finis respectu prius factorum. Deinde subdit removens quandam cauillationem,quoniā posset quis insurgere,quod nunquam esset deuenire ad immediatum, eo qd in quolibet fieri est dare infinita facta ideo.d. [an semper extra cadet ,pter infinitum?] quasi dicat, nunquid semper cadet extra imediatum; ita quod medium non erit immediatum. f. factum post factum in infinitum?Respōdet[non enim continuum factum est facto, quemadmodum dictum est.] i. factum cum facto quemadmodum dictum est,non est continuum. [Sed incipere tamen necesse est a medio, & ab ipso nunc primo.]Dilutionem huius cauilli non exacte dissoluere curauit,quoniam hoc habetur in quinto cap.sexto Physicorum.vbi de infinitate mediarum causarū agit. nam quāuis sint infinita esse incompleta: non tamen infinita completa.ideo a completis sumendæ sunt hæ argumentationes,vt a completa domo,a completo pariete, a completo fundamento, quia si ab incompletis sumeretur, esset quidem in infinitum, vt si domus facta est,& medietas facta est: & si medietas facta est, & medietas medietatis,&cæt.secundum hunc modum.sed a completis hoc sumendum est, vt diximus, & hoc quantum spectat ad facta esse. i futuris dicit quod simili modo se habet cum subdit. d. [Similiter autem est,& in eo quod erit. si verum erit dicere, quoniam erit d,] siue domus[necesse est]dicere quod prius[a, erit]siue quod lapides parabūtur.[huius autem causa est c,]scilicet,quoniā paries erit.[Siquidem enim d,erit:]siue domus [prius erit c,] seu paries.[si vero c,erit:prius a,erit,]vel prius lapides parabuntur. consimilem cauillationem,& in futuris remouet. d. nam sicut in fieri in præterito fuerunt infinita facta. sic in fieri futuro erunt infinita facta.d.[Similiter autem,& infinita est decisio,& in his,]quasi dicat, & simili modo in futuris esse,vt in factis esse:infinita diuisio est. [nō enim erūt supple futura[quæ erunt,continua ad inuicem,]quasi dicat quemadmodum facta præterita erant infinita, & non erant ad inuicem continua,sic & facta futura erunt infinita:& non erunt cōtinua ad inuicem. Respondet ergo.d. [principium autem,& in his.] s. futuris, vt in præteritis, [sine medio accipiendum est,]quasi dicat,quod principium syllogizandi non obstante hac infinita diuisione poterimus, & in talibus immediatum: scilicet accipiendo vltimum futurum,quod est primū quo ad nos.i.primo complete factum licet enim vltimum sit in essendo,erit primum in syllogizando, vt dicebamus in præterito, vt si erit domus, prius erunt parietes:& si parietes,erit prius fundamentum. igitur si erit domus,paries erit, si paries erit, fundamentum erit, si fundamentum erit,lapides erunt quare si domus erit, & lapides quoque. tu vero dic quod futura esse imperfecta,infinita sunt:perfecta autem,finita. Quibus argumentationes sumuntur,& in illis simili modo causæ sunt mediæ: & causæ primæ:

quæ

quæ amplius in medio nō cadunt. demonstrat hoc exemplis. d. [Habent autem sic in operibus. si facta est domus necesse est decisos esse lapides, & factum esse hoc,] scilicet decisi sunt lapides [propter quid est,] idest propter fundamentum. [quoniam necesse est fundamentum factum esse.] nam lapides intantum sunt materia domus inquantū sunt materia parietis siue fundamenti, quia non sunt materia illius ratione totius, sed ratione partis. si igitur quæratur, ꝑpter quid est facta decisio lapidum; respondebimus, quoniā necesse est esse fundamentum. [Siquidem & domus facta est.] propter q̃d prius fundamentum factum est. [Si vero fundamentum est: prius lapides factos esse necesse est. iterum si erit domus: similiter prius erunt parietes, (demonstratur autem per medium similiter.)] i. quemadmodum in factis demonstratur prius longius per posterius per prius medium: ita in futuris per futuram domum, futuros esse lapides demonstratur; per futurū medium, nempe, per fundamentum. ideo d. [erit enim fundamentum prius.] Si erit domus prius erit fundamentum, & si fundamentum, prius erunt lapides decisos. igitur fundamentum est illud medium, per quod similiter arguimus ex futura domo, futuros lapides decisos, quod quidem medium, & causa media appellatur, vbi nota in litera, quod Aristoteles dixit necesse est esse fundamentum, & necesse est esse lapides incisos: sed non loquitur de necessitate absoluta, sed conditionata. quoniam impossibile est esse domum, & nō esse fundamentum. necesse est enim esse fundamentum si fit domus: sic necesse esse lapides incisos si factum est fundamentum, & hæc pro præsenti.

Tex. 25. Quoniam autem vique. Quomodo quidem fit. Cap. XIII.

VT supra dicebamus docet nos Aristoteles quomodo arguere debemus in his quæ nō sunt simul', quātum ad ea quæ fiunt secundum circulum, verbi gratia, cum videamus quādam reciprocationem in his quæ fiūt: tunc euenit, quod illa argumentatio ob ambulatoria dicitur, siue circularis, vt ex pluuia generatur vapor, ex vapore generatur nubes, & ex nube pluuia. ergo talia circulariter se habent, & vnum ex alio demonstratur. continet hoc caput tres conclusiones. prima est, cum dicit. [Quoniam autē videtur in ijs quæ fiunt, quandam generationem circulo,] idest quia in aliquibus rebus reperitur quædam generatio circulariter, [& contingit hoc esse.]i. generationem circularem, aut hoc euenit in rebus siue entibus, aut possumus arguere generationem circularem in entibus, [siquidem consequantur adinuicem medium] demonstrationis, [& termini,] propositionū. nanque [in his conuerti est] necesse tunc. quoniam [ostensum autē est hoc in primis quod conuertuntur conclusiones: circulo autem hoc est,] quasi dicat, quod ostensum est in secundo priorum capite quinto, quod cū conuertuntur medium, & extremitates, tunc fieri conuersionem præmissarū ad conclusiones, & ecōtra, & hoc modo dicitur circulariter procedere. exēplo hoc patet. d. [in operibus autem] naturæ [videtur sic] fieri generationes circulares: nam [depluta terra: necesse est vaporem fieri, hoc autem facto.] s. vapore, necesse est fieri [nubem, hæc autem facta] supple nube, necesse est fieri] aquam. hac vero facta, necesse est terram [iterum] deplutam esse. hoc autem

autem erat] assumptum, [ex principio. quare circuiuit circulo,] vel demonstrauit circulariter. quoniam [cũ vnum horum quodlibet est, alterum est,] vt cum est pluuia est nubes, [& cũ illud est alterum,] est puta vapor, [& cum hoc primum] quoq; est. incipias modo tu a quocunque horum erit circulariter deuenire semper. Secundã conclusionem ponit. in qua agit de diuersitate causatorũ, quia aliqua sunt sicut semper, aliqua sicut frequenter. d. [sunt autem quædam quæ fiunt vniuersaliter. semper enim, & in omni, aut sic se habent: aut fiunt, alia vero quidem semper non, sed sicut frequẽter sunt, vt non omnis homo mascul⁹ habet barbam: sed est sicut frequẽter] quasi dicat, quædam vniuersaliter ac omnino sunt, aut fiunt eodem modo: quædam vero non vniuersaliter e odẽ sunt, aut fiunt modo. nam quæ semper sunt, aut fiunt modo. semper sic se habẽt, & in omni, vt ver semper est principium æstatis. Fitque in omni anno. anima semper est immortalis. sol oritur semper in Oriente, & quotidie oritur, & similia. suntque alia quæ nõ se habent semper eodem pacto, sed plerunque, vt quod omnis homo masculus barbam emittat non semper fit, sed plerunque. Tertia conclusio est, cum docet non debere accipere medium quod sit frequenter in his, quæ se habent sicut frequenter. d. [Talium igitur] quæ sunt sicut frequenter [necesse est, & medium esse sicut frequenter. si enim a, de b, prædicatur vniuersaliter,] i. maior propositio de medio, [& hoc] medium prædicetur [vniuersaliter de c,] siue de minori propositione: [necesse est & a, de c,] oportet, quod maior de minori [prædicari semper, & de omni.] s. cum his conditionibus de omni, & semper. quoniam [hoc est vniuersaliter, & de omni, & semper,] supple prædicari. [sed suppositum est] prius, debere esse [sicut frequenter. necesse est ergo medium sicut frequẽter esse, quod est in quo b,] siue quod significatur per b, medium. [erunt ergo, & eorum principia frequenter sine medio: quęcunque vt plurimum sic sunt, aut fiunt,] quasi dicat, sic igitur patet posse accipi quædam immediata principia eorum, quæ sunt frequenter: ita quod principia ipsa fiant, aut sint sicut frequẽter, & huiusmodi demonstrationes nõ faciunt scire simpliciter verum esse, quod cõcluditur, sed secundum quid, vt sit verum vt in pluribus: sic quoque principia, quæ assumuntur veritatem habent. igitur causata, quæ sunt frequenter habent causas frequẽter quantum ad subiecta, & si fiunt frequenter habent causas quæ fiunt frequenter quantum ad tempora. Quare hic notandũ quod cum dicimus aliqua causata esse semper, & vniuersaliter: intelligendum esse per relationẽ ad causam, vt eclypsis semper est, cum est sua causa nempe interpositio: hæc pro præsenti capitulo.

Tex. 26. Quomodo vsque. Congruum autem est. Cap. XIIII.

Ostenderat in præcedentibus Aristoteles, qualiter quod quid est, & propter quid se habebant ad demõstrationem. Nunc autem vult demonstrare quomodo hæc inuestigari possint. Primo quomodo inuestigetur, q̃d quid est. Deinde quomodo inuestigetur propter quid ibi in cap. decimosexto, cum dicit. Vt habeamus propositã. hic quomodo possit inuestigari diffinitio, & de compositione ac eius partibus. ibi ad inueniendum mediũ propter quid: continet hoc caput quatuor regulas, & tria præcepta, & dua s

anno-

annotationes cauillorum. Sed primo epilogat circa prædicta. Deinde proponit circa dicenda. dicit igit. [Quomodo quidem sit quod quid est in terminis assignandum: & qualiter demõstratio, aut diffinitio sit ipsius aut nõ: dictum est prius,] quasi dicat, quod supra dictũ est quomodo quod quid est assignetur in terminis, quia dictũ est assignari inter terminos demõstrationis, vt medium, & dictum est quomodo est demonstratio ipsius quid est, quia est demonstratio, vt simul facta cum conclusione, aut diffinitio eius, aut quid nominis, aut quid rei, aut nõ est. [Quomodo autem oportet venari in eo, quod quid est prædicantia: nunc dicemus,] quasi dicat, nunc vero dicamus qualiter oportet venari ea, quæ in eo quod quid est prædicantur. propter quod prius sciendum est, vt inquit Niph. duplicem esse modum inueniendi diffinitionem alter quorum dicitur compositio, & alter diuisio seu resolutio. cum ergo sit, prior compositio, quoniam ab vniuersalibus atque simplicibus incipit, ideo docet prius componere diffinitionem. Et quia diffinitio est compositio ex genere, & differentia, venaturus diffinitionem, docet sumere vniuersaliora illius rei, & excedentia illam rem, non tamen quæ excedunt genus illius rei. erit igitur regula prima cum inquit. [Eorũ igitur quæ insunt semper vnicuique,] i. ea quæ ponuntur in eo quod quid est oportet quod semper & vniuersaliter prædicentur: idcirco accipiens ea quę de vnoquoque prædicantur, vt semp. d. quod [quædam se extendũt in plus] quam id cui insunt, [non tamen extra genus.] illius rei. quid sit esse in plus sequitur. [dico autem in plus esse q̃cunque insunt quidem vnicuique vniuersaliter,] non tamen ei soli insunt, [at vero & alijs.] siue sed etiam insunt alijs, verbi gratia, illud est in plus quã homo, quod vniuersaliter de illo prædicatur, sed alijs animalibus etiã competit, vt bipes, quod auibus competit, [vt est aliquid quod inest omni trinitati:] vt patet de ente, quod quidẽ vniuersaliter inest: non tantum trinitati, sed etiam alijs, vt dicit. [Sed & non trinitati,] vt ens quod extendit se extra genus trinitatis. [Sicut quod est, inest trinitati: sed] etiam inest, [& non numero,] idest prædicatur de aliquo ente quod non est numerus. [Sed impar inest omni trinitati: & in plus est:] & ratio est cum subdit. d. [& nanque ipsi quinatio inest. sed non extra genus,] supple est, quia tam est tam [quinarius numerus est] impar, quam ternarius. [nullum autem impar extra numerũ est,] ostendit deinde qualia esse debent ea quæ accipiuntur ad construẽdum quod quid est. d. [Huiusmodi igitur] vniuersalia prædicata se habẽtia in plus [accipienda sunt vsq; ad hoc:] vel ad talem terminum [quousque tot accipiantur primum, quorum vnumquodque,] quod accipitur [sit in plus. Omnia autem non in plus,] quasi dicat, cum tot accepta sunt vniuersalia prædicata habentia se in plus non extendentia extra genus, quod omnia simul sumpta nõ se habent in plus quã ipsum diffinitum. [Hanc enim necesse est substantiam rei esse,] quasi dicat, tunc necesse est, quod ex talibus prædicatis constituatur substãtia siue diffinitio, [vt trinitati inest omni, numerus impar primus vtrobique.] i. vt omni ternario inest numerus impar vtroque modo primus. vtroque modo dico, quia primus dicitur dupliciter, [& sicut quod est non mensurari numero, & sicut non cõponi ex numeris.] i. vel quia non mensuratur numero, vel quia nõ componitur ex numeris. [Hoc itaque iam trinitas; est numerus impar primus, & sic primus,] i. vtrobique: siue vt dictum est vtroque modo,

do, scilicet, quia non mensuratur numero, & quia non componitur ex numeris. [Horum enim] trium. [vnumquodque illa quidem imparibus omnibus insunt,] s. alius numerus impar vt quinque, nouem, vndecim, & similia. [vltimum autem, i s. vtrobique primus inest, [& dualitati: omnia autē] siue totum simul [nulli] inest nisi trinitati. ternarius est numerus primus qa ex sola vnitate mensuratur, & solum componitur ex vnitate, & dualitate. Sed septenarius non dicitur primus, quia componitur ex ternario, & quaternario. Deinde subdit. [Quoniam autem ostensum est a nobis, quod necessaria sunt in eo, quod quid est prædicantia: vniuersalia autem necessaria sunt,] quasi dicat, quoniam supra ostēsum est quod ea quæ prædicantur in eo quod quid est ex necessitate insunt: quæcunque ex necessitate insunt vniuersaliter prædicantur. [trinitati autem & cuilibet alij sic accipiuntur in eo quod quid est accepta: sic ex necessitate quidem erit trinitas hæc,] quasi dicat, necessarium esse siue de numero ternario, aut de quocunque alio accipiantur modo prædicto ea quæ prædicantur in eo quod quid est: quod prædicentur ex necessitate, & vniuersaliter. ita quod quæ sic accepta erunt, & ex necessitate, & vniuersaliter, prædicabuntur de trinitate. igitur ex his manifestum est vnum declaratum esse de proprietate diffinitionis. s. quod insit rei diffinitæ. alterum est quod sit solū, & alteri nulli. d. [quod autem substantia sit.] i. quod diffinitio trinitatis sit substantia trinitatis: [ex his manifestū est, necesse enim est nisi hoc sit trinitatis esse.] i. insit illi soli, & nulli alteri, [vt genus aliquod esse] quasi dicat, qđ si non esset diffinitio esset genus. [Hoc autem] genus tunc esset [nominatum, aut nō nominatum. erit igitur in plus quam trinitati inexistens,] quasi dicat quod si hoc est: erit igitur plurib. quā ternario competens, quod est falsum, & quia ratio de trinitate assignata nō est in plus quam trinitas, non erit genus. Sed si nō est genus, & prædicatur in quid, oportet, quod sit diffinitio dicens essentiam rei. ideo. d. [concessum enim huiusmodi sit esse genus: vt qđ insit quidem secundum potentiam in plus: [si igitur nulli inest alij, quā atomis trinitatibus hoc vtique erit trinitatis esse,] quasi dicat, si igitur diffinitio data nulli inerit alij, quam atomis seu indiuiduis trinitatis hoc vtique erit diffinitio, & esse trinitatis. [Supponatur enim hoc substantia vniuscuiusque esse.] i. supponatur esse essentia vniuscuiusque, quæ inuenitur in indiuiduis illius speciei, vt dicit ipse. d. [q̄ in atomis prædicatum vltimum.] tūc sequitur [quare similiter, & alij cuilibet, sic demonstratorum quidem, illi esse erit,] quod sicut dictum est de termino ita etiam intelligendum esse de quibuscunque alijs quibus demōstretur aliquid esse idem per prædictum modum, quasi dicat, quodcunq; aliud a trinitate diffiniatur sic: illud idem, quod se habebit sic ad tale diffinitum sicut diffinitio trinitatis se habet ad trinitatem; illud idem erit similiter. i. diffinitio talis diffiniti. Notandum hic autem est quod non proprie diffinitur nisi species specialissima nō quod est diuisibilis in species: sed quod est in atomis seu in indiuiduis. Secundo notandum, quod dictæ sunt duæ conditiones ad diffiniēdum species specialissimas. Prima est quod quodlibet eorum, quæ ingrediuntur diffinitionem debet esse in plus quam diffinitū non tamen extra genus diffiniti, sed prædicari de eo essentialiter. Secunda est, quod talia prędicata tāta sint, vt aggregatum conuertatur cum diffinito. Tertio notandum quod potest etiā habere tres conditiones. Prima, quod de-

beat cōuenire omni contento sub diffinito. Secunda quod conueniat soli diffinito: ratio est quia componitur ex genere & differentia propria diffiniti. Tertia, quod debet sufficienter explicare naturam diffiniti. Quarto notandum quod quadruplex est diffinitio. s. quidditatiua, seu essentialis, descriptiua, causalis, & quid nominis. Diffinitio essentialis est oratio, quid est esse rei significans per essentialia, vt animal rationale mortale, est diffinitio hominis. Descriptiua est oratio quid est esse rei indicans per accidentalia, vt animal gressibile bipes. Diffinitio causalis est, quæ datur per causas, vel materialem, vel per efficientem, vt ira est ascensus sanguinis circa cor. Diffinitio, est oratio significans quid per nomen importatur, vt vacuum dicitur locus non repletus corpore.

Tex. 27. Congruum vsque.. Nihil autem..

POstquam Philosophus egit de diffinitione specierum specialissimarū in præsentia agit de diffinitione generum, quæ nam genera sint Commentator inquit, subalterna, & hic notandum primo est, vt rectè notat Niph. hanc Methodum constare tribus præceptis. Primum est, vt genus diffiniendum in primas, & per se species diuidas, verbi gratia, lineam, cuius quærimus diffinitionem, in rectam, circularem, & tortuosam. Hæc enim est diuisio lineæ in primas eius species. Secūdum est, vt species illas diffinias per Methodum assignatam, & colligas cōmunia vnum, vel plura, in quibus omnes specierū diffinitiones cōueniunt. Tertium est, vt his factis, & seruatis memoria, reponas genus, cuius diffinitionem quæris in suo proprio genere, speculando proprias passiones primorum generū. hæc patebunt in textus expositione: inquit igitur. [Congruum autem est cum totū aliquod.] i. vt sunt genera [aliquis negotietur:] siue diffiniat: [departiri genus in atoma specie prima.] i. diuidere postea debet in atomas, seu in species specialissimas, [vt numerum, si volumus diffinire, oportet, vt illum diuidamus in trinitatem, & dualitatem. postea sic tentare accipere illorū diffinitiones,] supple specierum, postquam diuisum est genus, & sic accipienda est diffinitio dualitatis, ac trinitatis, atque aliarum specierum numeri contentarum sub alijs generibus, [vt] diffinitio [rectæ lineæ, & circuli, & recti anguli] accipitur. docet deinde accipere proprias differentias, post propria genera. d. [post hæc autem accipientem, quod genus sit, vt vtrum quantitatum aut qualitatum,] quasi dicat, postquā genus diuisimus in species specialissimas, & ex hoc genus proprium suscepimus: tunc accipiendum est quod genus sit, siue quod prædicatū sit in quo est illud propriū genus, aut in quo sunt illæ species specialissimæ, quæ diffiniēdæ: vt vtrum sit qualitas, aut quantitas vel in quo genere sint illa, quæ debent diffiniri, nempe vtrum sub qualitate, aut quātitate, &c. [proprias passiones speculari per communia prima,] id est ea debemus speculari, quæ sunt propria illius generis, siue prædicamentinam [compositis] diffinitionibus [ex atomis,] vel secundum quod requirūtur species specialissimæ, [conuenientia,] idest per communia prima, vel propria ipsius generis generalissimi, ea quæ sunt cōuenientia ad diffinitiones, [ex diffinitionibus erunt manifesta,] quod est apertè dicere. Hoc modo inuenire conuenientia ad diffinitiones poterimus, & etiam poterim facere diffinitiones compositas ex differentijs proprijs secundum, quod re-

quirum

quirunt species specialissimę. [propterea quod principium] primū, est omnium diffinitio, & quod simplex est, & simplicibus per se inesse conuenientia solis: alijs autem secundum illa,] quasi dicat, oportet omnium diffinitionum id esse principium, quod simplex est, scire quod commune est, & huiusmodi simplicibus solum per se insunt accidentia, quæ inueniuntur communiter in multis: omnibus autē alijs secundum illa conueniunt, vt puta album per se competit corpori terminato: & secundum conuenit homini, equo, & quibuscunque alijs. quare si oportet accipere alicuius diffinitionem cui conueniret vniuersaliter album: puta niuis diffinitionem: necessarium esset ad genus communius, qđ est corpus terminatum recurrere, & ex illo causam albedinis inquirere, & hæc est secunda regula. Tertiam ponit deinde regulam nempe (vt inquit Philoponus) ostēdens vtilitatem Methodi diuisiuæ dicens, [Sed diuisiones, q̄ sunt secundum differētias: vtiles sunt ad hoc sic adeundum, vt tamen monstrans dictum est prius,] quasi dicat, quod vtiles sunt ad diffiniendum, id est diuidendo genus in species, vtile est quod quis accipiat diuisionem generis per proprias differentias: at tamen quomodo per hoc manifestetur, quod quid est, aut quomodo ad ipsum se habeant: dictū est prius. s. quod via diuisiua nihil syllogizatur, neque demonstratur ad propositum, [vtiles autem erunt] diuisiones, sic vtique solū ad colligendum, quod quid est] siue diffinitionem ipsam, & videbitur vtique] supple diuisiones [nihil mōstrarē: sed mox accipere omnia,] & species, & genera, aut sed accipere omnia, syllogizata, [tanquam si ex principio acceperit aliquis sine diuisione,] idest sicut si prius aliquis accepisset antequam diuideret. ordinate ostendit accipere cum subdit. d. [Differt autem aliquid primum, & posterius prædicamentorum prędicari,] quasi dicat multum differt quid prius, & quid posterius prædicetur inter ea quæ ponūtur in diffinitione, [vt est dicere animal mansuetum bipes: vel bipes animal mansuetum.] i. differunt hi duo modi prædicandi inter se: [nam si omne] quod prædicatur, aut diffinitur [ex duobus est] nempe ex genere, & differentia, [& vnum quid sit animal mansuetum, iterum ex hoc, & differentia homo aut quodlibet vnum sit, necesse est diuidentem petere,] quasi dicat sic ergo expositis si mansuetum accipitur, vt differentia animalis: oportet quod animal mansuetum sit aliquid vnum quod accipiatur, vt genus: iterum ex hoc animali mansueto: & differentia bipede est homo, aut quodlibet vnum sit, supple quod sit. i. eadem ratio & de quolibet, quod sit vnum ex pluribus: necesse ergo est supponere siue petere talem ordinem esse debere in diffinitione si debeat esse bona. tunc dicendum, quod hæ quæ allatæ sunt prima recte ordinata est. Secunda male. aliam vtilitatem ostendit dicens. [Amplius nihil relinquendum in eo quod quid est, sic solummodo contingit,] vel prętereа nihil est omittere eorum quæ in diffinitione ponūtur, & hæc sunt [cum enim primū accipiatur genus, siquidem alicuius inferiorum aliquam diuisionū accipiat, non incidet omne in hoc,] quasi dicat si aliquis supremo genere accepto: accipiat consequenter aliquam differentiam diuisiuam: non quidem ipsius supremi generis, sed alicuius inferioris: non totum quod cōtinetur sub genere superiore cadet sub illa diuisione. dat exemplum dicens, [vt non omne animal, aut totum pennatum est, aut diuisum pēnis: sed pennatum animal omne. huius enim differentia hæc est.

Prima autem differentia est animalis: in quam omne animal incidit.] i. non omne animal est continuarum, aut diuisarum pennarum. (nanque hæ differentiæ totum pennatum, & diuisum pennis non sunt differentiæ animalis: sed sunt differētiæ generis inferioris, nempe vespertilionis, & aliorū:) sed id solum animali volatili conuenit: nam & illius, hæc est differentiæ diuisio. Prima autem diuisio animalis differentiæ ea est, in qua omne animal comprehenditur.[Similiter autem,& in vnoquoque aliorum, & in ijs quæ extra genera, & quæ sub ipsis sunt, vt in aue in qua est omnis auis, & in pisce, in quo omnis est piscis. sic igitur vadenti promptum est scire quoniam nihil relictum est, aliter autem, relinquere necesse est, & non scire,] quasi dicat,quod similiter in vnoquoque aliorum illæ sunt per se, & immediatæ differentiæ animalis pēnati, aut animalis gressibilis, siue alterius animalis quæ sufficienter diuidunt totū, & in quas totum sufficienter cadit, & hæc regula in differētijs, quæ sunt extra genus animalis, & in differētijs,q̄ sunt sub ipsis.i. in subalternatis differentijs, huic generi quod est animal, vt in aue illa est prima, & immediata in quam differentiam cum sua opposita omnis aui incidit, & in pisce illa est prima,& immediata in quam cum sua opposita omnis piscis incidit, sic quoque in lapide qui est extra genus animalis in quem omnis lapis est. sic igitur pergens per primas, & immediatas differentias, contingit scire quidditatem rei:quoniam nihil est relictum de pertinentib.ad ipsam quidditatem. aliter autem incidendo necesse est aliquid ommittere, & nō scire totum, quod pertinet ad quidditatem,quasi dicat,quod si quis procedat in diuidendo quod totum diuisum cōtineat sub partibus diuisionis:poterit ille cognoscere nihil esse relictum de his quę sunt necessaria ad diffiniendū, si vero procedat aliter necesse est, ut aliquid ommittat:& quod non cognoscat se recte diffinisse. hæcque neque ommittere,vt clarius fiant.Vbi notandum quod differētiæ ordinatæ sic debent poni:vt primo ponatur differentia communior:postea minus communis vsque ad differentiam propriam, si igitur hæc esset bona hominis diffinitio, & recte assignata animal mansuetum bipes.animal esset ibi tāquam genus.mansuetum tanquam differentia communis. bipes tanquam differētia propria. Hoc modo acciperetur hæc diffinitio quod animal diuideretur per mansuetum,& non mansuetū. Deinde totum hoc animal mansuetū per bipedem, & non bipedem. demū totum hoc animal mansuetum bipes acciperetur,vt diffinitio hominis.

Tex. 28. Nihil autem vsque. Ad probandum.

ADnotationem primi cauilli in p̄sentia ponit Aristoteles. quoniā aliqui volebant esse impossibile diffinire aliquid. propterea quod (dicebant)hoc non posse fieri nisi sciremus omnia conuenientia cum eo quod debet diffiniri,& omnia differentia.dicit ergo. [Nihil autem oportet diffinientem, & diuidentem, scire omnia quæ sunt,]quasi dicat, non debet quis dicere esse impossibile accipere aliquid p̄ viam diuisiuam, & per diffinitionem: propter hoc quod oportet diuidentē, & diffinientem accipere, vel scire omnia,[& tamen quidam dicunt esse impossibile,cognoscere differentias quę sunt ad vnumquodque:] supple ad vnamquamque rem: siue indiuiduum diffinibile,& dicunt insuper,quod est impossibile [non cognoscentem vnūquodque

quodque]vel nisi vnoquodque cognito, & [sine differentijs non esse scire vnumquodque.] s. per diffinitionem. ratio est, quia [a quo enim non differt] oportet[esse idem huic, a quo differt:] oportet esse[alterum ab hoc,]quasi dicat, cum igitur non contingit scire aliquid per diffinitionem nisi sciamus cum quibus contingit, & cum quibus differt: consequens erit contingere aliquid sic scire nisi sciuerimus differentias quas habet huiusmodi diffinitum ad vnumquodque: & per consequens nisi sciuerimus omnia, quod est impossibile. docet quod non oportet diffinientem, & diuidentem scire omnia. d. [primum quidem hoc falsum est.] diuidentem, & diffinientem scire omnia debere, & ratio, quia [non secundum omnem differentiam]ipsum diffinibile [alterum est] ab altero essentialiter. quoniã multæ sunt differentiæ in eisdem specie.]siue in eadẽ specie.[sed non] sunt differentiæ [secundum substantiam, & per se.] hæc est vna ratio.[postea cum accipiantur opposita, & differentia, & quod omne incidit hinc aut inde, & accipiat in altero quod quæritur esse, & hoc cognoscat: nihil differt scire, aut nõ scire de quibuscunque alijs prædicantur differentiæ,] quasi dicat, postea cum accipiantur differentiæ oppositæ, quod totum genus capiunt: vt quod totum genus incidit in vnam partem differentiæ, aut in aliam: cum dico ita sit, & accipiat in altero membro diuisionis, quod debet diffiniri, & cognoscat illud membrum diuisionis siue illã differentiam diuidentem: nihil differt inquam ad propositum, vtrum sciat, vel nesciat, quod de quibusdam alijs rebus prædicentur oppositæ differentiæ, vt si volo diffinire quid homo, & diuido animal per gressibile, & volatile: si istæ sunt differentiæ bonæ sufficit cognoscere hanc differẽtiam gressibile, & quod homo quem quæro diffinire sit sub gressibili: de differentijs oppositis. i. quæ prædicantur de volatili, nil refert scire, aut ignorare. concludit ergo.[Manifestum enim est, q͂d si sic vadens] siue isto modo procedẽs per immediatas differentias, [veniat in hæc.]i. in tales differentias [quorũ] vel quarum differentiarũ [non est amplius differentia.] i. non contingit vlterius procedere per differentias essentiales, cum ad hoc erimus: [habebit rationem substantiæ.]Sic diffiniẽs. [Omne autem]siue totum genus diuisum[incidere in diuisionem,] siue incidet in differentias diuidentes, [quibus]aut inter quas differentias [si sint opposita nihil interest,] quasi dicat, non incidet. [non est petitio.] i. non oportet petere, quod totũ genus incidat inter tales differentias diuidẽtes, quia[necesse est omne] seu totum genus diuisum [in altero ipsorum esse,] scilicet diuidentium, cum quo opposito. altera nanque differentia diuidens cum sua opposita euacuat totum genus. [Siquidem illius differentia est,] idest differentia propria illius generis, quod diuidit. Non ergo eum qui diuisione diffinitionem colligit, omnia scire necesse est.

Tex. 29. Ad probandum vsq;. Quærere autem oportet.

TRia præbet præcepta ipsarum diuisionum: proponens ergo inq͂t, [ad probandum autem terminum,] siue ad construendum diffinitionẽ [per diuisiones: tria oportet coniecturare.] Primum est, [vt accipiantur prædicata in eo quod quid est,] idest, vt in diuisione accipiantur ea prædicata, quæ de diuiso prædicantur, vt quid est, hoc est per se, & essentialiter. Secundum est cum.d. [& hæc ordinatè quid primum

mum est, aut secundum.]i. secundum est ordinare quid primum est, & vniuersalius, quidue secundum, & minus vniuersale. Tertium est, [& hæc quoniam omnia sint.]i. vt hæc omnia sint, & nullum relinquatur: alioquin non esset perfecta diuisio: si non acciperentur omnia .exponit hæc deinde dicens. [Est autem vnum horum] ex his quæ dicta sunt, [& primum per id quod possumus sicut ad accidens syllogizare: quoniam est & per genus ꝓbare, [quasi dicat, vnum horum quod scilicet accipiatur ea quæ in eo quod quid est prædicantur. obseruatur primo quidem per hoc, quod quis potest inducere syllogismos, quod id quod assumitur insit: quemadmodum cum disputatur ad problemata de accidẽte. Secundo vt ostendatur, quod in eo quod quid est prædicatur per ea quibus disputatur ad problemata de genere. Secundum declarat. d. [ordinare autem sicut oportet] partes diffinitionis, [erit si primũ accipiat,] idest primum natura, & vniuersalitate: [hoc autem erit si accipiatur quod omnib. sequitur.] i. hoc erit natura primum, si accipiatur, quod ad omnia sequitur, ad illud autem non omnia: nanque genus, vt inquit Philopon. ante omnes differentias collocandum est. ideo. d. [illi autem non omnia.] aliquid enim esse tale necesse est, vt subdit. d. [necesse enim est aliquod esse huiusmodi,] scilicet, quod prædicetur de alijs, vt genus, & sit cõsequens ad alia: sed nõ alia ad ipsum. [accepto autem hoc, iã idem inferioribus modus,] quasi dicat, cum acceperimus. v.g. animal tãquam primum idem modus est obseruandus in ordinatione inferiorum, quia accipient secundo quod est consequẽs ad alia omnia excepto primo, accipitur tertium, quod est primum habentium se consequẽter, & hoc est quod dicit. [Secundum enim, aliorũ] sequentium [primum erit, & tertium aliorum continuorum] erit primum. semper [enim remoto, quod est sursum] siue supremum in ordine. [continuum aliorum primum erit. Similiter autem, & in alijs.] q. d. quod semꝑ remoto supremo illud quod est immediate consequens erit primum omnium aliorum, & sic est in omnibus alijs, nempe in quarto, in quinto, &c. si tot oporteat partis diffinitionis esse. Tertium declarat deinde dicens. [Quod autem omnia hæc sint: manifestum ex hoc quod recepimus.]i. quod nihil in diffinitione sit prætermissum, quia accipitur genus, vel simpliciter, vel topica Methodo, & accipitur [primum] hoc est prima differentia [secũdum diuisionem.] dico diuisionẽ qua habetur genus: non aut hoc. i. rationale, aut hoc. i. irrationale esse. hæc nanque est prima diuisio, & differentia. vnde dicit. [quoniam omne, aut hoc, aut illud est.] i. vt animal, aut est hoc, vel illud, siue vel rationale, vel irrationale. [Est autem hoc, & iterum huius totius differentiam. extremi autem non amplius esse differentiam, vel etiam statim cum vltima differentia a toto non differre specie hoc:] q. d. accipiamus nos diffinire rationale, & iterũ accipiendum est animal rationale: & ipsum diuidemus per proprias differentias: quando autem ad vltimam differentiam deuenimus, non erit tunc diuidere amplius per alias differentias specificas: sed illico addita vltima illa differentia: diffinitio cuius q̃ritur in nullo differret specie a suo toto, vel a sua ratione cõgregata ab omnibus partibus acceptis. v.g. homo nõ differt ab aliquo eorum de quibus ꝓdicatur animal rationale mortale. sufficere hæc tria præcepta ostendit insuper. d. [manifestum enim est quoniã neque plus hoc apponitur.] supple ad rectè quidquam diffiniendum. sed hæc

sufficiunt,

sufficiút, quia [omnia in eo quod quid est accipiuntur horum: neque deficit nihil.] accipiuntur solummodo ea q̄ prædicantur in eo, quod quid: & talia erant necesse accipere, & patet quod nihil deficit: quoniam si deficeret aliquid, [aut enim genus, aut differentia vtique erit.] Sed genus non deficit: quia [genus quidem est primum,] sine quo non sunt alia, & potest esse sine alijs: & cum hoc acceptæ sunt differētiæ, aut [& cum differentijs] genus [acceptum est, differentiæ autem omnes habentur,] vel non potest ibi deficere aliqua differentia. quoniam [non est amplius] diuisio [posterior,] aut non potest amplius accipi differentia posterior post illam cuius diximus non esse etiam differentiam. [Specie enim vtique differret, & vltimum. hoc autē dictum est non differre] q.d. hoc si esset sequeretur, quod vltimum acceptū adhuc differret differentia quidditatiua: cum hoc tamen diximus non differre. erunt igitur omnia quæ necessaria sunt diffinitioni non manca atque omissa, sed sufficienter tradita ac explanata.

Tex. 30. Quærere autem vsq; Facile autem est.

QVartam regulam in hoc contextu assignat Aristoteles, & adnotationem secundam secundi cauilli. in qua regula ostendit, quod quid est inuestigare non per diuisionem, vt supra, sed alio modo, aut dicamus Aristotelem velle assignare modum diffiniendi passiones, vt placet Egidio, postquam supra ostendit ac docuit inuenire diffinitionem siue ipsam construere in rebus, quæ quidem pertinent ad substantias. dicit igitur. [Quęrere autem oportet intendentem, & in similia,] quasi dicat, (si alio modo intelligamus) quod oportet, & aliter diffinitiones quærere inspiciendo primum ad ea quæ similia indifferentiaque sunt. [Primum quid omnia idem habeant.] i. quid quod sit idem in omnibus inueniatur. v.g. quid inueniatur in omnibus hominibus, qui omnes in hoc conueniunt esse rationale. [postea iterum in altera, quæ in eodē quidem genere sunt cum illis: sunt autē ipsis quidem idem specie, ab illis autem altera.] i. & postea aduertendum rursum est in alijs quæ conueniunt cū primis in eodem genere, quia sunt sibiinuicem specie idem, & sunt alter specie ab illis quæ primo accipiebantur: quemadmodum boues ab hominibus sunt alter. [Cum autem in his accipiatur quid omnino idem, & in alijs similiter: in acceptis iterum intendendum est si idem sit, quousque conueniant in vnam rationem. hæc enim erit diffinitio, si vero non vadit in vnam sed in duas, aut plures: manifestum est quod vtique non est vnum aliquod quod prædicatur, sed plura.] q.d. cum vero accipiatur quid sit omnino idem in omnibus puta hominibus: quoniā rationale: & quid sit idē pariter in omnibus bobus, vt mugibile. iterum considerandum est si quid est idem in acceptis istis duobus. s. in rationali, & mugibili: sicque considerandum est quousque perueniatur ad aliquam vnam communem rationem quia hæc erit diffinitio rei, si autē huiusmodi consideratio non inducat in vnam rationem communem, sed in duas rationes diuersas, siue in plures: tunc manifestum est quod id de quo quæritur diffinitio non erit vnum sed plura secundum quidditatem: sicque non poterit vnam habere rationē seu diffinitionem. patet hoc exemplo, [vt dico si quærimus quid est magnanimitas: intendendum est in quosdam magnanimos, quos scimus,] vel vt sciamus

mus [omnes quid vnum habeant] in seipsis [inquantum sunt huiusmodi, vt si Alcibiades magnanimus, aut Achilles, & Aiax:] cur sint magnanimi isti? aut hi [omnes quid vnum habent?] quod vnum sit omnibus commune? est [non tollerare iniuriari. hic enim] Alcibiades [dimicauit.] Siue præliatus est. [ille] Achilles [insaniuit.] propter iniuriam acceptam. [hic autem] Aiax non valens se vindicare de illata iniuria voluit vlterius viuere. sed [sed seipsum interfecit. Iterum idem est in alteris:] supple qui dicuntur magnanimi: [vt Lissandro, & Socrate, si iam indifferentes esse, & fortunati, & infortunati,] quasi dicat, quod isti duo hoc habent commune non mutari ob prosperitatem fortunæ & infortunijs: sed indifferenter se habebant in vtriusq;. igitur hæc duo accipiamus. s. impossibilitatē a casibus fortuitis: & non tolerare iniurias: consideramusque si est aliquid commune eis, [aut impassibilitas quæ est circa fortunas, aut non tolerantia cum iniuriantur, si vero nullum sit cōmune: duæ species erunt igitur magnanimitatis,] quasi dicat si non est in illis nihil commune, vt verum equidē est, duæ erant species magnanimitatis: quare neque dabitur vna communis diffinitio. Adnotatio secundi capitulli hæc est, quod [semper omnis diffinitio est vniuersalis:] nam omnis diffinitio semper datur ī vniuersali: quoniam hoc [non dicit medicus esse sanabile in quadam oculo, sed] dicit esse sanabile, [aut in omni] oculo, [aut determinans in specie,] puta hominis aut equi, & huiusmodi, quod diffinitió habeat regulas, & quomodo construatur hęc dicta sint pro hoc capitulo.

Tex. 31. Facile autem vsque. Vt habeamus. Cap. XV.

Ostendit Aristoteles in pſenti capitulo, species facilius esse finiri, quam genera: continet autem hoc caput duas conclusiones. quarum prima est cum dicit. [Facile est autem magis singulare diffinire, quam vniuersale. vnde oportet a singularibus in vniuersalia ascendere.] i. in finitionibus a singularibus ad vniuersalia scandere oportet, [& nanque magis latent æquiuocationes in uniuersalibus, quam in differentibus.] i. quam in ijs quæ genere non discrepant. [Sicut autem in demonstrationibus oportet syllogizari inesse: sic est ī terminis clarū,] q. d. sicut ī demōstrationib. oportet syllogizari præsupponendo aliquid quod est clarum ac manifestum: sic etiam in diffinitionibus: nanque nō potest quis deuenire in cognitionem alicuius ignoti nisi per aliquod notum, vtputa demonstratione, aut diffinitione. [Hoc autem erit, si per ea quæ secundū vnūquodque dicuntur, sit in vnoquoque genere diffiniri separatiui.] i. si diffiniatur diuisim, quod in quoque genere est, per ea quæ in vnoquoque dicuntur, [vt simile non omne: sed in coloribus, & figuris, & acutum quod est in uoce, & sic erit in commune ire: timentem ne æquiuocatio contingat,] verbi gratia, si quis vult manifestare quid est simile: non cōsiderabit ad omne id quod simile potest dici: sed de quibusdam similibus: nempe qualiter dicatur simile in coloribus, & qualiter in figuris. Similiter si velit diffinire acutum non considerabit ad omne quod potest dici acutum; sed respiciet ad acutum, quod dicitur in voce, & sic qui diffinit, proficisci debet: id cauēs ne æquiuocatio offendatur: facilius ergo cum ad singula inspicitur, diffinire minus

minus communia, quam vniuersalia magis. Secunda conclusio est cum dicit. [Si autem non oportet disputare in metaphoris: manifestum est neque diffinire metaphoris] oportere. i. translatis orationibus, vt apud Poetas hæc reperitur locutio, [neque quæcunque dicuntur in metaphoris,] supple sunt diffinienda, [quia disputare erit siue continget in metaphoris.] quoniam igitur non contingit diffinire, neque differere metaphorice: propterea qd esset ibi maxima confusio. de huiusmodi diximus plura in Rhetoricis.

Tex. 32. Vt habeamus vsque. Amplius alius modus. Cap. XVI.

Continet hoc caput tres cõclusiones: & quia artẽ dederat diffiniendi: in parte hac venatur qualiter sit accipiendum medium in demonstratione. aliud enim hoc est ab ijs quæ superius dicta sunt. aliud nanque est demõstrare qualiter se habeat medium ad demonstrationem, & aliud est dare artem inueniendi illud ad demonstrandum. tria facit primo venari docet medium in demonstratione particulari. secundo ostendit qualiter diuerse q̃stiones communicat in propter quid idest ea quæ sunt demõstrabilia diuer simode habeant identitatem. tertio qualiter inueniendum sit medium in demonstratione vniuersali. dicit igitur. [Vt habeamus proposita] ad demõstrandum particulariter quæcunque proposita in; [oportet eligere diuisiones, & decisiones] siue determinationes. [Sic autem eligere secundũ subiectum genus commune omnium.] s. existentium sub illo genere. exemplo declarat. d. [vt si animalia sint quę cõsiderantur:] siue quæ sunt consideranda, vt de ipsis quædam demonstretur: accipienda sunt [qualia animali omni insunt,] vt puta sentit lętitiam, & tristitiam, hæc omni insunt. [acceptis autẽ his. reliquorum primo qualia omnĩ sequantur.] i. acceptis his, oportet iterum accipere qualia sunt quæ consequuntur primo ad aliquod commune quod sub animali cõtinetur, puta qualia consequuntur omni equo, aut ad omnem auem, vt inquit ipse, [vt si hoc est auis] quæ contenta est sub animali, quæque de proximo animal diuidit patebit tunc [qualia omnĩ aui sequãtur:] nanque qui scit qualia insunt omni animali, scit qualia insunt omni aui, [& sic semper proxima.] i. quænam sequantur ea quę illi animali fuerint p̃xima, quasi dicat, quod diuidendo animal per proxima diuidentia: & illa p̃ alia proxima per id quod animali omni inest, manifestum erit quæ semper animali proximo, idest, ei quod de proximo animal diuidit insunt: nam ita procedendo semper per proxima diuidentia semper per commune superius, erit manifestum qualia insunt inferioribus. ideo. d. [manifestum enim est quoniam habebimus iã dicere propter quid insunt sequentia ijs quæ sunt sub communi, vt propter quid homini, aut equo insunt,] quod est dicere, procedendo hoc pacto manifestum est nos posse semper dicere propter quid aliqua insunt his quæ cõtinentur sub aliquo communi. v. g. si velimus scire propter quid aliqua insunt homini, aut equo: quæ continentur sub animali, puta sentire lętitiam & tristitiam, si igitur accipimus lætitiam, & tristitiam, quæ omni animali, sciendo qualia insunt omni animali: vt quoniam insunt ei lętitia, & tristitia. sciemus qualia insunt his omnib. quæ continentur sub animali. quoniã sciemus inesse eis lętitiam, & tristitiã, diuidemus animal per proxima diuidentia, vt per volatile, terrestre, &

aquatile.terrestre per proxima, vt per gressibile, & reptile, gressibile per ꝓxima, vt per hominem, & equum. Sic igitur diuidendo per has diuisiones magnas, & paruas demonstrabimus particulariter per hoc medium animal, quod quidem est commune subiectū. inesseq; hasce passiones omnib. reliquis contentis sub animali. s. dolorem, & lętitiam. explicat deinde in terminis. d. [sit autem animal in quo a b autem sequentia omni animali:] nempe lętitia, & tristitia. [in quibus autem sunt,] huiusmodi sequentia siue inherentia, sint [c, d, e, sicut quędam animalia,] vel sint homo, asinus, leo. [Manifestū ergo est propter quid est b,] i. lętitia & tristitia, sit [in d,] i. in asino, quia [propter a,] i. propter hoc qđ asinus est animal. [Similiter autem] faciendum hoc est, [& in alijs, & semper in alijs est eadem ratio. [nunc quidē secundum ea quæ assignantur communia nomina dicimus.] q. d. quod ea quę dicta sunt dicuntur secundum illa cōmunia quibus nomina assignata sunt. [Oportet autem considerare non solū in his: sed & si aliud aliquid videtur commune existens accipientem. Postea quib. hoc inhereat: & qualia huic sequantur,] quia vult ostendere qualiter inuestigare oporteat propter quid est, reducendo in aliquod commune, quod sit genus innominatum ideo. d. quod oportet non solum in talib. considerare: sed & si aliquid aliud cōmune oporteat quod insit aliquibus: licet nō sit genus: aut sit innominatum. insuper oportet considerare ad quæ hoc commune consequatur: & quæ sint q̄ consequantur ad hoc commune non nominatum acceptum. exemplum, [vt cornua habentibus.] i. hoc commune innominatum, & quod non est genus duo sequuntur, vel habet has passiones. s. habere ventres.] i. duos ventres.] i. duos habere ventres, & hoc ꝓpter necessitatē nominationis. aliud vero, quod consequitur ad animalia habentia cornua est, [& non vtrobique dentes esse,] vel quod non habent dentes in vtraque mandibula sed solum in inferiori. [Item habere cornua quibus sequitur. manifestum enim propter quid in illis est quod dicitur. propter id enim quod cornua habent inest.] q. d. item cornua habere. i. hoc esse innominatum, quod est habens cornua, sub eo sunt quædam partes subiectiuę, vt ceruus, bos, & huiusmodi animalia. manifestum igitur est propter quid huiusmodi animalia habent tales proprietates. s. duos ventres, vel plures, & non habeant dentes vtrobiq;: nempe quoniam cornua habent, & per consequens animal cornutum erit proprium subiectum huius passionis, & dicitur innominatū propter hoc. quoniam omne quod nescimus nominare uno nomine; sed per circumlocutionem nominamus, dicitur innominatum. animal igitur habens cornua est commune quoddam, & habet īferiora sub se. attamen illud commune est innominatum, eo quod vno nomine nequimus nominare, vt nominamus omne aquatile, reptile, & similia.

Tex. 33. Amplius vsque. De causa.

SEcundam & tertiam conclusionem in præsenti contextu adducit Aristoteles, & in hac secunda ostendit inuestigare medium reducendo ad aliquod commune analogum. d. igitur. [Amplius alius modus est eligere] medium [secundum analogum] siue analogiam, aut proportionem. [vnum enim & idem] secundum speciem, vel genus [non est accipere, quod oportet vocare sepium; & spinam, & os,] q. d. contingit

contingit accipere analogum quod non est secundum genus & secundum genus idem, quemadmodum os sepiarum, & spina piscium, & ossa animalium terrestrium dicuntur analogice. quoniam sustinere molliciem carnis primo ossi competit, deinde spinæ, & demum sepioni. [sunt autem quæ sequuntur & his, tanquam natura una huiusmodi existente,] idest aliquę sūt passiones quæ consequuntur ista tria, secundum analogiam quandam, nanque quædam passiones, vtputa vestiri carnibus: & molliciem carnis sustinere ista tria sequuntur propter aliquid vnum, seu propter unam naturā. molle enim nō sustinetur nisi per durum, & durities repperitur in omnibus his tribus, analogice: quoniam primo in osse repperitur. Deinde tertiam & vltimam conclusionem adducit, in qua ostendit qualiter diuersę quæstiones communicant in propter quid. d. [Eadem autem proposita sunt] siue problemata proposita sunt eadem, [quæ idem habēt medium, vt quoniam omnia contrarij status,] & problemata de esse spina, sepione. eadem sunt quia habent idem medium: ut omnia habent medium commune, quoniam sunt contrarij status. i. habent statū cōtrariū ad molliciē carnis: quia habent quādā duritiā. Deinde subdit. d. [horū autem] de numero problematum quæ sunt eadem [quædam genere eadem sunt] non simpliciter. [quæcunque habent differentias, ex quo aliorum aut aliter sunt,] idest quæ diuersificantur quibusdam differentijs, per quas differentias huiusmodi media eadem secū dum diuersa diuersimode se habent, sicut si quæratur, [ut propter quid resonat] echo; :[propter quid apparet] aliquid in speculo, [& propter quid iris: omnia enim hæc quidem unum propositum sunt genere, omnia enim repercussio sunt: sed specie diuersa.] quasi dicat quod ista omnia sunt idem problema quantum ad medium, vel fiūt ex eadem causa genere a quod est idem: quoniam causantur omnia ex repercussione, sed repercussiones differunt specie. Echo fit per repercussionē aeris moti a corpore sonante ad aliquod cōcauum corpus. Apparitio est cum immutatio medij repercutitur ad Speculum. Iris fit cum radij solares repercutiuntur ad uapores humidos. [Alia autem] problematum siue [propositorum, differunt] & sunt eadem, [ex eo quod medium quidē subalternum medium est,] idest quædam alia problemata sunt quæ differunt adinuicem eo quod diuersa habēt media, quorum unum est sub altero, datque exemplum. d. [vt propter quid Nilus finiente mense magis fluit?] siue magis inundat? [propter id quod hibernior est finiens mensis.] siue quia finis mensis est magis pluuialis, [propter quid autem hibernior est finiens mensis?] vel cur magis pluuialis? [propter id quod luna deficit, hæc enim] problemata, [sic se habent ad inuicē.] quod vnum medium est subaltero, vel causa vnius est causa alterius, quia augumētationis Nili in fine mensis causa est maior humiditas circa finem mensis, & causa maioris humiditatis circa finem est lunæ defectus. igitur hæc problemata propter quid in fine mensis crescit Nilus, & propter quid in fine mensis, crescunt humida in vnam reducuntur causam, scilicet in defectum lunæ: non eodem tamen modo, sed subalternatiuo: propterea quod vnum per aliud reducitur. hæc sufficiant.

Tex. 34. De causa, usque. An contingit. Cap. XVII.

VT supra dicebamus docet in præsentia Aristoteles per quod demonstratur medium uniuersaliter: qđ est ipsius passionis causa. continet autem hoc caput quæstiones sex. vna cũ dilutionibus. Quantum spectat ad primã inquit ipse [De causa & cuius causa est] siue de causa & causato, [dubitabit aliquis: nunquid cum causatum est & causa est, ut si fluunt folia, aut deficit luna: & causa deficiendi?] lunæ, & causa [cadendi folia erit, vt si huius est, lata habere folia.] siue causa quod folia fluant est habere lata folia: & cũ latiores sunt, & citius cadunt propter nimium humorem hinc patet fici, & vuæ folia citius aliorum arborum cadere. [deficiendi autem, terram in medio esse.] quia tũ. luna deficit quotiescunq; interponitur terra. [si enim non] ad tale esse causati non sequatur esse talem causam: [aliqua alia erit causa ipsorum, idest causatorum, si vero causa fit: & causatum simul, vt si in medio est terra: deficit] luna, [ut si latũ est folium, folia fluunt] seu cadunt. (si autem sic est: simul vtique erũt] & causa & causatum, [& demonstrabuntur per inuicem,] idest causa per causatũ & econtra: ponit in terminis dicens. [sit enim folium fluere in quo a,] idest maior propositio. [latum autem folium in quo b, [idest medius terminus [vitis uero in quo c,] idest, minor quelibet arbor habens lata folia. [si igitur in b, est a,] idest fluere, i latis folijs omne enim latum folium habens folio fluit. c. autem inest b, quia omnis vitis] quæ significatur per c, [habet lata folia, & a,] vel fluere, [in c, est] uel in latis folijs est, [omnis uitis folio fluit, causa] quare fluunt [est medium b,] idest habere lata folia. [sed & quoniam latis folijs uitis fit, est propter id quod folio fluit demonstrare,] q.d. quia demonstrauit causatum demonstrari per causam hic econtra. d: cõtingere ecõtra demonstrare causam per causatũ, scilicet quod uitis habet lata folia propter hoc quod fluit folio, hoc idem in terminis docet. d. [sit. n. d, latum quidem folium:] siue maior. [e, autem folio fluere,] idest medius terminus. [uitis uerò in quo f,] idest minor. [in figitur est e, quoniam folio fluit omnis uitis, in e, verò est d, eo qđ omne fluens folio, est], uel contingit habere [latum folium omnis itaque uitis est habens latum folium.] causa igitur per causatum uel per effectum concluditur, [causa autem est folio fluere,] idest causa inferendi non essendi. diluit deinde quæstionem dicẽs. [si autem non contingit causas esse ad inuicem,] idest si non contingit aliqua duo esse subinuicem causæ, in eodem genere, quoniam [causa est prius suo effectu:] non autem contingit idẽ esse prius & posterius: & deficiendi quidem est causa terram esse in medio: eius autem quod est in medio terram esse, non est causa deficere,] q.d. eodem pacto cum causa defectus sit terram esse in medio positam, impossibile est defectũ lunæ esse causam eius quod terra sit in medio. [si igitur demonstratio,] quæ est per causam [est demonstratio [propter quid est,] tunc quæ [non] est [per causam] erit [ipsius, quia, quoniam quidem terra in medio est cognouit,] i. quia est in medio, sed [propter quid non] cognouit, [quod autem non deficere causa sit in medio esse, sed hoc, deficiendi, manifestũ est,] quoniam supposuerat deficere non esse causa interpositionis, ideo dicit, manifestum esse lunam deficere non esse causam eius quod est terram esse in medio positam, sed econtra, quia [in ratione] seu diffinitione eclypsis

psis sede[deficiendi; inest quod est in medio.]siue ponitur quod sit terra in medio. [quare manifestum est quod p hoc] siue per interpositionem terræ tanquam per causam, [illud cognoscetur,] idest eclypsis. [sed non hoc,] idest interpositio.[per illud.] siue per defectum tanquam per causam, ubi notandum non esse causatum absque causa, quoniam ponere causatum sine causa est ponere causatum non esse causatum. si igitur deficiendi causa est interpositio posito defectu oportet ut ponatur interpositio.

Tex 35. An contingit, usque. Vtrum autem contingat.

SEcundam, & tertiam quæstionem in præsentia adducit Philosophus, ostenditque in quibus uerum sit causam & causatum se sequi, & in quibus non. dicit ergo, [an contingit, vnius]. communis uel unum commune [plures esse causas?] secundum quod diuersis conuenit, quemadmodum esse uituperio dignum conuenit audaci, propter libertatem nimiam, & timido propter defectum. vnde Respondet hoc modo dicens: Et nanque si est idē de pluribus primis primo prędicari,] quasi dicat ad hanc questionem num contingat unius eiusdem effectus plures esse causas specie differentes? respondetur affirmatiuè quod contingit esse eiusdem rei plures causas, modo prædicetur idem effectus de pluribus subiectis, ponit exēplum, sed aduerte per literam quod intelligas uituperabile. per b, superabundans, per c, defectum. per d, prodigum. per e, illiberale stantibus his inquit ipse, [sit a,]uel uituperabile [in b, primo existens, idest primo esse in superabundāti. [& in c, alio primo.] vel & esse primo in alio, idest in defectu, [& hoc]superabundans [sit in d,] idest in prodigo, aut in aliquo uitio superabundanti. [hoc verò]siue defectus[sit in e, uel in illiberali, [erit itaque a, in d, & in e,]idest uituperabile erit in prodigo, & in illiberali. in uno propter nimiā largitatem & in alio propter auaritiam nimiam, [causa autem quod e sit in d, quidem b, uel causa cur uituperabile sit in prodigo, est superabundantia, & quare uituperabile sit[in e,]supple est [e,]idest defectus est causa quare sit in illiberali, [quare cum causa sit, necesse est rem omnem esse,] quasi dicat cum necesse est esse causam, & effectum quoque. uel cum est superabondantia in prodigo, uel defectus in auaro, necesse est hunc effectum, scilicet uituperabile, [sed res cum sit: non necesse est esse omne quodcunque sit causa, sed causam necesse est esse: non tamen omnem,] quasi dicat sed cum sit hæc res & hic effectus, scilicet uituperabile, non est necesse quod sit quæcunque causa, scilicet, hæc uel ista, aut illa determinate, sed causam quod necesse est esse: non autem quamlibet, nec hanc uel illam determinate, quoniam in his licet effectus ad causam consequatur, ut rectè dicitur superabundans est ergo uituperabile, est deficiens ergo uituperabile, tamen causa non consequitur ad effectum econtra quia si est uituperabile rectè sequitur quod sit aliqua causa propter quā sit uituperabile, sed non est ista uel illa determinate, nec qualibet causa. Tertiam deinde assignat quæstionem dicens. [An si semper uniuersale propositum & causa totum quidam est, & cuius est causa uniuersale? [quasi dicat an cum semper id quod proponitur uniuersale sit, & causa totum quid dam & uniuersale, & pariter id cuius est causa sit uniuersale, q. d. cum causa & causatum sumantur æqualiter. v. g. si sumatur causatum uniuersaliter, &

causa

causa sumatur totũ uniuersale respectu illius causati, tunc necesse huiusmodi inter se consequantur, [vt folio fluere in toto quodam determinatum est,] siue habet quandam uniuersalem & determinatã causam, [& si species ipsius sint.] uel licet sint multę species eius quod est fluere, ut patet, multas esse species arborum quæ folio fluũt, [uniuersaliter igitur, aut plantis, aut huiusmodi plantis,] quasi dicat oportet huiusmodi æquari cũ suo effectu: ita quod cõuertatur causa & id cuius est causa, ut supradiximus. ideo subdit [quare & medium æquale oportet esse in his & cuius est causa, & cõuerti,] idest ut ex causa infertur effectus, & ex effectu causa, dicuntur hæc ad conuertentiam, [ut propter quid arbores folio fluunt, si ergo] accipiatur huiusmodi causa esse [propter densitatem humidi.] siue propter hoc quod humidum est condensatum: sequitur ergo si causatum est, quod etiam causa sit, ut si [folio fluit arbor, oportet esse dẽsitatem.] seu quod sit condensatio humoris, & econtra ualet rectè quod posita causa ponatur effectus in huiusmodi subiecto. [siue densitas est non in quolibet: sed in arbore: est folio fluere,] quasi dicat si est condensatio humoris non in qualibet re, sed in arbore: sequitur tunc quod folio fluat. in his ergo causa & causatum se consequuntur, & quæ non se consequuntur dictum est.

Tex. 36. Vtrum autem, vsque. Habet autem.

DE consequentia causæ, & effectus dixerat supra philosophus, in hac uerò tertia præcedenti quæstione declarauit quando ex effectu sequitur omnis causa, (dixerat enim ex uno effectu non sequi omnem causam) & quibus quoque conditionibus sequitur omnis causa, volebatque omnem causam sequi ex effectu cum problema est vniuersale, & est problema uniuersale, quando causa de effectu vniuersaliter prædicatur, & effectus de aliquo subiecto prędicatur uniuersaliter, cuius sunt quædam species, de quibus effectus prædicatur uniuersaliter, vt planta sub qua continentur omnes arbores, si causa esse arescens esse, & effectus folio fluere, hic uerò quęrit nũ ad unitatem causæ sequatur unitas effectus & econtra, dicit igitur. [utrum autem cõtingat non eandem esse causam eiusdem in omnibus sed alteram an non?] q.d. utrum unius, & eiusdem effectus in omnibus sit una & eadem causa uel non: sed altera? vel sic intellige, utrum alicuius effectus possit esse causa altera, idest extranea, per quã ille demonstretur uel non? Respondet [an siquidem per se demonstretur, aut non secundum signum aut accidens non potest esse,] idest si demonstratio est per causam per se, & nõ per signũ, neque per accidens, non potest esse. alis effectus per huiusmodi causam extraneam signum enim differt ab accidente (inquit philoponus.) Quoniam signum est quod infert id, cuius est, signum necessario, ut lac habere sequitur necessario peperisse mulier. Accidens autem est quod infert id cuius est non necessario, ut noctu vagatur. non sequitur. ergo fur. sequitur bene coniecturabiliter. [atio enim extremi medium, si uerò non sic contingit,] idest quia in demonstratione per se, ratio siue diffinitio alterius extremi siue maioris extremitatis, est mediũ, quæ non potest esse extranea causa alicui eorum. cum igitur unius rei unica sit diffinitio. vnius conclusionis non erit nisi unum medium demonstratiuũ, & vna causa per se per quam possit demonstrari huiusmodi effectus. sin autẽ demon-

demonstratio non sic fuerit per se:sed accipiatur causa per accidens:aut accipiatur aliquod signum,& aliquis effectus pro causa:tunc contingit demõ monstrari talem effectum per causam extraneam.Deinde ostendit quod si talia non accipiantur per se non se habent eodem modo causa, & effectus: sed si per se,sic se habebunt,puta si est effectus idem genere,& diuersus specie,causa quoque talis,& si effectus est æquiuocus,aut analogus:& causa huiusmodi erit.[est autem]causa,[& cuius est causa]siue causatum, [& cui.]i. subiecto, [considerare secundum accidens:non tamen videntur proposita esse.]i.causa,& causatum siue passio , & subiectum si sunt per accidens non videntur esse,per se,intenta;siue proposita,eo quod prçter intentionem sunt. [Si autem non,] si talia non accipiantur per accidens:sed per se, & secundum intentionem. [Similiter se habebit medium.]s. causa & causatum.[Similiter se habebit.] causa & effectus, [vt propter quid commutabiliter analogũ.]i.proportionabile.q. d. causam per quam possumus arguere commutabiler, a commutato analogo , vel a commutata proportione,quia[alia est causa in numeris , & in lineis,] s. specie,& eadem quidem inquantũ lineæ, alia : inquantum autem habens huiusmodi augumentum,eadem,sic in omnibus.]q. d. propter quid commutata proportio aliquibus inest . quoniam , alia causa est in lineis, & numeris.i.in his habet quodammodo aliã causam: & quodammodo eãdem . habet aliam quidem secundum speciem: inquantũ alij sunt numeri , & alij lineæ, vel inquantum quidem lineæ aliæ sunt a numeris,alia causa est, quia de lineis,cõmutata proportio demonstratur , & alia qua de numeris. sed est eadem genere inquantum.s.tam lineæ,quam numeri in hoc conueniunt, quod habent tale augmentum ex quo in eis cõmutata proportio demonstratur . sic in omnibus . aliud exemplum affert . d. [Similem autem esse colorem colori, & figuram figuræ: aliam esse causam alij.æquiuocum enim est simile in his] quasi dicat eius qđ est esse simile , alia causa est in coloribus , & alia in figuris:quoniam dicitur de vtroque æquiuoce similitudo.[Hic quidem in figuris[est fortassis secũdum analogiam:] siue proportionem,vel quod sint adinuicem proportionabilia[habere latera,& æquales angulos.]Siue quod anguli sint æquales. sed [in colorib. vnũ sensum esse] est esse simile in colorib. quod faciant eandem immutationem in sensu nostro, [aut aliquid aliud huiusmodi, quæ vero secũdum analogiã sunt eadem:& medium habent secundum analogiam,]quasi dicat,de analogis vero,dico quod in his, quæ conueniunt secundum analogiam : & in his oportet esse vnum medium secundũ analogiam:quemadmodum supra explanauimus de osse spina,& sepione: quæ omnia se habent ad hunc effectũ qui est sustinere mollitiem carnis , & tam iris,quam echo est quædam repercussio,& effectus igitur huiusmodi est analogus, & causa est analoga, quale ergo est causatum talis est causa,si accipiatur causa per se, vt æquiuocum, & causa æquiuoca , si analogum analoga .

Tex. 37. Habet autem vsque. Vtrum autem causa.

QVintam deinde ponit quæstionẽ, in qua ostendit qualiter causa, & causatum secundum consequentiam se habent,& qualiter non.hocque declarat in terminis.dicit igitur.[Habet autem sic consequi causa adinuicem] alicuius effectus seu passionis , [& cuius

ius est causa,] & ipsemet effectus, siue ipsamet passio, [& cui est causa.] i. ipsum subiectum in quo est talis causa siue passio, quasi dicat, hæc tria causa, effectus, & subiectum se consequuntur adinuicem sic. s. si accipiatur vniuersaliter. [vnumquodque quidē accipienti, & cuius est causa in plus est,] quasi dicat, quod si quis accipiat vnū aliquid particulare id cuius causa q̄ritur, in plus erit quam causa, & subiectum, verbi gratia, [vt quatuor ęquales, qui sunt extra, in plus sunt quam triangulus, aut quadrangulus,] idest, hæc passio, quæ est habere angulos, q̄ sunt æquales quatuor rectis: in plus sunt quam triangulus, aut quadrangulus. [in omnibus autem, vt in æqualibus est.] Hoc est, se habent æqualiter, siue in æqualitate, [quæcunque enim] vel si accipiantur quæcunque figuræ habentes angulos, [q̄ sunt extra æquales quatuor] rectis, [& medium similiter est,] scilicet acceptum vniuersaliter, est æquale tali passioni. ratio huius, est talis. angulos extrinsecos ęquales esse quatuor rectis, est passio omni figuræ recti lineę conueniens, si igitur hæc, scilicet talis passio, & tale subiectum, & causa vniuersaliter accipiantur. tunc omnia se habebunt conuertibiliter adinuicē. sed si causa, & subiectum particulariter accipiantur: tūc ipsum causatum siue ipsa passio, vel effectus, se habebit in plus, quam causa, & subiectum, vt si non accipiatur omnis figura rectilinea vniuersaliter: sed specialiter. ratio huius dicti. hæc est. [Est autem mediū ratio primi extremi: ex quo omnes scientiæ per diffinitionem fiunt,] idest est medium in demonstratione diffinitio passionis, siue maioris extremitatis. [propter quod omnes demonstrationes scientificæ fiunt per medium, quod quidē est diffinitio. hoc in naturalibus patet demonstrationibus, vt hæc passio [folio fluere sequitur viti,] vel est in plus quam vitis, quia [excellit] illam, [& ficui, & excellit,] idest & est i plus quam ficus, quoniam excellit, & similiter quamlibet arborem acceptam particulariter, huiusmodi passio excedit: [sed non omnia, sed æqualia sunt,] idest si accipias oēs arbores sic fluentes folio, tunc huiusmodi passio non erit in plus; sed erit de numero æqualium. sic quoque medium se habebit æquali modo ad tale subiectum, & ad talem passionem, [si vero accipias primum medium:] siue medium immediatum, & causam proximam. tale medium primum inquam, [est ratio fluēdi folijs,] siue diffinitio passionis. [erit enim primum in altera medium, quoniam huiusmodi sunt omnia,] idest tale medium primum sic acceptum erit in subiecto, quoniam omnia sunt huius, idest, quod omnes tales arbores fluant folijs diffinitio nanque, huius passionis, quæ est folio fluere, est medium primum, & principale, & causa propria in altera, idest in subiecto, vt in arbore. [Deinde huius medium:] deinde si accipiatur aliquod aliud medium: nempe [quoniam succus densatur] per dissicationem, [aut quiddam aliud huiusmodi.] patet, si quæratur [quid est folio fluere:] respondebim⁹, [densari in contactu seminis succū,] scilicet nil aliud esse quam sucum seminis in contactu folij ad ramum, & hæc erit diffinitio huius passionis per quam demonstratur de suo subiecto. aduerte quod semper diffinitio, quæ est medium in demonstratione causam exprimit passionis in subiecto, & econtra id quod est causa passionis in subiecto illud est quod exprimitur per diffinitionem, vt si causa eclypsis est interpositio, si quæreretur quid est eclypsis diceretur esse interpositionē terræ. sic causa cadendi folia est condensatio humoris in arbore, si quæreretur

retur quid est folio fluere. diceretur quod est condensatio succi. aduerte tamen has diffinitiones esse causales: quoniam eclypsis non est ipsa interpositio formaliter. sed causatur ex tali interpositione, sic quoque nec casus foliorum est ipsa condensatio succi, sed causatur ex huiusmodi condensatione. ponit hæc deinde in terminis dicens. [in figuris autem] siue in terminis quibus habet forma syllogistica componi, [sic assignabit quærentibus consequutionem causæ, & cuius est causa,] quasi dicat, si quis quærat consequutionem causæ, & causati, hoc pacto poterit assignare, [sit a,] idest longa vita, per b, intellige siccum, per c, carere colera, per d, volucres vt vultur, aquila & talia, per e, quadrupedes vt ceruus, equus. dicit ergo sit longa vita [in omni b,] siue in omni sicco, b,] autem in vnoquoque eorum, quæ sunt d,] vel in vnaquaque specie volatilium, quæ sunt longę vitæ, vt aquila, vultur, [in plus autem,] hoc est b, siue siccus sit in plus quam quælibet talis species, [b igitur vniuersale inerit vtique ipsi d,] idest siccum esse vniuersaliter erit in omnibus volatilium quæ sunt longæ vitæ. [Hoc autem dico vniuersale: quod non conuertitur,] idest b, hoc modo vniuersaliter erit in qualibet tali specie, quia non conuertitur, sed est in plus quam aliqua huiusmodi species, b enim vnamquamque speciem talem in se excedit. [Primum autem vniuersale, cui vnumquodque quidem non conuertitur: omnia autem conuertuntur, & non excedũt] idest, & id dico primum vniuersale, quo cum, non singulum quodque conuertitur, sed omnia simul conuertuntur, neque latius se fundunt. omnes nanque species volatilium longæ vitę conuertuntur cum esse siccum, & excedũtur, conuertuntur omnes si accipiantur omnes simul, & excedũtur omnes si accipiatur quælibet secundum se, [b igitur est causa ipsius a, ipsis d,] idest igitur siccum esse, est causa ipsius longæ vitæ esse in omnibus speciebus volatilium quæ sunt longæ vitæ. ergo quoniam sic est, [oportet itaque a, in plus quam b, extendi,] idest longam uitam extendi in plus quam siccum esse, [si vero non,] sit longa vita in plus quam siccum esse. [quid magis causa erit hoc illius?] idest cur magis b, erit causa ipsius a, quam ecõtra? deinde ostendit, quod idem effectus potest esse ex alia causa ita quod vni⁹ erunt plures causæ, [si igitur in omnibus e, est a,] idest in omnibus quadrupedibus est longa vita, (quæ sunt longæ vitæ,) [erunt aliquid illa vnũ omnia aliud, quam b,] idest erit aliqd vnum seu aliqua vna causa in quo omnia illa, quæ sunt longæ vitæ conueniunt, & illa causa vna propter quam omnia quadrupedia longæ vitę sunt talia, illa causa erit alia a sicco, quæ erat causa longæ vitæ in volatilibus, [si non] est alia causa, [quomodo erit dicere quoniam in quo est e,] siue quadrupedia, [sit a, omni?] idest longa vita? [in quo autem a, non omnis sit e?] idest in quadrupedibus? quasi dicat, q̃a reperitur longa vita in alijs, quam in quadrupedibus: quoniam in uolatilibus etiam. ideo dicit, quod causa propria hic, & ibi oportet, vt sit ibi alia, & alia, quare longa vita sit in quadrupedibus. erit hic notatione dignum, quod quadrupedia propter siccum terreum reducuntur ad temperamentũ per carentiam bilis. volatilia vero, q̃a multum de humiditate habent aærea, reducuntur ad temperamentum propter esse siccum. ergo esse siccũ in humido aęreo est causa cõtemperamenti ac longæ vitæ. [propter quid enim non erit causa aliqua, vt a, sit in omnibus. d?] idest in omnibus volucribus? quæ causa dicta est esse b? siue siccum

esse? [sed nunquid & quæ sunt c, erūt aliquod vnū?] q. d. si ergo sic est quod volatilia habent suam causam cur sint longæ vitæ, quæ sunt quadrupedia habebunt ne aliquam vnam causam? habebunt sanè. [considerare hoc oportet] quid sit illud vnum, [& sic c,] idest vacare bile. statibus ijs quæ dicta. [cōtingit igitur eiusdem esse plures causas, sed non eisdem specie,] quia in eadem specie non est assignare differentias essentiales. sed dubitatur an sint duæ demōstrationes hæ, quia vna per b, altera per c, fit. Respondet Philoponus, non esse demonstrationes p se, sed per accidens, aut per signum. Aut sic dicas esse per se, non tamen vniuersales. quoniam non sunt ex primis. Declarat quomodo cōtingat plures esse causas. d. [vt longæ vitæ quadrupedia, non habere choleram, causa est, volatilia autem sicca esse, aut altera aliqua,] quasi dicat, longeuas esse quadrupedes, causa est vaccare bile, & longeuas esse volucres causa est ipsas esse siccas, aut quæuis alia, [si autē in atomum,] vel ad indiuiduam speciem [non statim veniunt, & non solū est vnum medium sed plura sunt media, [& causæ plures sunt,] si sic est, & hæc satis pro præsenti contextu.

Tex. 38. Vtrum autem vsque. De principijs.

SExtam, & vltimam quæstionem in præsentia adducit Aristoteles ostē dens qualiter causa, & effectus cōsecutionem habeant, quia causa quæ habet consecutionem cum suo effectu est causa indiuisibilis ac æquata, vt cū vna causa assignatur vnius effectus, non plures causę. d. ergo. [Vtrum autē causa mediorum, quod ad vniuersale primum est, aut quod a singulare, singularibus?] quasi dicat, cum plura sint media, vnum quidem quod magis ad primum vniuersale vergit, & alterum magis ad singula, vtrum inquam oportet eam causam ex parte vniuersalis primi: puta ex parte ipsius a, idest lōgæ vitæ, vel ex parte singularium siue eorum quæ sunt minus communia, vt supra accipiebatur quadrupedia, & volucres? Ad hoc igitur respondēs sequitur. d. [Manifestum igitur est esse, quæ proxima vnicuique causa est, primum sub vniuersali esse, hæc est causa,] idest oportet, quod semper accipiamus media, quæ sunt propinquiora subiecto in quo quæritur causa illius communis causati, & ita procedere, quousque ad id quod est immediatum communi causato perueniatur, eo quod id quod est ex parte eius, qđ sub aliquo continetur communi: est ei causa, quod sit sub illo communi, [vt in d,] siue in volatilibus longæ vitæ [quod est a causa est c,] siue causa est siccum esse, quod sint longæ vitæ, [in d, quidem igitur est a, causa est c,] idest siccum [in c, autem,] idest siccum esse est [b, in hoc autem] supple b, quod sit a, [eadem est] causa. demum epilogat. d. [de syllogismo igitur] in libris primo, [& demonstratione] in his, [quidque vnumquodque est, & quomodo sit: manifestum est, simul autē & de scientia demonstratiua. idem enim est,] idest de scientia demonstratiua, & de demonstratione idem est iudicium. aduerte in hac vltima quęstione nos mutasse terminos. per c, intellige siccum. per b, contemperamentū complexionis, & hæc pro capitulo hoc sufficiant.

Tex. 38. De principijs vsque. Necesse est itaque. Cap. XVIII.

QVoniam duplex est demonstrationis principium, scilicet, proprium,

prium quod demonstrationem ingreditur secundum substantiam, vt diffinitio, & commune quod non ingreditur demonstrationem secundum substantiam sed secundum virtutem quemadmodum dignitas. ideo tractato de quod quid est, & de diffinitione, quod principium est proprium. in hoc loco de communi principio agit ipse Philosophus. continet autem hoc caput vltimum in ordine positum quæstiones tres, & hæ in hoc contextu dicentur, & tres conclusiones, quæ in duobus alijs tex. declarabuntur, inquit igitur primum. [De principijs autē,] vel de dignitatibus [qualiter fiunt cognita] ista principia cōmunia, [& quis est cognoscens habitus] per quē talia principia cognoscimus [hinc manifestum est] ex his quæ dicturi sumus. [Dubitantibus primum,] deinde soluendo, [quod quidem igitur non contingit scire per demonstrationem, nō cognoscentem prima principia immediata: dictum est prius] in primo libro circa principium. Prima quæstio est, [vtique dubitabit aliquis, vtrum autem cognitio immediatorum eadem est an non eadem.] i. num cognitio principiorum immediatorum sit eadem cognitio nec ne. secunda est, [& vtrum scientia in vtroq; est an nō an vnus quidem scientia, illius autem alterum aliquod genus sit.] i. vtrum omnium immediatorum sit scientia, aut nullorum, aut sit scientia quorundam aliorum autem aliud genus. tertia est. [Et vtrum cum non insint habitus: fiant, an cum insint lateāt.] i. num habitus horum principiorum fiat in nobis cum prius non fuerunt: vel in nobis fuerunt: sed tamen nos lateat. Subdit de isdem quæstionibus, quędā. d. [si quidem igitur habemus ipsos] habitus principiorum naturaliter, sequitur quod [inconueniens est.] s. quod habeamus habitus horum, & nos lateat, quia [contingit certiores habere cognitiones dēmonstratione, & latere,] q. d. habitus principiorū sunt multo certiores demonstratione, & propter hoc est absurdum, qđ si inconueniens est habere habitum demonstratiuum, latere ipsum. multo magis habitum principiorum. propter certitudinem latere ipsum. nō igitur huiusmodi habitus sunt in nobis a natura. propterea quod cū principio incipimus addiscere nullum habitum scimus nos habere, si igitur habitus principiorū essent in nobis a natura habitus nobilissimos haberemus, & laterent nos, quod absurdum, [si autem accipiam⁹] huiusmodi habitus per acquisitionē [non habentes ipsos prius,] a natura, [qualiter vtique cognoscamus, & addiscamus] huiusmodi habitus [ex non præexistenti cognitione⁹] siue ex pręuia quadam anticipatione cognitionis? [impossibile enim est, sicut in demonstratione diximus.] q. d. quoniam diximus in primo libro, quod omnis doctrina, & disciplina intellectiua ag generatur ex præuia cognitione. cum igitur nulla cognitio præcedat cognitionem principiorum, vt videtur: si huiusmodi cognitio in nobis esset per acquisitionem, vt apparet, aliqua cognitio intellectiua in nobis fieret ex non præuia cognitione, quod absurdū est. [Manifestum igitur est quoniam, neque habere] cognitionē principiorum [possibile est neq; ignorantib. & neque non habētibus habitum fieri,] q. d. si nullum habemus habitum principiorum, & si ignoramus principia: impossibile est in nobis fieri huiusmodi habitus per acquisitionem. igitur nec possibile est semp habere horum principiorum cognitionem, q̄ nos lateant neq; etiam possibile est, quod huiusmodi cognitio de nouo aggeneretur: præcedente omnino ignorantia: & non aliquo alio habitu.

Tex.40.Necesse vsque.Vt in pugna.

PRimam conclusionem in præsentia adducit Aristoteles determinãdo veritatem. ostendens præexistere oportere quandam potentiam cognitiuam in nobis, quæ quidem dicitur potentia sensitiua.dicit igitur.[Necesse est itaq; habere quidem quandam potentiam,] quæ dicitur sensus, [non huiusmodi autem habere, quæ est his honorabilior secundum certitudinẽ,] idest non tamen habere talem, cuius cognitio certitudine his ipsis principijs est præstabilior: cuius ope in cognitionem principiorum ducamur. erit ergo cõclusio. habitus principiorum neque insiti sunt, neque ab alijs notioribus pariuntur habitibus, sed sensus auxilio fiunt. [videtur autem hæc]potentia sensitiua,[omnibus inesse animalibus. habent enim connaturalem potentiam indicatiuam, quam vocant sensum,]supple omnes.[Cum insit autem sensus,] omnibus animalibus,[in ijs quidem]de numero [animalium,fit mansio sensibilis,]siue memoria, quæ est mansio ac Thesaurus specierum sensibilium, [in alijs autẽ non fit.] Hæc memoria seu conseruatio, vt in animalibus impetfectis patet. [in quibuscunque igitur non fit, aut omnino,] idest in his animalibus nõ manet,aut totaliter siue nullo modo fit,in aliquibus,[aut circa quæ non fit, nec est in his cognitio extra quod sentiunt.]q.d. ea animalia quæ mãsionem non habent, nullam habent cognitionem, præter ipsum sentire, vel nisi quandiu durat sensus. sed deficiente immutatione sensus exterioris vltra id quod non senserunt exterius nil cognoscunt. [in quibus autem inest sentientibus, habere vnum quiddam in anima, multis quidem factis huiusmodi,iam differentia quędam fit,vt in his quandam fit fieri rationem ex talium memoria: in alijs vero non.]q.d. sed animalia in quibus inest hæc memoria seu conseruatio specierum,cõtingit adhuc habere quandam cognitionem in anima præter sensum: & in his est mansio: cum igitur multa sint huiusmodi animalia,quę habent mansionem; inter ea vlterius est differentia quædam: quoniam in quibusdam eorum animalium fit ratio seu ratiocinatio de his, quæ remanent in mãsione,vt in hominibus.in quibusdam autem non fit huiusmodi ratiocinatio: veluti in brutis.Deinde quomodo fiat in nobis cognitio primorum principiorum demõstrat. d. [ex sensu igitur fit memoria]in nobis[sicut dicimus,] paulo ante. [ex memoria autem multotiẽs eiusdem facta, experimentũ,] supple fit. quoniam experimentũ nil aliud videtur, quam accipere aliquid ex multis memorijs, vel ex multis retentis in memoria. ideo dicit [multæ enim memoriæ numero, est vnũ experimentum.ex experimento,aũt ex omni quiescẽte vniuersali in anima.]i. sicut ex memoria fit experimentum,sic ex experimento:aut etiam vlterius ex vniuersali quiescente in anima: [vno præter multa (quod cum in omnibus vnum sit illud idem)artis principium & scientiæ.] i quod vnum est præter multa, non secundum esse, sed secundum considerationem, vt quia aliquã naturam nempe hominis considerat: non respiciendo ad Platonem, & Socratem: quod idem vnum est in omnibus.s. singularibus secundum esse,nõ vnum numero quasi sit humanitas eadem omnium hominum, sed idem secundum rationem speciei. ex hoc inquam experimẽto, & ex huiusmodi vniuersali accepto per experimentũ, in anima est id quod est principiũ artis,& scientiæ.igitur ex multis sensib.

fit memoria, ex multis memorijs experimentum. ex experimentis multis vniuersale. tunc ex experimento, & vniuersali quiescente in anima generatur in nobis id quod est principium artis & scientiæ. [Siquidem igitur circa generationem, artis est.] hæc est differentia inter artem, & scientiam, si tale principium est circa generationē, vel circa quæcunque factibilia, aut fieri: vt circa agriculturam, aut medicinam, hoc vniuersale est principium artis, seu pertinet ad artem, [si vero circa ens:] siue circa necessaria quæ sunt semper eodem modo: hoc vniuersale est principium scientiæ, seu pertinet ad scientiam. [Neq; igitur insunt determinati habitus, neque ab alijs habitibus fiunt notioribus: sed a sensu.] q. d. neque præexistunt in nobis habitus principiorum quasi determinati, & cōpleti: neque fiunt de nouo ab aliquib. habitib. notioribus præexistentibus, sicut aggeneratur ex præcognitione principiorum habitus scientiæ in nobis: sed sunt in nobis habitus principiorum a præexistēte sensu, quod qualiter fiat dictum est supra. quoniam ex sensibus fit memoria, & q̄ sequuntur.

Tex. 41. Vt in pugna vsque. Ad finem libri.

Secundam, & vltimam conclusionē huius operis, adducit Aristoteles. determinatamq; veritatem declarat: ipsa principia (& erit conclusio) inductione cognoscuntur, [vt in pugna euersione facta: vno stante, alter stetit, postea alter, quousque in in principiū veniant, anima autem huiusmodi, cū sit qualis possit pati hoc.] q. d. cum in pugna fiunt fugati exercitus, cum inquam vnus eorum cœperit immobiliter permanere, ac non capere fugam, & alter auxilietur ei, deinde item alter, quousque tot homines congregentur quod faciunt principium pugnæ; sic ex sensu, & memoria vnius particularis, & iterum alterius particularis, & alterius quandoque peruenitur ad id quod est principium artis, & scientiæ. Sicut diximus. ideo quia ex multis sensibus fit memoria, & ex multis memorijs experimentum, &c. ita procedere est quod anima sit huiusmodi naturæ qualis possit hæc pati, scilicet, q; ex multis sensibus fit memoria, in ea fieri possit cognitio experimentalis, & etiam possit fieri in ea vniuersale, & aggenera talis habitus, quod principium sit artis, & scientiæ. secundum dubium declarat, s. qualiter ex sensu possit generari cognitio uniuersalis: & pro causa assignat sensum ipsum esse rei vniuersalis. quamuis sentire sit particularis. vnde dicit, [quod autem dictum est ante, sed non clare dictum. est, iterum dicamus. stante enim vno indifferentium, primum quidem in anima vniuersale est,] idest stāte in vniuersali ipso vno de numero indifferētium primum quidem in anima vniuersale est: quia licet vniuersale sit multa singularia, est vnum vniuersale, sub cuius vnitate anima potest pati a multis. [Et nanque sentire quidem singulare,] supple est, resque singularis. [Sensus autem vniuersalis est, vt hominis non Calliæ hominis,] quasi dicat, non huius particularis tantum. Hoc est, cum per sensum accepta sunt aliqua particularia esse indifferentia in aliquo vno, stante anima in tali consideratione fit in ea vniuersale. nec mirum si potest hoc fieri per sensum. q̄a sensus ipse est vniuersalis: quamuis sentire sit particularis. [iterum in his statur.] sup. anima postquam considerabit multos particulares homines sub vna natura humana iterum statur in his. i. considerando hominem, aut bouem: & huiusmodi species in quo conueniunt. [quousque vti impartibilia stent, & vniuersalia.] i. quousq; huiusmodi

huiusmodi considerationes stent in impartibilia, vel stante anima in tali consideratione specierum ad ipsa genera quæ sunt vniuersalia indifferẽtia siue impartibilia deueniet: eo quod species ipse habent quandam indifferentiam, & vnitatem, in genere ipso, [vt huiusmodi animal quousque animal] idest stabit anima in tali consideratione puta hominis, vel equi, quousque perueniat ad ipsum genus, quod est animal, [& in hoc similiter,] idest, & stabit similiter hoc genere ipsum considerando. donec veniat ad aliud supremum quod est corpus, & substantia. [Manifestum igitur est: quoniam nobis prima inductione cognoscere necessarium est,] idest quod prima principia necesse est nos cognoscere via inductionis, [& nanque, & sensus sic vniuersale facit,] idest, quoniam sensus per viam inductionis facit vniuersale intus in anima, quatenus considerantur omnia particularia. cum igitur cognitio nostra incipiat ex particularibus a sensu, & per inductionẽ oportet prima principia cognoscere. Vltimam conclusionem deinde adducit, quæ est huiusmodi, habitus principiorum, non est scientia, sed intellectus est. dicit igitur. [Quoniam autẽ circa intelligentiam habituum quibus verum dicimus, alij quidem semper veri sunt: alij recipiunt falsitatem vt opinio & ratio,] quasi dicat, soluendo illam quæstionem, num primorũ principiorum sit scientia, vel aliquis alius habitus. circa quod accipitur hoc, quod principiorum cognitio ad intellectum spectat cuius intellectus est cognoscere vniuersale, & vniuersale dicit esse principium scientię. circa igitur intellectũm duo sunt genera habituum se aliqualiter ad verũm habentia, quidã habitus inquit sunt semper veri, quidam autem aliquando falsum recipiunt, vt opinio & ratiocinatio. [Vera autem sunt semper scientia & intellectus,] & in hoc differt scientia ab intellectu, [& nihil est certius sciẽtia aliud genus, quam intellectus. principia autem demonstrationibus notiora sunt.] aliam rationem adducit, quod intellectus differt a scientia. d. [omnis autem scientia est cum ratione] nullus autem intellectus est cũ ratione, quia ad principia non est ratio, si igitur sic est. [principiorũ quidem scientia non vtique erit,] sed erit ab ipsa differens. vis rationis est, quod intellectus principiorum est. [Quoniã autem nihil verius contingit esse sciẽtiam, quam intellectum, intellectus vtique erit principiorum, ex his considerantibus,] quod intellectus sit principiorum ad quæ non est ratio, & differt a scientia, quæ non est sine ratione, ex his inquam dictis, [& quoniam demonstrationis principium non demonstratio, quare neque scientia sciẽtiæ, & hæc erit tertia ratio quod intellectus non sit scientia: nam intellectus principium est scientiæ, & principiũ scientiæ non est scientia, sicut principium demonstrationis non demõstratur. ideo. d. qđ intellectus non sit scientia, ex hoc patet, quoniam demonstratio nõ est demonstrationis principiũ. quare neque scientia est principium scientiæ. principium igitur scientiæ a scientia differt, idest i demonstrationibus non proceditur in infinitum. ita quod principia demonstrationis non demonstrantur: & demonstrationis principium non oportet, vt scientia sit. imo est deuenire ad aliqua indemonstrabilia principia, quoniam non erit scientia cognitio igitur illorum principiorum, quæ est principiũ sciẽtiæ non erit scientia,] si igitur nullum aliud præter scientiam habemus genus verum. intellectus vtiq; erit scientiæ principium. & principium quidẽ principij erit vtique. Omne autem se habet

habet ad rem omnem,] quasi dicat, si ergo nullum aliud genus cognitionis præter scientiam habemus, quod sit semper verum: relinquitur, quod intellectus erit principium scientiæ: quoniam per ipsum intellectum scientiarum principia cognoscuntur. ita nempe quod intellectus ipse est principiũ scientiæ est cognoscitiuus principij ex quo sciẽtia emanat, & hæc scientia est omne, vel totum, quod se habet similiter ad omnem rem: seu ad totam materiam de qua est scientia, sicut intellectus ad principium scientiæ. erit ergo triplex differentia inter scientiã, & intellectum. Prima quod intellectus est certior, & notior. Secunda quia ad principia quorum est intellectus non est ratio: sed scientia non est sine demonstratione. Tertia, quia intellectus, & principium scientiæ non est scientia, & hæc sint de secundo Posteriorum.

Cap. Vlt.

TRes mouentur quæstiones in hoc vltimo capitulo. Prima est quomodo principia indemõstrabilia sunt nobis cognita. Secunda, vtrum omniũ immediatorum sit scientia, aut nullorum: aut sit scientia quorundam aliorum autem aliud cognitionis genus. Tertia est, num notitia principiorum sit a naturà innata. Soluit deinde has quæstiones, & primo tertiam dicens, quod notitia principiorum non inest nobis a natura, eo quod talis notitia est certissima: sed absurdum est dicere quod habeamus actu de aliquo certissimam notitiam, & quod nos lateat illam habere: probat deinde quod a natura insit nobis potentia ad assentiendum illis principijs, & quod omnes assentiunt principijs hoc idem demonstrat, & inesse omnibus animalibus quandam potentiam, quam sensum vocamus. Vnde animalium habentium sensum quædam sunt sine memoria, & quædam habent memoriam, quæ non habent memoriam nullam habent notitiam nisi in præsentia sensibilium, quæ habent memoriam, illa sunt duplicia, alia memoriam quidẽ habẽt sed nõ intellectũ, vt bruta aliqua, & quædam habent simul cum intellectu, vt homines. vnde principiũ vniuersale sit nobis notum hoc pacto: quoniam primo habemus notitiam sensitiuam de aliquo sensibili, vt ista aqua est humida, & sic conseruamus in memoria deinde aliam aquam, tũc autem cum aliam videmus habere illam humiditatem iudicamus. Deinde vniuersaliter dicimus omnem aquam esse humidam, & illud principium artis vocamus. finaliter declarat, quod habitus, quo cognoscuntur principia non est scientia, quia scientia habetur per demonstrationem, sed principia non sciuntur per demonstrationem. igitur. infertur ex dictis ipsius, quod habitus quo cognoscuntur principia non est scientia, sed intellectus.

Finis Secundi Posteriorum.

Regiſtrum.

★ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVX.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO

PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ.

Omnes ſunt Duerniones.

VENETIIS, M. D. XCII.

Apud Ioannem Gueriglium.